Digitized by Google

XIV.14.25.
Y.10

13—22.C.31.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATUS GENERALIS DE REGALIA

IN

QUATUOR LIBROS DISTRIBUTUS,

QUI PRIMUM GALLICO SERMONE PRODIIT;

NUNC LATINO DONATUS AUCTIOR ET CORRECTIOR EDITUR.

Cum alijs Opuſculis ad eandem materiam ſpectantibus.

Cum licentia Superiorum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Anno Domini, MDCLXXXIX.

Digitized by Google

OBSERVATIO.

QVæ in hoc Tractatu Generali circa Regaliam de Patribus Societatis dicta ſunt; ea de aliquibus & particularibus tantùm intelligi oportet; nullâ autem ratione de toto Societatis Corpore. Societatem enim ipſam quod attinet, tantùm abeſt eam Pontificiæ authoritati adverſatam eſſe; ut potiùs dicendum ſit, de tota Chriſtiana Republica, ipſaq; Apoſtolica Sede optimè & hactenus meritam eſſe; & in hac ipſa cauſa, quam præ manibus habemus, P. Tyrſum Gonzales Societatis Generalem egregium opus quatuor Propoſitionibus Pariſienſibus profligandis adornâſſe, typiſq; edidiſſe, quod tamen, ne in publicum prodiret, ſpes cum Gallo componendi effecit; ut taceam, inſigne aliud opus P. Nicolai Pallavicini Innocentio XI. dicatum. Ergo ut dixi, quæ ab aliquibus è Societate admiſſa ſunt, in ipſam Societatem nulla ratione redundare poſſunt. Quamvis enim P. Zerle magnus Appamiarum Vicarius in Epiſtolis ſuis ad Pontificem Romanum datis aliqua recitet, quæ ipſum Societatis inſtitutum notare videntur; crediderim, hæc illi (ut alijs quoq; Sanctiſſimis Viris) calamitatum, quibus conflictabatur, tædio; ac ardore diſputandi excidiſſe, quæ pacato poſteà compoſitoq; animo non ſcripta maluiſſet; cùm alioquin & ex Sanctorum Pontificum Diplomatibus; & rebus toto Orbe præclariſſimè geſtis, ipſaq; experientiâ teſte negari haud poſſit; Societatis inſtitutum ſanctiſſimum, optimeq; de Republica Chriſtiana meritum eſſe, hodieq; mereri tot libris in omnibus ſcientiarum facultatibus eruditiſſimè ſcriptis; tot peccatoribus ad Chriſtianam vitam revocatis; tot ſacris expeditionibus in remotiſſimas orbis plagas pro Religione ſuſceptis.

ADMO-

Digitized by Google

ADMONITIO AD LECTOREM.

HUjus Tractatus exemplum in ſcrinio Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Bonæ memoriæ Franciſci *Caulet* Epiſcopi Appamienſis repertum eſt, quod typis vulgare decreverat, cùm ad meliorem vitam, Deo volente, vocatus eſt; ut nôrunt ejus familiares, quibuscum hoc ſuum conſilium, antequam decumberet, communicaverat. Id quod cùm huic ſcripto non mediocrem laudem conciliet, tum verò argumento eſt, illud haud parum celeberrimæ Regaliæ quæſtioni explicandæ luminis allaturum. Plures etiam viri ſingulari eruditione ac prudentia, qui illud nondum editum perlegerunt, hanc materiam, alioquin nonnihil obſcuram, in eo diligenter, & magna orationis perſpicuitate tractatam eſſe judicarunt. Cùm autem prior Tractatus de Regalia, ejuſdem pientiſſimi Epiſcopi adhuc ſuperſtitis mandato editus, in hoc maximè verſetur, ut Eccleſiarum Occitaniæ, præſertimque

Appamienſis, libertatem tueatur; hoc poſteriore, omnium univerſim Eccleſiarum, quæ cùm huic oneri antea non ſubjacerent, Regio Edicto illud ſubire coactæ ſunt, cauſa ſuſcipitur, majorique ſtudio, & accuratiore doctrinâ Adverſariorum oppoſitiones atque argumenta, quibus hanc Regaliæ extenſionem tueri conati ſunt, diluuntur. Quin etiam multa circa uſum Regaliæ in ijs locis, ubi ex antiqua conſuetudine recepta eſt, examinantur: unde haud abs re viſum eſt ei *Generalis Regaliæ Tractatus* nomen inſcribere. Porrò illi, quibus Appamienſis Epiſcopus ὁ μακαρίτης ſuum de hoc Opere vulgando conſilium aperuerat, è re Eccleſiæ fore rati ſunt, ſupremam religioſiſſimi ſui Antiſtitis voluntatem hoc tempore exequi, edito in lucem hoc Tractatu Generali, quo tum nova quodammodo prioris Tractatus editio, tum eorum omnium, quæ in hac quæſtione opponi poſſunt, ſolidior refutatio continetur.

PRÆ-

PRÆFATIO.

1. *CVm maximi ſit momenti cauſa Regaliæ, vixq; alia hodie in Orbe Chriſtiano celebrior habeatur, quotus tamen quiſque eſt, qui eam apprimè calleat, qui de illa appoſitè loquatur? imò qui, quid in quæſtione verſetur, probè nôrit? Plerique nonniſi tenui eius cognitione imbuti, confusè & permixtè de ea iudicant. Id quod tamen nemini mirum eſſe debet. Eſt enim illa Regaliæ materies ſingularis & paulo abſtruſior, atque ab aliĳs quibuslibet iuris quæſtionibus remotior; ut non facilè quis in illam incidat, nec à quoquam probè intelligatur, quin ei percipiendæ conſultò operam impendat; quod laboris vix ullus, niſi ex officio aut aliqua alia neceſſitate compulſus, ſuſceperit.*

2. *Quin & illud obſervandum eſt, Authores qui primùm Tractatus de Regalia ediderunt, cùm Magiſtratus aut Advocationis munere in Parlamento Pariſienſi fungerentur, eas ſolum attigiſſe quæſtiones, quæ in foro verſantur, nimirum quibusnam caſibus Beneficia vacent in Regalia, quibúsve modis aut obtineantur à Rege, aut iam obtenta conſerventur:*

 tur:

Digitized by Google

tur: qua in re eas ſibi leges iuriſque dicundi formulas condidêre, quas ſolo uſu atque auctoritate Parlamenti Pariſienſis contineri ipſi ultro fatentur. Cæterum ipſam Regaliam diſcutere, eiúsque naturam, originem, progreſſum, effectus qualitatéſque expendere, ut plurimum penſi non habuerunt.

3. *Accuratior illa Regaliæ tractatio tunc demum haberi cæpta eſt, cùm nonnulli Miniſtri Regij de iure illo univerſim ad omnes Regni Eccleſias porrigendo conſilium inière. Cùm enim huic eorum molitioni Clerus Gallicanus interceſſerit, diúque ea de re delatâ ad ſupremum Regis Conſilium lis hæſerit, neceſſe fuit, totam illam quæſtionem diligentius examinari. Primus de ea anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quinto, Illuſtriſſimus Petrus de Marca Tholoſanus ac deinde Pariſienſis Archiepiſcopus, ad petitionem Comitiorum Cleri Gallicani, eruditum ſcripſit commentarium: quo in opere de ſupradictis illis capitibus, brevi quidem, ſed graviter ſolidéque diſſeruit. Idem poſt argumentum copioſius diſcuſſit in Octavo Libro de Concordia Sacerdotij & Imperij, qui demum poſt illius obitum in lucem prodijt, ubi omnes penè huius materiæ latebras ſinúsque, ſumma, qua pollebat, eruditione ac ſermonis claritate explicavit. Superius illud commentariolum in ſecundum volumen Actorum Cleri Gallicani noviſſimæ editionis anni milleſimi ſexcenteſimi ſeptuageſimi ſecundi cum pleriſque alijs actis & monumentis ad hoc Regaliæ negotium ſpectantibus, relatum eſt.*

4. *Verum*

4. *Verum quanquam in hoc Actorum Cleri Gallicani volumine ea habeantur, quæ huic quæſtioni explicandæ ſatis eſſe poſſint, ad ea tamen inter ſe connectenda haud mediocri labore, ſtudio atque animi contentione opus eſt. Deinde cùm ante Edictum Regium anni milleſimi ſexcenteſimi ſeptuageſimi tertij pleraque illa acta, lite adhuc in Regio conſilio pendente, vulgata ſint, ex ijs totam illam controverſiam, prout in præſentiarum ſeſe habet, haud ſatis intelligere atque animo dijudicare queas. Accedit, quòd nonnulli Epiſcopi Regio Edicto parere abnuerunt, Summúſque Pontifex, cauſa ad ſe delata, plures litteras ea de re ad Regem Chriſtianiſſimum dedit; adeo ut de hoc graviſſimo celeberrimóque negotio denuo ſcribere minimè ſupervacaneum videatur.*

5. ***Propoſitum itaque mihi eſt hoc Tractatu, ea omnia, quæ ad cognitionem deciſionémque huius controverſiæ ſpectant, ex ordine, ſumma quantum potero, fide diligentiáque complecti. Ab alienis ac ſupervacuis quæſtionibus abſtinebo, ſepoſitiſque ijs, quæ doctrinæ hic traditæ invidiam creare poſſent, verum æquúmque, quod in medio conſiſtit, ab extremis, quæ in vitio ſunt, declinans, quantum mihi datum fuerit, ſectabor. Hinc Canonicam Eccleſiarum libertatem ſic tuebor, ut legitima Regis iura minimè offendam: Miniſtris Regiis contra immunitatem Eccleſiæ nova molientibus ita occurram, ut non attingam ea, quibus Rex, ex antiquo uſu, Eccleſia vel approbante vel diſſimulante, potitur.***

6. Summa

6. *Summa totius Tractatus duplici hac quæſtione continetur: primùm an Regalia ſit generalis, & ad multas Regni Eccleſias, quæ illi nunquam ſubditæ fuerunt, auctoritate Regia extendi potuerit: deinde an rata ſint ea omnia, quæ circa uſum Regaliæ in ijs locis, ubi iam diu obtinet, inducta ſunt, maximè quod ad collationes Beneficiorum ſpectat. Prior illa quæſtio principalior eſt, propriáque huius Tractatus, cùm is cardo ſit totius controverſiæ ex Regio Edicto anni* 1673. *exortæ. Poſterior autem quæſtio prioris velut appendix eſt, & obliquè tantum hanc controverſiam attingit: quanquam magnum in ſe habeat momentum, cùm de varijs illis tractet capitibus, quæ circa uſum Regaliæ cum ante, tùm poſt illud Edictum, tacente vel non advertente Eccleſia, introducta ſunt.*

7. *Vt autem ordine, quæ ad utrámque quæſtionem ſpectant, examinentur, Tractatum in quatuor libros diſtribuam.*

8. *Primus Regaliæ naturam, originem, progreſſum, variósque ſtatus explicabit, atque hiſtorica narratione ſummam probationum auctoritatúmque, quibus tota hæc cauſa innititur, ob oculos ponet.*

9. *In ſecundo Libro patebit, Regaliam, prout nùnc ſe habet, non poſſe eſſe iuſtam ac licitam, niſi quatenus ab Eccleſia fuerit conceſſa & approbata: qua in re diſtinguentur ea, quæ Eccleſia ſua approbatione rata habet, ab iis, quæ cùm improbet, hactenus tamen toleravit.*

10. *Tertio*

10. *Tertio libro oſtendetur, quòd cùm Regaliam in certis tantum Diœceſibus Eccleſia permiſerit, ad reliquas verò extendi vetuerit, ius illud, ea inſcia, imò renitente, minimè potuit evadere generale, & ad illas Provincias ac Diœceſes porrigi, quas ab eo hucúſque liberas fuiſſe conſtat: adeóque harum Eccleſiarum Epiſcopos & Capitula, non ſolum huic ſe iugo ſubmittere non debere, ſed potiùs eorum eſſe partes, ut quantum in ipſis eſt, huic novitati obſiſtant.*

11. *Quarto demum libro diſſolventur ea omnia, quæ contra ſuperiorum librorum doctrinam afferri poſſent; tum verò nominatim quorumdam Scriptorum, qui nuper pro illa generali Regaliæ extenſione pugnarunt, ratiocinationes atque argumenta expendentur. Illos denique Epiſcopos, qui obſtiterunt, ne uſus Regaliæ in eorum Eccleſias inveheretur, ſuo munere præclarè functos eſſe probabitur, eámque agendi rationem in defendendis Eccleſiis iniiſſe, quæ non modo culpâ vacet, ſed multam laudem apud omnes probos atque Eccleſiaſticæ libertatis amantes mereatur.*

)(INDEX

Digitized by Google

6. Summa totius Tractatus duplici hac quæſtione continetur: primùm an Regalia ſit generalis, & ad multas Regni Eccleſias, quæ illi nunquam ſubditæ fuerunt, auctoritate Regia extendi potuerit: deinde an rata ſint ea omnia, quæ circa uſum Regaliæ in ijs locis, ubi iam diu obtinet, inducta ſunt, maximè quod ad collationes Beneficiorum ſpectat. Prior illa quæſtio principalior eſt, propriáque huius Tractatus, cùm is cardo ſit totius controverſiæ ex Regio Edicto anni 1673. exortæ. Poſterior autem quæſtio prioris velut appendix eſt, & obliquè tantum hanc controverſiam attingit: quanquam magnum in ſe habeat momentum, cùm de varijs illis tractet capitibus, quæ circa uſum Regaliæ cum ante, tùm poſt illud Edictum, tacente vel non advertente Eccleſia, introducta ſunt.

7. Vt autem ordine, quæ ad utrámque quæſtionem ſpectant, examinentur, Tractatum in quatuor libros diſtribuam.

8. Primus Regaliæ naturam, originem, progreſſum, varióſque ſtatus explicabit, atque hiſtorica narratione ſummam probationum auctoritatúmque, quibus tota hæc cauſa innititur, ob oculos ponet.

9. In ſecundo Libro patebit, Regaliam, prout nùnc ſe habet, non poſſe eſſe iuſtam ac licitam, niſi quatenus ab Eccleſia fuerit conceſſa & approbata: qua in re diſtinguentur ea, quæ Eccleſia ſua approbatione rata habet, ab iis, quæ cùm improbet, hactenus tamen toleravit.

10. *Tertio*

Digitized by Google

10. *Tertio libro oſtendetur, quòd cùm Regaliam in certis tantum Diœceſibus Eccleſia permiſerit, ad reliquas verò extendi vetuerit, ius illud, ea inſcia, imò renitente, minimè potuit evadere generale, & ad illas Provincias ac Diœceſes porrigi, quas ab eo hucúſque liberas fuiſſe conſtat: adeóque harum Eccleſiarum Epiſcopos & Capitula, non ſolum huic ſe iugo ſubmittere non debere, ſed potiùs eorum eſſe partes, ut quantum in ipſis eſt, huic novitati obſiſtant.*

11. *Quarto demum libro diſſolventur ea omnia, quæ contra ſuperiorum librorum doctrinam afferri poſſent; tum verò nominatim quorumdam Scriptorum, qui nuper pro illa generali Regaliæ extenſione pugnarunt, ratiocinationes atque argumenta expendentur. Illos denique Epiſcopos, qui obſtiterunt, ne uſus Regaliæ in eorum Eccleſias inveheretur, ſuo munere præclarè functos eſſe probabitur, eámque agendi rationem in defendendis Eccleſiis iniiſſe, quæ non modo culpâ vacet, ſed multam laudem apud omnes probos atque Eccleſiaſticæ libertatis amantes mereatur.*

INDEX
LIBRORUM ET CAPITUM.

LIBER I. In quo explicatur, quid ſit Regalia. Ejus origo & progreſſus. fol. 1

CAPUT I. *De nomine Regaliæ, de varia ejus acceptione, & quid propriè ſit Jus Regaliæ.* fol. 1.

II. *Origo Regaliæ obſcura: Authorum de ea ſententia; in quo hallucinati: qua ratione in hoc Tractatu inveſtigabitur.* 4

III. *Regalia in prima Chriſtianiſſimorum Regum ſtirpe locum non habuit.* 8

IV. *Regalia toto tempore ſecundæ Regum ſtirpis ignota fuit.* 11

V. *Nullus Regaliæ locus fuit imperantibus primis tertiæ ſtirpis Regibus. Finitâ demum Inveſtiturarum controverſiâ ortum habuit.* 18

VI. *Quid ſint Inveſtituræ. Controverſia ea de re ortæ cauſa, progreſſus, finis.* 20

VII. *Quando propriè orta ſit? Cur ad univerſas Regni Provincias non ſit producta?* 24

VIII. *Obſervationes, quibus probatur, Regaliam ex feudis ortum traxiſſe.* 27

IX. *Quomodo Regalia ad Decimas atque alios univerſos vacantium Eccleſiarum reditus porrecta ſit.* 30

X. *Qua ratione Regalia ad Collationem Beneficiorum porrecta ſit.* 33

XI. *Antedictorum repetitio. Regalia non ita Regum ac ſupremorum Principum propria eſt, quin ad inferiores etiam Dynaſtas pertinuerit. In quibuſdam Abbatijs olim locum habuit.* 37

XII. *In Provincijs Regaliæ non obnoxijs Principes ſeu Dynaſtæ Eccleſiarum vacantium fructus ſæpe occupabant. Hunc perverſum uſum ipſimet Principes damnaverunt ac dimiſerunt.* 42

XIII. *Ut Reges Chriſtianiſſimi in moderanda Regalia ſe geſſerint. Ea minimè uſi in Eccleſijs, ubi jam à principio recepta non erat. Sancti Ludovici ea in re inſtitutum.* 46

XIV.

XIV. *Philippus III. in Regalia eandem quam S. Ludovicus moderationem adhibet. Concilij Lugdunenſis II. Generalis ea de re Decretum. Nulla in eo de Beneficiorum collatione mentio.* 49

XV. *Chriſtianiſſimorum Regum de Regalia Conſtitutiones, Decreto Concilij Lugdunenſis conſentientes.* 52

XVI. *Conſtitutio continens enumerationem Eccleſiarum, quæ Regaliæ obnoxiæ vel ab ea liberæ ſunt. Obſervationes in hanc Conſtitutionem. Aliæ ſimiles Eccleſiarum enumerationes.* 54

XVII. *Aliæ Regum de Regalia Conſtitutiones Regaliæ reditus ſacræ Capellæ attribuunt. Parlamenti Pariſienſis in hac materia Juris prudentia, Auctorúmque ſententia.* 59

XVIII. *Quando primum de Regalia per totum Regnum extendenda deliberatum ſit? Quibus vijs tentatum?* 64

XIX. *Cleri Gallicani querimoniæ. Edictum Henrici IV. Arreſtum Parlamenti Pariſienſis. Generalis de Regalia litis initium, & Progreſſus. Edictum Ludovici XIII. Ejuſdem litis continuatio. Edictum Regis feliciter regnantis, quo Regalia ad omnes Regni Eccleſias pertinere declaratur.* 69

XX. *Progreſſus Regaliæ in ſuis effectibus ac prærogativis, præſertim quod ad collationem Beneficiorum attinet.* 77

LIBER II. Quo demonſtratur, Regaliam, prout illam Miniſtri regij toto Regno propagare conantur, omni prorſus Juri contrariam eſſe, nec unquam, niſi ex Eccleſiæ conceſſione, idque appoſitis certis conditionibus, legitimè exerceri potuiſſe. fol. 86

CAPUT. I. *Juri divino & naturali latè ſumpto repugnat, ut Principes propria Auctoritate vacantium Eccleſiarum fructus, & Beneficiorum collationem ſibi vindicent.* fol. 86

II. *Regalia contraria eſt Juri Canonico.* 92

III. *Regalia Juri Civili adverſatur.* 98

IV. *Regalia nullo propriè Privilegio nititur. Qua ratione eam Concilium Lugdunenſe II. vel permiſit vel probavit. Expenditur hujus Concilij Decretum.* 101

V. *Collationes Beneficiorum, quæ ob Regaliam fiunt, à Concilio Lugdunenſi nequaquam approbatæ ſunt.* 106

VI. *Variæ circa collationem Beneficiorum regulæ expenduntur.* 111

VII. *Examinantur aliæ regulæ circa collationem Beneficiorum.* 122

VIII. *Regalia inter Eccleſiæ Gallicanæ Libertates nequaquam numeranda.* 132

INDEX.

LIBER III. In quo oſtenditur, quòd cùm Regalia in aliquibus tantum Galliæ Eccleſijs hactenus locum habuerit, jure fieri nequit, ut generalis evadat, atque ad univerſas Regni Eccleſias extendatur: quódque Epiſcopi & Capitula huic extenſioni, quantum in ipſis eſt, debent obſiſtere. fol. 135

CAPUT I. *Ex eo, quòd aliquot Galliarum Provinciæ & Eccleſiæ Regaliæ antea obnoxiæ non fuerint, rectè infertur, eas impoſterum huic oneri à Principibus ſubjici non poſſe.* *fol.* 135

II. *Decretum Concilij Lugdunenſis II. generalis maximi ponderis eſt ad confirmandam Eccleſiarum à Regalia immunium libertatem; ejuſque auctoritate omnes adverſariorum conatus & machinæ pelluntur. Certum eſt, in eo Decreto agi de Regalia.* 137

III. *Veteres ac novæ Regum Chriſtianiſſimorum Conſtitutiones, acta Cameræ computorum, & Parlamenti Pariſienſis Senatus-conſulta manifeſtè oſtendunt, Regaliam in Gallia non eſſe generalem.* 143

IV. *Quotquot ad hanc noſtram ætatem de Regalia ſcripſerunt, eam in Gallia generalem non eſſe, ſed ad certum Eccleſiarum numerum coarctari docuerunt.* 148

V. *Occitania Regaliæ nunquam obnoxia fuit.* 157

VI. *De Aquitania, Provincia, Delphinatu, alijſque Provincijs Regaliæ non obnoxijs.* 164

VII. *De mutuo jure Eccleſiæ Lugdunenſis in Auguſtodunenſem, & Auguſtodunenſis in Lugdunenſem, dum alterutra Paſtore orbatur. De Eccleſijs per contractus, aut per privilegia à Regalia liberatis.* 172

VIII. *Ex Regaliæ extenſione haud magnum Rex emolumentum capit. Hac extenſione non ſolum juſtitia & Eccleſiæ libertas violatur, ſed ex ea multa graviáque incommoda ſequuntur.* 176

IX. *Epiſcopi minimè aſſentiri poſſunt, ut Regalia in eorum Eccleſias ab eo onere hactenus liberas inducatur: ſed quantum in ipſis eſt, huic uſurpationi debent obſiſtere.* 183

X. *Epiſcopi fidelitatis Sacramentum in tabulas Cameræ computorum Pariſienſis, ex Edicto regio referre non poſſunt, quin Regaliam agnoſcant, eique expreſsè aſſentiantur. De Epiſcopis, qui poſt Edictum promulgatum, ſuum fidelitatis Sacramentum, præmiſſa conteſtatione, in tabulas Cameræ computorum referri curarunt. Item de ijs, qui ante Edicti promulgationem id præſtiterunt. Quid cenſendum de ijs, quorum Diœceſes per Privilegia à Regalia immunes ſunt.* 190

XI.

Digitized by Google

XI. *Epiſcopi Edicto de Regalia recuſantes parere, in regiam Majeſtatem nequaquam peccant, ſed potius eo ipſo ſuam Regi fidelitatem egregiè teſtantur. Quid in ſimilibus factis ſenſerint veteres ſanctique Epiſcopi.* 195

XII. *Quid reſpondendum ijs, qui idcirco parendum Edicto ajunt, quòd ſecus agendo nulla ſpes ſit quidquam proficiendi. Ejuſmodi conſideratio ſanctiſſimos quóſque Epiſcopos nequaquam prohibuit, quominus ſuo officio in ſimilibus caſibus fungerentur: & quo pacto eos nunc imitari oporteat.* 201

XIII. *Epiſcoporum eſt, malle extrema quaque pati, quam ſinere Eccleſias juribus ac libertatibus ſuis ſpoliari. Sanctorum Patrum ea de re ſenſus.* 206

XIV. *Sanctorum Epiſcoporum exempla, qui jus & immunitatem Eccleſiæ contra vim & uſurpationem Principum aliorúmve hominum præpotentium defenderunt.* 210

LIBER IV. In quo reſpondetur ad ea, quæ contra doctrinam ſuperiorum Librorum opponuntur, & expenduntur Argumenta, quibus nonnulli Regaliæ ad omnes Regni Eccleſias extenſionem, aliáque in hac materia contra priſtinum jus ac libertatem Eccleſiæ inducta, defendere conantur. fol. 219

CAPUT I. *Hujus libri argumentum. Falſitas duarum propoſitionum, quibus Regaliæ extenſio ad omnes Galliæ Eccleſias nititur.* fol. 219

II. *De Eccleſijs, quæ per privilegia & Regum conceſſiones à Regalia liberatæ ſunt: an in eis verum ſit, Regaliam alienationi aut præſcriptioni non ſubjacere.* 226

III. *Diſcutitur cujuſdam Scriptoris ſententia, qui nuper librum de Regalia edidit, in quo eam ex regia nominatione, quam Regibus Chriſtianiſſimis Concordata tribuerunt, neceſſariò ſequi contendit. Refertur ſummatim canonicarum Electionum hiſtoria, & quid in eis variatum ſit.* 232

IV. *De Epiſcoporum electionibus in Eccleſia Gallicana ſub prima & ſecunda Chriſtianiſſimorum Regum dynaſtia.* 242

V. *De electionibus canonicis ſub tertia Regum dynaſtia, uſque ad Concordatum Bononienſe. Ex hoc Concordato falsò & temere infertur, Regaliam generalem eſſe oportere.* 253

VI. *Expenduntur & refelluntur ea, quæ idem Auctor de extendenda in Abbatias Regalia ſcripſit.* 262

VII. *Expenduntur ea, quæ à Ludovico* Maimbourgo *Societatis Jeſu, pro extenſione Regaliæ in univerſos Regni Epiſcopatus afferuntur.* 266

Digitized by Google

VIII. *Fruſtra aliqui contendunt, Regaliam idcirco generalem eſſe oportere, quòd Reges Chriſtianiſſimi omnium regni ſui Eccleſiarum Cathedralium Patroni habeantur.* 276

IX. *Ratio ex rotunditate Coronæ adducta, aliaque ſimiles rationes ad Regis utilitatem in hac Regalia cauſa accommodata, vana ſunt ac futiles.* 282

X. *Alia objectio Officialium regiorum proponitur, & diſſolvitur.* 286

XI. *Expenduntur quidam Juris canonici textus, aliáque argumenta, quibus Regalia uſus in iis, quæ ad Beneficiorum collationem ſpectant, defenditur.* 289

XII. *Refelluntur, qui Regibus Chriſtianiſſimis conferendorum pleno jure Beneficiorum poteſtatem tribuunt, quòd in ſua inauguratione ſacro delibuti oleo Laicis excellere videantur.* 295

XIII. *Exceptioni regiorum Officialium occurritur, quâ opponunt cauſam Regaliæ, auditis partibus, primùm Parlamenti Pariſienſis ac regii Conſilii Arreſtis dijudicatam; deinde verò Ludovici XIV. feliciter regnantis Edicto finitam eſſe: huic Edicto Clerum Gallicanum paruiſſe; unde non amplius audiendos, qui ea de re litem movere vellent.* 297

XIV. *Refelluntur regii Officiales, qui contendunt hanc Regaliæ cauſam ad ſolam Parlamenti Pariſienſis, aut Conſilii Regis juriſdictionem ſpectaſſe; atque ideò lata ab eis judicia rata eſſe oportere.* 311

XV. *Epiſcopi, qui regio de Regalia Edicto parere detrectant, nequaquam propriæ cauſæ judicium ſibi ſumunt. Hæc eſt una è Cauſis Majoribus, de quibus frequens in Jure canonico mentio. Iidem Epiſcopi hac agendi ratione regni diſciplinam ac publicas leges minimè perturbant, neque debitam ab omnibus regiæ Majeſtati fidelitatem aut reverentiam violant.* 318

XVI. *Refelluntur, qui opponunt, unum tantum aut alterum Epiſcopum regio Edicto non obtemperaſſe, atque inde inferunt, eos culpa non carere.* 325

EPILOGUS OPERIS. fol. 330.

I. APPENDIX. *Confutatio cujuſdam Scripti, quo Regalia ad omnes Galliarum Eccleſias extenſio defenditur.* fol. 333

II. *Reſponſio ad alterum Scriptum.* 353

III. *Ex Teſtamento Politico Armandi Richelii S. E. R. Cardinalis Gallicè ſcripto ad Ludovicum XIII. Regem Chriſtianiſſimum.* 361

IV. *De Diſſertatione R. P. F. Natalis Alexandri Ordinis Prædicatorum ad canonem XII. Concilij Lugdunenſis II. Generalis.* 366

V. *Animadverſiones in Tractatum ſingularem de Regalijs, ſeu de juribus Regis in Beneficia Eccleſiaſtica, contra Pinſſonium.* 380

VI. *Conſtitutio* Dominus Rex. 405

VII. *Catalogus Eccleſiarum, quæ in Gallia vel Regaliæ obnoxiæ ſunt, vel ab ea liberæ.* 406

I. PRÆCIPUA DOCUMENTA Ad hanc Regaliæ cauſam ſpectantia, quæ ſuperſtitibus adhuc Reverendiſſimis Epiſcopis Alectenſi, & Appamienſi edita ſunt, quorum pleraque ex Gallico idiomate tranſlata ſunt in Latinum. fol. 414

I. Documentum. *Mandatum Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Nicolai Pavillon Epiſcopi Alectenſis contra eos, qui obtentu Regaliæ Alectenſis Eccleſiæ Beneficia occupabant.* fol. 414

II. *Epiſtola ejuſdem Epiſcopi Alectenſis ad Conventum Generalem Cleri Gallicani.* 417

III. *Epiſtola ejuſdem Epiſcopi Alectenſis ad Eminentiſſimum Cardinalem Petrum de Bonzy Archiepiſcopum Narbonenſem.* 420

IV. *Epiſtola ejuſdem Epiſcopi ad Dominum de Bezons Conſiliarium Status.* 421

V. *Secunda epiſtola ejuſdem Epiſcopi ad Eminentiſſimum Cardinalem de Bonzy Archiepiſcopum Narbonenſem.* 426

VI. *Prima epiſtola ejuſdem Epiſcopi Alectenſis ad Regem Chriſtianiſſimum.* 435

VII. *Mandatum ejuſdem Epiſcopi Alectenſis contra Dominum De Foix, &c.* 444

VIII. *Secunda epiſtola ejuſdem Epiſcopi Alectenſis ad Regem Chriſtianiſſimum.* 446

IX. *Prima epiſtola ejuſdem Epiſcopi Alectenſis ad S. D. N. Innocentium XI. Pontif. Max. Super Theologiæ Moralis corruptelis, &c.* 449

X. *Breve Sanctiſſimi D. N. Innocentij PP. XI. ad eundem Epiſcopum Alectenſ.* 455

XI. *Epiſtola encyclica ejuſdem Epiſcopi Alectenſis.* 456

XII. *Actus Appellationis ab eodem Epiſcopo Alectenſi ad Summum Pontif. &c.* 457

XIII. *Projectum Appellationis & Proteſtationis contra Mandatum, &c.* 458

XIV. *Tertia epiſtola ejuſdem Epiſcopi Alectenſis ad Regem Chriſtianiſſimum.* 469

XV. *Secunda Epiſtola ejuſdem Epiſcopi Alectenſis ad S. D. N. Innocentium XI. Summum Pontificem.* 471

XVI. *Mandatum Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi D. Franciſci Caulet Epiſcopi Appamienſis.* 472

XVII.

Digitized by Google

XVII. *Epiſtola ejuſdem Epiſcopi Appamienſis ad Regem Chriſtianiſſimum.* 474
XVIII. *Actus Capitularis Eccleſiæ Appamienſis contra Procuratorem Domini Paucet Regaliſtæ.* 478
XIX. *Actus ejuſdem Epiſcopi Appamienſis ad Archiepiſcopum Tholoſanum directus.* 479
XX. *Mandatum ejuſdem Epiſcopi Appamienſis, quo declarat, nuper à ſe editas Conſtitutiones contra Regaliſtas, &c.* 495
XXI. *Epiſtola Eminentiſſimi Cardinalis Cibo ad Epiſcopum Appamienſem.* 497
XXII. *Secunda epiſtola ejuſdem Epiſcopi Appamienſis ad Regem Chriſtianiſſ.* 498.
XXIII. *Epiſtola ejuſdem Epiſcopi Appamienſis ad Mag. Galliæ Cancellarium.* 505
XXIV. *Epiſtola ejuſdem Epiſcopi Appamienſis ad S. D. N. Innocentium PP. XI.* 511
XXV. *Breve S.D.N. Innocentij PP. XI. ad Epiſcopum Appamienſem.* 513
XXVI. *Breve S. D. N. Innocentij PP. XI. ad Archiepiſcopum Tholoſanum.* 514
XXVII. *Tertia epiſtola ejuſdem Epiſcopi Appamienſis ad Regem Chriſtianiſſ.* 517
XXVIII. *Epiſtola ejuſdem Epiſcopi Appamienſis ad D. Franciſcum de Harlay, Archiepiſcopum Pariſienſem.* 522
XXIX. *Epiſtola ejuſdem Epiſcopi Appam. ad P. de la Chaiſe Societatis Jeſu, &c.* 525
XXX. *Secundum Breve S. D. N. Innocentij PP. XI. ad Epiſcopum Appamienſ.* 530.
XXXI. *Epiſtola ejuſdem Epiſcopi Appamienſis ad D. de Harlay Procuratorem Generalem Parlamenti Pariſienſis.* 531
XXXII. *Tertium Breve S. D. N. Innocentij PP. XI. ad Epiſcopum Appamienſ.* 535
XXXIII. *Conſtitutio ejuſdem Epiſcopi Appamienſis.* 536
XXXIV. *Alia Conſtitutio ejuſdem Epiſcopi Appamienſis, &c.* 538
XXXV. *Sententia Excommunicationis ab eodem Epiſcopo Appamienſi, &c.* 541
XXXVI. *Conſtitutio ejuſdem Epiſcopi Appam. ad impediendam Regalia, &c.* 543
XXXVII. *Quartum Breve S. D. N. Innocentij PP. XI. ad Epiſcopum Appamienſ.* 550
XXXVIII. *Primum Breve S. D. N. Innocentij PP. XI. ad Regem Chriſtianiſſ.* 552
XXXIX. *Secundum Breve S.D.N. Innocentij PP. XI. ad Regem Chriſtianiſſ.* 558
XL. *Tertium Breve S. D. N. Innocentij PP. XI. ad Regem Chriſtianiſſimum.* 561
XLI. *Quartum Breve S. D. N. Innocentij PP. XI. ad Regem Chriſtianiſſimum.* 567

TRACTA-

Digitized by Google

TRACTATUS GENERALIS DE REGALIA

In quatuor Libros diſtributus.

LIBER PRIMUS.

In quo explicatur, quid ſit Regalia, Ejus origo & progreſſus.

CAPUT PRIMUM.

De nomine Regaliæ, de varia eius acceptione, & quid propriè ſit Jus Regaliæ.

1. CUm nomina ſint rerum ſigna, atque ab eorum explicatione unaquæque ſcientia quodammodo initium ſumat, optimum factu credimus, ut de Regaliæ jure Tractatum aggredientes, varias ejus nominis acceptiones præmittamus.

A 2. Primùm

Digitized by Google

2. Primùm vox *Regalia* in plurali ſignificat jura fiſcalia, veluti jus monetæ cudendæ, imperandi tributa, portoria, vectigalia ſupra merces mari fluvijſque advectas, & his ſimilia, quæ ſunt ſummi Imperij inſignia, queis nec Duces, nec Comites, nec Barones alijque Dynaſtæ uti poſſunt, niſi id eis peculiari Principis privilegio conceſſum fuerit; neque alia lege, quam ut ab ipſo Principe ejúſque Corona illa ſe jura habere profiteantur. Sic Regalia accipiuntur lib. 2. de Feudis tit. 56.

3. Secundo loco, eodem *Regalium* nomine deſignantur nobiliora Feuda, quæ Regiæ Coronæ ſine ullo medio ſubſunt. Ea autem initio erant prædia aut jura Regij patrimonij, quæ Principes militibus aut alijs hominibus ſibi charis utenda concedebant, ea lege, ut fide ac jurejurando ſe illis obſtringerent, eos ad bella comitarentur, aliáque certa officia præſtarent. Hinc ejuſmodi Feuda, interdum, ſumpto ex antiqua latinitate vocabulo, *Beneficia*, eáque *Regalia* nuncupantur, ut Capitular. lib. 3. c. 82. Epiſt. Callixti ſecundi ad Henricum V. Imperatorem, Epiſt. 14. Suggerij & alijs locis.

4. Tertiò, hoc nomine præcipuè notantur latifundia & nobiliſſimæ ditiones, quibus Chriſtianorum Principum pietate & magnificentia aucta eſt Eccleſia. Quo ſenſu temporales poſſeſſiones ac vicinæ urbi Provinciæ, quibus Eccleſia Romana ab Imperatoribus Chriſtianis, Pipino maximè & Carolo Magno Francorum Regibus, donata eſt, non ſolum Beati Petri Patrimonium, ſed ejuſdem Apoſtolorum Principis *Regalia* nuncupantur. Hæc ſignificatio frequens eſt apud Authores undecimi & duodecimi ſæculi, qui paſſim Regalia appellant Feuda in Eccleſias à Regibus, Ducibus, Baronibus alijſque nobilibus viris collata; quorum Inveſtituram Prælati à Principibus alijſque Dominis conſequebantur, atque eis certa ſervitia clientelæ nomine præſtabant. Hoc ſenſu

Regalia

Digitized by Google

Regalia uſurpantur in Reſcripto ſeu Privilegio Paſcalis ſecundi ad Henricum V. in Reſcripto Callixti ſecundi ad eundem Imperatorem poſt Concilium Lateranenſe anno 1122. habitum; in Epiſtola Friderici primi Imperatoris ad Hadrianum IV. Pontificem: in Conſtitutione Friderici II. Imperatoris ad annum 1212. Apud S. Bernardum Epiſt. 164. 170. Item ſerm. ad Paſtores circa finem: Suggerium Epiſt. 20. Innocentium III. lib. 1. Epiſt. 190. lib. 2. ep. 52. lib. 3. epiſt. 106. 107. 120.

5. Denique, ut alias vocabuli ſignificationes ab hoc argumento alienas omittam, vox *Regalia* in ſingulari, quæ facta eſt uſu ſubſequente communior, jus quoddam ſingulare deſignat, quo Rex omnibus vacantis Eccleſiæ proventibus, qui ad Epiſcopum ſpectabant, fruitur, & omnia, præter Parochias, Beneficia, quæ de ejus collatione erant, pleno jure confert, quouſque novus Epiſcopus fidelitatis Sacramentum præſtet, Epiſcopatus poſſeſſionem ineat, alijſque claudendæ Regaliæ neceſſarijs perfungatur.

6. Regalia itaque hoc poſtremo ſenſu, quo propriè in hoc Tractatu conſideratur, duo omnino diſparata complectitur. Primum eſt redituum temporalium, vacante Epiſcopatu, perceptio: Alterum, Beneficiorum omnium, à quibus abeſt animarum cura, pleno jure collatio. Inde orta eſt apud Juris-Conſultos Gallos duplicis Regaliæ diſtinctio, quam tradit Ægidius *le Maiſtre*, in Parlamento Pariſienſi Protopræſes Tract. de Regalia c. 1. in *temporalem* videlicet, quæ fructuum perceptione continetur; & in *ſpiritualem*, quæ ad Beneficiorum collationem ſe extendit. Quæ quidem duo jura cum reipſa penitus invicem diſcrepent, neque ullâ verâ inter ſe ſimilitudine jungantur: qui rejecta hac diſtinctione unicam tantum Regaliæ ſpeciem ſtatuunt, ut Petrus Pithæus in Collectione libertatum Eccleſiæ Gallicanæ art. 76. nihil

aliud agere videntur, niſi ut duo toto cœlo diverſa, uno eodémque nomine involvant.

CAPUT II.

Origo Regaliæ obſcura: Authorum de ea ſententiæ: in quo hallucinati: qua ratione in hoc Tractatu inveſtigabitur.

1. PErobſcura quidem & admodum perplexa eſt Regaliæ origo, non ſolum ſi tempus ortus, verum etiam ſi cauſas, ex quibus initium cepit, ſpectes. Stephanus Paſquerius ſcientia & eloquentia poſteriore ſæculo clariſſimus, qui tam accuratè in antiquos Galliæ uſus moréſque inquiſivit, lib. 3. Diſquiſitionum ſuarum cap. 37. neminem à ſe repertum fatetur, qui de Regaliæ origine, ut par eſt, diſſeruerit: *Nec mirum*, inquit, *ſi qua enim obſcuritas in rerum noſtrarum hiſtoria, hic maximè occurrit.*

2. Quidam Regaliæ jus Clodovæo auctoritate Concilij Aurelianenſis I. anno quingenteſimo undecimo celebrati, in gratiam ac remunerationem victoriæ ab eo de Wiſigothis Eccleſiæ hoſtibus relatæ, attributum putant. Alij cæpiſſe exiſtimant Rege Carolo Magno, cui Adrianus I. Pontifex, in Concilio Romæ habito, Epiſcopatuum Inveſtituras, in quibus Regalia continebatur, permiſerit, quam in rem Canonem *Adrianus*, in Decretum Gratiani relatum, citant. Nonnulli Regij Miniſtri alijque ſcriptores curiæ ac fori placitis innutriti, quò majorem huic juri ſanctitatem ac reverentiam concilient, coævum Monarchiæ non dubitant aſſerere, cum ea natum adoleviſſe, Regiæque coronæ velut adamantem jam inde à principio Regni intextum eſſe, adeóque non magis à Chriſtianiſſimorum Regum Majeſtate, quam à ſole lucem ſeparari poſſe.

3. Quoſdam

Digitized by Google

3. Quoſdam denique Auctores reperias, qui cùm animadvertant incertum omnino atque obſcurum eſſe, quo tempore quave ratione Regalia cæperit, id myſterio deputant, ut Renatus Chopinus lib. 1. de ſacra Politia tit. 7. n. 3. Paponius in ſua Arreſtorum collectione lib. 2. tit. 3. qui idcirco eam Judæorum cabalæ, quæ majorum traditione nitebatur, comparant, aut Pythagoræ dogmatis, quæ non ratione aut argumentis, ſed ſola docentis auctoritate confirmabantur. Addit Franciſcus Pinſonius Advocatus Pariſienſis hujus temporis ſcriptor: *Similem eam eſſe Ægyptiaco Nilo; cujus eo nobilior eſt curſus, quod origo latet, & uſque hodie incognita permanſit.*

4. Hæc porro ſententiarum varietas inde potiſſimum profecta eſt, quòd Regaliæ ortum inveſtigaturi, eam ſibi talem ab initio finxerunt, qualis nunc cernitur, eaſdémque illi dotes ac prærogativas naſcenti aſſignarunt, quibus, poſtquam adolevit, cumulata eſt. Imò quæ Regaliæ ortus cauſam, ac deinceps incrementum nováſque vires præbuerunt, ea permixtè pro ipſa Regalia habuêre. Aliâ itaque viâ hæc nobis quæſtio explicanda eſt. Primùm quid propriè in ſuo ortu fuerit Regalia, oſtendemus: tum verò quibus acceſſionibus mirum in modum creverit, ut jam in aliam tranſijſſe naturam jure merito videatur; ſimilis planè rivulo, qui è tenui fonte ortus, ita paulatim eundo, aliarum aquarum acceſſione, creſcit, ut non ſolum in ſuo curſu navibus ferendis par ſit, ſed tandem in ingentem aliquem & quaſi immenſum lacum deſinat. Inprimis verò demonſtrabimus, quî factum ſit, ut ſimul atque exorta eſt, non in omnibus Regni provincijs, ſed in aliquibus tantum locum habuerit, quibúſque conditionibus ab Eccleſia permiſſa fuerit aut tolerata. Unde facile erit colligere, quid ſtatuendum ſit de præcipua hujus controverſiæ quæſtione, utrum videlicet Jus Regaliæ univerſim ad

Digitized by Google

omnes Regni Eccleſias, an verò ad aliquas tantum Provinciás ac certo numero definitas Diœceſes extendatur.

CAPUT III.

Regalia in prima Chriſtianiſſimorum Regum ſtirpe, locum non habuit.

1. NEmini dubium eſt, quin cùm Magnus Clodovæus cæterique Franci fidem Chriſtianam, exeunte quinto Sæculo, amplexi ſunt, Eccleſia Gallicana ad normam Canonum in quatuor Oecumenicis Concilijs alijſque ſynodis conditorum, quibus jus commune Eccleſiaſticum conſtabat, regeretur: quod quidem toto hujus primæ ſtirpis tempore, ſpeciatim in adminiſtrandis vacantium Eccleſiarum fructibus, obtinuit. Sive enim tum vetere illo Codice, qui *Corpus Canonum*, vel *Codex Canonum Eccleſiæ Romanæ*, appellabatur, uſa ſit Eccleſia Gallicana; ſive peculiarem ſibi Codicem, additis deinceps Conciliorum Galliæ Canonibus, conſtituerit: ſive etiam, ineunte ſexto Sæculo, Collectionem Canonum à Dionyſio Exiguo congeſtam in uſum admiſerit; vel potius peculiari ſuo Codici, ut quidam exiſtimant, tandiu adhæſerit, dum illam Dionyſij Collectionem ab Adriano I. ad Carolum Magnum miſſam, acceptam ratámque habuit; certiſſimum eſt, imperantibus primæ ſtirpis Regibus, obſervatos eſſe in Gallia Canones Concilij Calcedonenſis, cujus auctoritas univerſim invaluerat, & ad eorum normam Eccleſias in hoc Regno compoſitas fuiſſe.

2. Jam verò Calcedonenſium Canonum vigeſimo quinto agitur de adminiſtrandis vacantium Eccleſiarum bonis, quo quidem non tam nova conſtitutio, quam veteris conſuetudinis, quæ ubique jam recepta erat, confirmatio continetur.

Ipſa

Digitized by Google

Ipſa Canonis verba libet hic referre: Ἐπειδὴ δέ τινες τῶν μητροπολιτῶν, ὡς περιηχήθημεν, ἀμελοῦσι τῶν ἐγκεχειρισμένων αὐτοῖς ποιμνίων, καὶ ἀναβάλλονται τὰς χειροτονίας τῶν Ἐπισκόπων, ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ, ἐντὸς τριῶν μηνῶν γίνεσθαι τὰς χειροτονίας τῶν Ἐπισκόπων, εἰ μήποτε ἄρα ἀπαραίτητος ἀνάγκη παρασκευάσῃ ἐπιταθῆναι τὸν τῆς ἀναβολῆς χρόνον. Εἰ δὲ μὴ τοῦτο ποιήσῃ, ὑποκεῖσθαι αὐτὸν κανονικῷ ἐπιτιμίῳ. Τὴν μέντοι πρόσοδον τῆς χηρευούσης Ἐκκλησίας σώαν φυλάττεσθαι παρὰ τῷ Οἰκονόμῳ τῆς Ἐκκλησίας. [*Quoniam nonnulli Metropolitani, ut ſæpe à nobis auditum eſt, & greges ſibi commiſſos negligunt, & Epiſcoporum ordinationes differunt: ſanctæ Synodo placuit, ut intra tres menſes Epiſcoporum ordinationes fiant, niſi inexorabilis utique neceſſitas effecerit, ut dilationis tempus prorogetur: ſi autem hoc non fecerint, eos Eccleſiaſticæ pœnæ ſubijci. Viduæ verò Eccleſiæ redditum apud Eccleſiæ Oeconomum ſalvum cuſtodiri.* Concil. Calced. can. 25.

3. Colligitur ex hoc Canone, id quod etiam multis alijs ejuſdem ſæculi monumentis patet, fuiſſe in qualibet Diœceſi Oeconomum, penes quem erat bonorum Eccleſiæ adminiſtratio. Quamvis enim hæc in Epiſcopi eſſent poteſtate, ejuſque nutu atque auctoritate diſpenſarentur, non illa tamen per ſeipſum, ſed per Diaconum aut Presbyterum, Oeconomi titulo à Clero electum, procurabat: primùm ut ſacris functionibus, exemplo Apoſtolorum, liberius vacaret: deinde ut omnem avaritiæ ſuſpicionem in erogandis bonis effugeret: poſtremò ut ſacrorum proventuum in alienos uſus convertendorum omnis illi occaſio præcideretur. Huic ergo Oeconomo præcipuè id oneris Calcedonenſe Concilium imponit, ut perceptos Eccleſiæ viduatæ proventus futuro Epiſcopo magna diligentia ſervet.

4. Quin hoc jure Eccleſiæ in Gallia uterentur, nemo dubitaverit. Siquidem Archidiaconus, qui Oeconomi loco

erat,

Digitized by Google

erat, & Presbyteri, defuncto Epiſcopo, res Eccleſiæ curabant, fructúſque futuro mox ſucceſſori aſſervabant. Id patet ex decreto ea de re facto in Concilio Regenſi anno quadringenteſimo trigeſimo nono habito. Cùm enim, vacante ſede frequenter turbæ in Clero excitarentur, nec ijsdem ſedandis Archidiaconus aut civitatis Presbyteri, ea, qua pollebant auctoritate, pares eſſent, vetitum eſt can. 6. *Nequis ad eam Eccleſiam, quæ Epiſcopum perdidiſſet, niſi vicinæ Eccleſiæ Epiſcopus exequiarum tempore accederet, qui Viſitatoris vice tamen ſtatim Eccleſiæ ipſius curam diſtrictiſſimè gereret, ne quid ante ordinationem diſcordantium in novitatibus Clericorum ſubverſioni liceret. Itaque cùm tale aliquid accidit, vicinis vicinarum Eccleſiarum inſpectio, recenſio, deſcriptióque mandatur.*

5. Huic Regenſium Patrum Canoni geminus eſt Canon ſextus Concilij Aurelianenſis ſecundi anno quingenteſimo trigeſimo tertio his verbis: *Ut Epiſcopus qui ad ſepeliendũ Epiſcopum venerit, evocatis Presbyteris in unum, domum Eccleſiæ adeat, deſcriptámque idoneis perſonis cuſtodiendam ſub integra diligentia derelinquat, ut res Eccleſiæ ullorum improbitate non pereant.*

6. Denique Concilium Pariſienſe v. anno ſexcenteſimo decimo quinto Clotario ſecundo Rege celebratum, can. 7. vetat, ne quis defuncto Epiſcopo, res Eccleſiæ ſeu ipſius Epiſcopi, quovis prætextu, occupet: *Defuncto*, inquit, *Epiſcopo, Presbytero vel Diacono vel quoquam junioris ordinis Clerico, non per præceptum, neque per judicium, neque per Judicem, neque per qualemcunque perſonam res Eccleſiæ vel eorum propria à nullo penitus contingantur. Sed ab Archidiacono vel Clero in omnibus defenſentur & conſerventur. Quod ſi quis immemor definitionis hujus, temere aliquid exinde auferre præſumpſerit, aut auſu temerario in res ipſas ingreſſus fuerit, & de dominatione Eccleſiæ abſtulerit, ut necator pauperum communione privetur.*

7. Ex

Digitized by Google

Ex his patet, durante prima Regum ſtirpe, ignotum penitus fuiſſe jus Regaliæ, déque illo neminem ne per ſomnium quidem cogitaſſe; cùm tunc ubique moris fuerit, obvenientes vacantium Eccleſiarum fructus, juxta decretum Concilij Calcedonenſis, futuro reſervare Epiſcopo.

8. Non diffitendum tamen, quin bona Eccleſiarum jam tum à Laicis occupari cæperint, quandoquidem nonnulli primæ ſtirpis Reges illa ſuis militibus atque aulicis tradidiſſe leguntur: id quod jam inde à Clodovei tempore, dum Regnum bello flagraret, contigiſſe indicat Concilium Pariſienſe III. anno 557. celebratum, Canone I. Verùm hæc nihil ad Regaliam, cùm ad tempus vacantium Eccleſiarum non referantur, & aperta vi nullóque juris ordine fierent; hanc ſacrilegam rapinam Eccleſia ſuis decretis damnante, ac Deo ſæpe manifeſtis etiam pœnis vindicante.

9. Notatu digna ſunt verba, quibus hunc abuſum anno quingenteſimo trigeſimo tertio damnavit Concilium Arvernenſe can. 5. *Qui reiculam*, inquit, *Eccleſiæ petunt à Regibus, & horrendæ cupiditatis impulſu egentium ſubſtantiam rapiunt, irrita habeantur quæ obtinent, & à communione Eccleſiæ, cujus facultatem auferre cupiunt, excludantur.*

10. De eodem abuſu ſic loquitur Concilium Aurelianenſe IV. anno quingenteſimo quadrageſimo primo habitum, can. 25. *Si quis Clericus aut Laicus ſub Potentum nomine atque patrocinio res ad jus Eccleſiæ pertinentes, contempto Pontifice, petere ſeu poſſidere præſumpſerit, primum admoneatur, quæ abſtulit civiliter reformare, aut certè judicium Sacerdotis ſui opperiri, ut poſcit Religio. Quod ſi in pervaſionis pertinacitate perſiſtit, ab Eccleſiæ liminibus arceatur, donec cum ſatisfactione juſtiſſima pervaſa aut occupata reſtituat.*

Digitized by Google

erat, & Presbyteri, defuncto Epiſcopo, res Eccleſiæ curabant, fructúſque futuro mox ſucceſſori aſſervabant. Id patet ex decreto ea de re facto in Concilio Regenſi anno quadringenteſimo trigeſimo nono habito. Cùm enim, vacante ſede frequenter turbæ in Clero excitarentur, nec ijſdem ſedandis Archidiaconus aut civitatis Presbyteri, ea, qua pollebant auctoritate, pares eſſent, vetitum eſt can. 6. *Ne quis ad eam Eccleſiam, quæ Epiſcopum perdidiſſet, niſi vicinæ Eccleſiæ Epiſcopus exequiarum tempore accederet, qui Viſitatoris vice tamen ſtatim Eccleſiæ ipſius curam diſtrictiſſimè gereret, ne quid ante ordinationem diſcordantium in novitatibus Clericorum ſubverſioni liceret. Itaque cùm tale aliquid accidit, vicinis vicinarum Eccleſiarum inſpectio, recenſio, deſcriptióque mandatur.*

5. Huic Regenſium Patrum Canoni geminus eſt Canon ſextus Concilij Aurelianenſis ſecŭndi anno quingenteſimo trigeſimo tertio his verbis: *Ut Epiſcopus qui ad ſepeliendŭ Epiſcopum venerit, evocatis Presbyteris in unum, domum Eccleſiæ adeat, deſcriptámque idoneis perſonis cuſtodiendam ſub integra diligentia derelinquat, ut res Eccleſiæ ullorum improbitate non pereant.*

6. Denique Concilium Pariſienſe v. anno ſexcenteſimo decimo quinto Clotario ſecundo Rege celebratum, can. 7. vetat, ne quis defuncto Epiſcopo, res Eccleſiæ ſeu ipſius Epiſcopi, quovis prætextu, occupet: *Defuncto*, inquit, *Epiſcopo, Presbytero vel Diacono vel quoquam junioris ordinis Clerico, non per præceptum, neque per judicium, neque per Judicem, neque per qualemcunque perſonam res Eccleſiæ vel eorum propria à nullo penitus contingantur. Sed ab Archidiacono vel Clero in omnibus defenſentur & conſerventur. Quod ſi quis immemor definitionis hujus, temere aliquid exinde auferre præſumpſerit, aut auſu temerario in res ipſas ingreſſus fuerit, & de dominatione Eccleſiæ abſtulerit, ut necator pauperum communione privetur.*

7. Ex

Ex his patet, durante prima Regum ſtirpe, ignotum penitus fuiſſe jus Regaliæ, déque illo neminem ne per ſomnium quidem cogitaſſe; cùm tunc ubique moris fuerit, obvenientes vacantium Eccleſiarum fructus, juxta decretum Concilij Calcedonenſis, futuro reſervare Epiſcopo.

8. Non diffitendum tamen, quin bona Eccleſiarum jam tum à Laicis occupari cæperint, quandoquidem nonnulli primæ ſtirpis Reges illa ſuis militibus atque aulicis tradidiſſe leguntur: id quod jam inde à Clodovei tempore, dum Regnum bello flagraret, contigiſſe indicat Concilium Pariſienſe III. anno 557. celebratum, Canone I. Verùm hæc nihil ad Regaliam, cùm ad tempus vacantium Eccleſiarum non referantur, & aperta vi nullóque juris ordine fierent; hanc ſacrilegam rapinam Eccleſia ſuis decretis damnante, ac Deo ſæpe manifeſtis etiam pœnis vindicante.

9. Notatu digna ſunt verba, quibus hunc abuſum anno quingenteſimo trigeſimo tertio damnavit Concilium Arvernenſe can. 5. *Qui reiculam*, inquit, *Eccleſiæ petunt à Regibus, & horrendæ cupiditatis impulſu egentium ſubſtantiam rapiunt, irrita habeantur quæ obtinent, & à communione Eccleſiæ, cujus facultatem auferre cupiunt, excludantur.*

10. De eodem abuſu ſic loquitur Concilium Aurelianenſe IV. anno quingenteſimo quadrageſimo primo habitum, can. 25. *Si quis Clericus aut Laicus ſub Potentum nomine atque patrocinio res ad jus Eccleſiæ pertinentes, contempto Pontifice, petere ſeu poſſidere præſumpſerit, primum admoneatur, quæ abſtulit civiliter reformare, aut certè judicium Sacerdotis ſui opperiri, ut poſcit Religio Quod ſi in pervaſionis pertinacitate perſiſtit, ab Eccleſiæ liminibus arceatur, donec cum ſatisfactione juſtiſſima pervaſa aut occupata reſtituat.*

B 11. Neque

11. Neque remiſſius ea de re decernit ſupra memoratum Concilium Pariſienſe III. can. I. ubi nominatim obſervat, eos qui proximè elapſo Regno à Principe, videlicet Clodoveo, Eccleſiaſticas poſſeſſiones utendas acceperant, vix ullum ex ijs emolumentum percepiſſe, immatura morte in pœnam ſacrilegæ direptionis extinctos. *Accidit*, inquit, *ut temporibus diſcordiæ ſub permiſſione bonæ memoriæ Domni Clodovei Regis res Eccleſiarum aliqui competiſſent, ipſáſque res improviſa morte collapſi proprijs hæredibus liquiſſent. Placet quoniam res Dei, quæ auctores eorum* (hæredum) *maturata morte credendæ ſunt peremiſſe, non debent filij ulterius poſſidere.*

12. Contingebat etiam nonnunquam priſcis illis temporibus, ut Reges Eccleſiaſtica bona in proprios uſus converterent, aut Epiſcopis & Clericis, publicæ neceſſitatis obtentu, tributa imperarent: quam in rem memorabile illud de Clotario I. à Gregorio Turonenſi refertur lib. 4. hiſtor. n. 2. *Clotarius Rex indixerat, ut omnes Eccleſiæ Regni ſui tertiam partem fructuum fiſco diſſolverent. Quod licet inviti cùm omnes Epiſcopi conſenſiſſent, atque ſubſcripſiſſent, viriliter hoc Injurioſus* (Turonenſis Epiſcopus) *reſpuens, ſubſcribere dedignatus eſt, dicens: ſi volueris res Dei tollere, Dominus Regnum tuum velociter auferet; quia iniquum eſt, ut pauperes, quos tuo debes alere horreo, ab eorum ſtipe tua horrea repleantur. Et iratus contra Regem, nec valedicens abſceſſit. Tunc commotus Rex, timens etiam virtutem Beati Martini.... miſit poſt eum cum muneribus veniam precans, & hoc, quod fecerat, damnans, ſimúlque rogans, ut pro ſe virtutem Beati Martini Antiſtitis exoraret.*

13. Verùm ſive Reges illa ætate Eccleſiæ bona Laicis utenda in feudum darent, ſive proventuum partem ſuo ærario vindicarent, clarum eſt, id ab eis violentia factum eſſe, nec ulla ratione ad Regaliam, prout nunc accipitur, referri poſſe,

cujus

Digitized by Google

cujus revera ne nomen quidem multis poſt ſæculis notum fuit, ut mox oſtendemus.

CAPUT IV.

Regalia toto tempore ſecundæ Regum ſtirpis ignota fuit.

1. A Prava illa Laicis tradendorum Eccleſiæ bonorum conſuetudine, quæ à primæ ſtirpis Regibus inducta erat, ſecundæ ſtirpis Reges non diſceſſerunt. Quin etiam, malo indies latius manante, eò res evaſit, ut Principes non Eccleſiarum ſolum fundos & prædia, ſed Abbatias quoque & Epiſcopatus ipſos militibus ſuis ac miniſtris poſſidendos atque utendos darent. Primus creditur Carolus Martellus decimas Eccleſiaſticas aliáſque ſacras poſſeſſiones ducibus ſuis ac militibus, quorum ope diuturna maximáque bella confecerat, promiſcuè tradidiſſe. Id quod adhuc continuatum eſt imperantibus Carolo Magno, Ludovico Pio, & Carolo Calvo: quanquam Carolum Magnum & Ludovicum Pium id rarius atque invito animo feciſſe hinc probari poſſit, quòd huic malo, editis nonnullis Capitularibus, mederi conati ſunt. At Carolo Calvo regnante, quantum hac ſacrorum bonorum direptione afflicta fuerit Eccleſia Gallicana, vix verbis explicari poſſet.

2. Porro tametſi hi Imperatores & nonnulli deinde Reges tam perverſa atque indigna adverſus Eccleſiam perpetrarent, certiſſimum eſt, eos nequaquam Eccleſiarum vacantium fructus, quaſi aliquo ſibi jure debitos, arrogaſſe. Imò conſtat, publici tunc juris atque uſus fuiſſe, ut ejuſmodi fructus penes Archidiaconos, viſitatores ſeu Oeconomos à Metropolitis deputatos remanerent, qui illos, ex præſcripto Concilij

cilij Calcedonenſis, futuro redderent Epiſcopo. Quin etiam obſervatu dignum eſt, eoſdem illos Imperatores, quorum auctoritate vel diſſimulatione & ignavia tam fædus in Eccleſiam abuſus irrepſerat, multas Baſilicas & Abbatias ſuis ſumptibus exædificaſſe, ampliſſimíſque donaſſe proventibus, frequentes Epiſcoporum ſynodos habuiſſe, ac multas præclaras leges, cum inſtaurandæ diſciplinæ, tum etiam Eccleſiarum bonis facultatibúſque tuendis perutiles promulgaſſe.

3. Plurimæ ejuſmodi Conſtitutiones in Capitularibus horum Principum habentur. Carolus Magnus in Collectione à Stephano Baluzio edita ſub anno 814. cap. XII. de facultatibus Eccleſiarum ſic ſtatuit: *Omnia quæ Deo offeruntur, procul dubio & conſecrantur: & non ſolum ſacrificia, quæ à Sacerdotibus ſuper altare conſecrantur, oblationes fidelium dicuntur, ſed quidquid ei à fidelibus offertur ſive in agris . . . mobilibus & immobilibus, vel quæcumque de his rebus ad laudem Dei fiunt vel ſupplementum ſanctæ Eccleſiæ ejúſque Sacerdotibus atque ornatum præſtare poſſunt, Deo Eccleſiæq́ ſuæ à quibuſcunque ultro offeruntur, Domino indubitanter conſecrantur, & ad jus pertinent Sacerdotum. Et quia Chriſtum & Eccleſiam unam perſonam eſſe veraciter agnoſcimus, quæcumque Eccleſiæ ſunt, Chriſti ſunt; & quæ Eccleſiæ vel in ſupradictis vel in quibuſcunque ſpeciebus, ſive pollicitationibus, ſive pignoribus, ſive ſcriptis, ſive corporalibus rebus offeruntur, Chriſto offeruntur. Et quæ ab Eccleſia ejus quocunque commento alienantur vel tolluntur, ſive alienando, ſive vaſtando, ſive invadendo, ſive minorando, ſive diripiendo, Chriſto tolluntur. Et ſi ab amico quippiam rapere furtum eſt, præcipuè Chriſto Domino noſtro, qui eſt Rex Regum & Dominus Dominantium, aliquid auferre vel alienare vel ſubripere, vel vaſtare, ſacrilegium.* Libro ſexto capitulo 427. hæc leguntur: *Omnibus nos ipſos corrigentes, poſteriſque noſtris exemplum dantes, generaliter interdicimus, ut nullus Laicus homo vel Imperator vel*

Rex, aut aliquis Præfectorum vel Comitum ſæculari poteſtate fultus ſibi per violentiam rapiat, aut à nobis competere vel quocunque modo invadere præſumat, Monaſterium aut prædia, vel quaſcunque res de poteſtate Epiſcopi, vel Abbatis aut Abbatiſſæ.

4. Concilium Pontigonenſe anno octingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Carolo Calvo Imperatore celebratum, decernit can. 14. *Ut quoties divinum judicium Eccleſiæ Præſulem à ſæculo vocaverit, nullus ad ſuimet perditionem facultates ejus invadat, diripiat & ad uſus ſuos transferat; ſed Erogatariјs & Eleemoſynariјs Eccleſiaſticis cum ipſius Eccleſiæ conſtituto Oeconomo liberum ſit Canonico more, juſtè rationabilitérque deputata ſucceſſuro ſervare & quibuſcunque ſicut expedit, pro ejus ſpiritu diſtribuere.* Quod quidem decretum antea eodem anno in Concilio Ticini habito coram Carolo ſtatutum fuerat, & inter Capitularia hujus Imperatoris nomine promulgata reperitur.

5. Idem fere anno ſequente in Conventu Cariſiaci habito ſancitum fuit, ut habetur in Capitularibus Caroli Calvi tit. 53. c. 8. his verbis: *Si quis Epiſcopus interim obierit, Archiepiſcopus ipſi ſedi Viſitatorem, ſecundum ſacros Canones, deputet, qui unà cum Comite eandem Eccleſiam, ne prædetur, cuſtodiat.*

6. Concilium Troslejanum in Diœceſi Sueſſionenſi anno nongenteſimo nono congregatum, can. 1. invehitur in eos, qui defunctorum Epiſcoporum domos compilabant, & Eccleſiarum vacantium bona invadebant, præcedentium ea de re Conciliorum decreta confirmans. *Quia,* inquit, *inter noſtrates hic peſſimus inolevit mos, ut defuncto Eccleſiæ Epiſcopo, mox à quibuſcumque potentioribus pervadantur res Eccleſiaſticæ, quaſi Epiſcopi fuerint propriæ; cùm etiamſi ejus eſſent, contra omne jus id fieret: hoc tam immane ſacrilegiј facinus, & jam ſæpius factum dolemus, & ne ulterius à quolibet præſumatur, auctoritate Dei & Sanctorum ejus, qui cum illo regnant in cœlo, noſtro etiam Epiſcopali miniſte-*

rio . . . . interdicimus. Unde inter cæteras de hac re Canonum Conſtitutiones in Concilio Valentino can. 12. ita ſcribitur : Hoc etiam placuit, ut Epiſcopo ab hoc ſæculo, jubente Domino, accerſito, Clerici ab omni omnino ſupellectili, vel quæcumque ſunt in domo Eccleſiæ vel Epiſcopi, in libris, in ſpeciebus, utenſilibus, vaſculis, frugibus, gregibus, animalibus, vel omni omnino re, rapaces manus abſtineant. . . . . Quod ut confidentius juſtitia manente ſervetur, ſecundum Regenſis ſynodi conſtituta, Epiſcopo è corpore recedente, vicinior illi accedat Epiſcopus, qui ex more, exequiis celebratis, ſtatim Eccleſiæ illius curam diſtrictiſſimè gerat, ne quid ante ordinationem Pontificis futuri remanentium Clericorum ſubverſioni vel direptioni jam liceat : ita ut de repertis omnibus inſpectio certior deſcriptióque fideliſſima, ſi fieri poteſt, intra octavas defuncti, ſub diligentia præſentis Epiſcopi peragatur. De hinc ad Metropolitani notitiam habita ordinatè deſcriptio deferatur ; ut ex ejus electione talis Perſona ordinandæ Domui Eccleſiaſticæ procuretur, quæ vel conſueta Clericis ſtipendia diſpenſet, & creditarum ſibi rerum, ſi forſitan tarditas in ordinando Epiſcopo ſucceſſerit, Metropolitano congruis temporibus reddere poſſit rationem.

7. Verùm illius ætatis diſciplinam moréſque Galliæ in adminiſtrandis vacantium Eccleſiarum bonis nemo clarius aut diſertius teſtatur, quam Hincmarus Remenſium Archiepiſcopus, celeberrimus eo ſæculo Præſul Juríſque Canonici conſultiſſimus. Is in Epiſcopos & Proceres Provinciæ Remenſis num. 41. ſic loquitur : *Sicut Epiſcopus & ſuas & Eccleſiaſticas facultates ſub debita diſcretione in vita ſua diſpenſandi habet poteſtatem ; ita facultates Eccleſiæ viduatæ, poſt mortem Epiſcopi, penes Oeconomum integræ conſervari jubentur futuro ejus ſucceſſori Epiſcopo : quoniam res & facultates Eccleſiæ non in Imperatorum atque Regum poteſtate ſunt ad diſpenſandum, vel invadendum, vel diripiendum ; ſed ad defenſandum atque tuendum. Sunt enim*

ſanctuaria

ſanctuaria & hæreditas Domini, ſicut & in veteris & novi Teſtamenti ſanctarum ſcripturarum paginis legimus.

8. Idem Epiſtola 21. ſcribens ad Epiſcopos Concilij Sueſſionenſis acriter inſectatur Vulfadum, qui contra Canones in vacantem Eccleſiam Lingonenſem obrepſerat, ejúſque facultates in ſuos uſus convertebat: *Lingonenſem*, inquit, *Eccleſiam Paſtore viduatam, ut ibi ordinaretur Epiſcopus ſub nomine vocati Epiſcopi uſurpare præſumpſit, ejúſque facultates, quæ ſecundum Calcedonenſe Concilium penes Oeconomum futuro debuerant reſervari Epiſcopo, ſuis ſuorúmque uſibus arrogavit.*

9. Epiſtola 45. agens de Actardo Nannetenſi Epiſcopo in Metropolitanam Turonum Eccleſiam intruſo, hæc habet: *Magnum Calcedonenſe Concilium defuncto ſuo Epiſcopo viduatam Eccleſiam vocat, cujus redditus penes Oeconomum futuro reſervari jubet Epiſcopo, nec ab alijs quibúſque, vel vivente vel defuncto cujuſcumque Civitatis Epiſcopo, uſurpari vel peſſumdari..... Hæc idcirco de rebus & facultatibus Eccleſiæ viduatæ ſub Oeconomo futuro reſervandis Epiſcopo hic interpoſuimus; ut attendat de quo agitur Epiſcopus,* (Actardus) *quia ſi nemini Chriſtiano eas licet præſumere, multo minus idem Epiſcopus ſine ſui ſtatus periculo ac animæ detrimento Eccleſiæ invaſæ res & facultates prævalet uſurpare.*

10. Poſtremò idem Archiepiſcopus ſcribens ad Ludovicum III. Galliæ Regem Epiſt. 12. c. 1. petén ſque ab eo, ut Eccleſiæ Belluacenſi liberam relinquat eligendi Epiſcopi facultatem, manifeſtè declarat, Reges ac Principes non idcirco Eccleſiarum vacantium bona in fidem & clientelam ſuam ſuſcipere, ut illa ſibi vindicent, aut alijs pro libitu diſtribuant, ſed ut ab iniquorum violentia tueantur, atque Oeconomos ijs curandis præpoſitos ſua auctoritate firment: *Sine*, inquit, *ut ſecundum formam regularem electionis, Epiſcopi talem eligant, qui & ſanctæ Eccleſiæ utilis, & Regno proficuus, & vobis fidelis ac devotus*

votus cooperator exiſtat, & conſentientibus Clero & Plebe eum vobis adducant, ut ſecundum miniſterium veſtrum res & facultates Eccleſiæ, quas ad defendendum & tuendum vobis Dominus commendavit, ſuæ diſpoſitioni committatis. Poſteà adjungit, ad ſe relatum, nonnullos eſſe, qui dicerent, quia res Eccleſiaſticæ Epiſcoporum ita in Regis eſſent poteſtate, ut cuicumque vellet, ea donaret: quam ſententiam non dubitat diabolicam atque Orco relegandam appellare, tanquam anathemate à Concilijs damnatam, & Sanctorum Patrum doctrinæ penitus adverſam, qui Eccleſiæ bona, oblationes fidelium, pretia peccatorum, ac pauperum patrimonium ſolent nuncupare.

11. Hæ ſunt leges, quibus, teſtante Hincmaro, Eccleſia Gallicana Regibus Carolo Calvo, Ludovico III. in adminiſtrandis Eccleſiarum vacantium facultatibus utebatur. Fatendum quidem eſt, illas aliquando minus religioſè obſervatas, Regibus inter bellorum tumultus Reique publicæ commutationes, identidem vacantium Eccleſiarum bona fiſco vindicantibus, vel Laicis utenda donantibus. Quin etiam interdum, dedita opera Epiſcopatus vacare ſinebant, antiſtitum electiones vel protrahendo vel inhibendo, ut diutius proventibus fruerentur, fundóſque Eccleſiaſticos militibus atque aulicis liberius in feudum traderent. Verum hæc ab ijs, aperta vi ac nullo juris colore facta inde patet, quòd idem ſæpè ſuperſtitibus etiam Epiſcopis, reclamante Eccleſia, perpetrarent. Unde in Concilio Meldenſi anno 845. congregato, Epiſcopi Carolum Calvum enixè oraverunt, tum ut Eccleſiæ bonorum donationes, feudi titulo, à ſe in Laicos collatas abrogaret; tum etiam ut illas omnes reſcinderet, quas vacantibus Eccleſijs, ab ijs qui bona earum occupaverant, precarij, commutationis, aut alio quocumque nomine factas eſſe comperiſſet. can. 18. 19. 22.

12. Denique

12. **Denique ipſimet Principes, quidquid in Eccleſias facultatibus earum vel ſibi arrogandis, vel in alios conferendis,** feciſſent, idque ſive viventibus Epiſcopis, ſive poſt eorum mortem; id totum ſe contra jus æquúmque feciſſe ultro agnoverunt, damnúmque illatum Eccleſijs ſarcire, ac peccatum ſuum expiare aliquando conati ſunt. Id patet ex Flodoardo, qui lib. 2. Hiſtoriæ Remenſis cap. 19. donationem memorat, qua Ludovicus Pius Imperator Eccleſiam Remenſem muneratus eſt, ut damna ei à deceſſoribus ſuis illata, dum illam, occupatis bonis, diu Paſtore orbatam reliquerant, ſarciret. Ab eodem Auctore lib. 3. c. 4. integrum Caroli Calvi Edictum refertur, quo Hincmaro ad Archiepiſcopatum Remenſem recens aſſumpto, quaſcumque hujus Eccleſiæ poſſeſſiones vacante ſede aulicis in feudum conceſſerat, reſtitui jubet. En ipſa Edicti verba: *In nomine ſanctæ & Individuæ Trinitatis, Carolus Dei gratia Rex. Si ea, quæ à Prædeceſſoribus noſtris vel fidelium devotione bene tradita, ſtatuta & confirmata ſunt, noſtris oraculis roboramus; ſi etiam illa, quæ quacumque neceſſitate corrupta ſunt, Regia noſtra auctoritate corrigimus, & in melius reformamus, ſaluti noſtræ conſulimus, & Regium miniſterium ſuſceptum à Domino exercemus. Proinde noverit fidelium Dei ac noſtrorum ſolertia, quia res ex Epiſcopatu Remenſi, quas magna neceſſitate & per omnia inviti, dum à Paſtore ſedes illa vacaret, fidelibus noſtris ad tempus, unde quoddam temporale ſolatium à noſtro haberent ſervitio, commendavimus, electo & ordinato Hincmaro, cum integritate, quidquid exinde fidelibus noſtris beneficiavimus, reſtituimus.*

CAPUT V.

Nullus Regaliæ locus fuit imperantibus primis tertiæ ſtirpis Regibus. Finitâ demum Inveſtiturarum controverſiâ ortum habuit.

1. DEficientibus à Majorum ſapientia, pietate ac fortitudine poſtremis ſecundæ ſtirpis Regibus exeunte decimo ſæculo, Deus optimus maximus Regnum ad tertiam ſtirpem tranſtulit, duabus vel hoc prioribus feliciorem, quòd jam utrique conjunctim ſumptæ diuturnitate ſuperior, poſt tot exacta ſæcula, adhuc hodie ramorum ubertate & gloria, ut cum maximè, vigeat. Hujus florentiſſimæ ſtirpis auctor ac Princeps Hugo Capetus fuit. Is tantum abeſt ut bona Eccleſiæ ſibi arrogaret, aut aulicis utenda traderet, ut etiam Clero ſua jura atque immunitates reſtituerit, intermiſſas Electiones inſtauraverit, atque Eccleſias magnificentiſſimis donis cumulaverit. Quin etiam morti proximus Robertum filium & hæredem ſuum obteſtatus eſt, ut ne adulatorum ſe lenocinijs abduci pateretur, caverétque inprimis, ne quovis unquam obtentu bona Eccleſiæ in ſuos uſus converteret aut alijs diſſipanda permitteret: quaſi eum docere voluiſſet, fore ut hac religioſa moderatione atque adverſus Eccleſiam pietate, Regium Imperium in ſua poſteritate firmaretur, æternúmque permaneret. Paternæ admonitionis memor Robertus pietatem imprimis coluit, Eccleſiæ jura libertatéſque retinuit, & ejus facultates non ſolum non minuit, ſed Regia liberalitate auxit. De eo ſic *Helgadus* Monachus Floriacenſis in ejus vita: *Devotus fuit & magnificus erga ſervos Dei & Eccleſias, quarum multas fundavit & venuſtavit auro & argento. Quamobrem tribuit ei omnipotens continuam pacem, ita ut nemo eſſet, qui auderet eum inquietare.*

2. In

2. In adminiſtrandis ex Canonum præſcripto Eccleſiarum vacantium bonis, nihil Regibus adeò religionis amantibus, innovatum eſſe, cum per ſe clarum eſt, tum verò luculento Gerberti Archiepiſcopi Remenſis teſtimonio probatur, qui primum religioſiſſimi Principis Roberti Præceptor fuit, ac deinde ad Summum Pontificatum aſſumptus Silveſter II. dictus eſt. Is ad Clerum & populum cujuſdam Eccleſiæ Paſtore orbatæ ſcribens, ſic eos alloquitur epiſt. 118. *Sit interim veſtra pervigil cura, ut ſecundum divinas & humanas leges, res defuncti, tam mobiles, quam immobiles, futuro reſerventur Epiſcopo: ne ſi quid, quod abſit, malè cautum fuerit, in negligentes cum Regalis cenſura, tum etiam gravior adhibeatur divina ſententia.*

3. Canonica hæc ratio adminiſtrandi bona Eccleſiarum vacantium, alijs Regibus Galliæ Hugonis & Roberti poſteris & ſucceſſoribus, ad dimidium circiter duodecimi ſæculi perſeveravit: quo primum tempore Reges in quibuſdam Epiſcopatibus vacantibus univerſos reditus, quod maximè Regaliæ proprium eſt, percepiſſe reperiuntur: ut jus illud nonniſi poſt finitam fatalem illam de Inveſtituris controverſiam, quæ Sacerdotium & Imperium tamdiu inter ſe colliſit, exortum ſit. Imo videtur Inveſtituris ſucceſſiſſe, atque ijs extinctis, ut ſurculus arbori emortuæ, ſuccreviſſe, ac deinde in quibusdam Regni Provincijs & Diœceſibus, per Eccleſiæ tolerantiam, uſu firmatum eſſe.

4. Ut hæc ſententia, quæ verior ac fundatior videtur, & quæ toti huic Regaliæ argumento non parum lucis allatura eſt, planius intelligatur, operæ pretium erit explicare, quid ſint Inveſtituræ, & quæ in tota illa Inveſtiturarum cauſa geſta ſunt, breviter perſtringere.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Quid ſint Inveſtituræ. Controverſiæ ea de re orta cauſa, progreſſus, finis.

1. INveſtitura eſt traditio Feudi conceptis verbis ac formulis quibuſdam facta, qua ejus dominium ſaltem utile à Domino in vaſallum transfertur, cum onere præſtandæ fidei, reddendorúmque officiorum, quæ juris clientelaris propria ſunt. Obſervandum autem, feudum genus eſſe quoddam bonorum, legibus Romanis incognitum, quod ab antiquis Germaniæ populis profectum, ſuis proprijs regulis legibúſque conſtat. Initio feuda per modum uſusfructus & precariò tantum concedebantur, ut ijs vaſallus, quoad Domino libitum eſſet, aut ſaltem quoad ipſe vaſallus viveret, utendi fruendíque jus haberet. Poſtea hæreditaria & patrimonialia evaſerunt; ea tamen lege, ut, mortuo vaſallo, in manum Domini reverterentur, qui ea retinebat uſque eo, dum hæres aut ſucceſſor illa per Inveſtituram recepiſſet, fidémque & officia clientelaria, edito Sacramento, profeſſus fuiſſet.

2. Eccleſia Gallicana, Regibus Pipino & Carolo Magno, multis feudis, ijſque ampliſſimis, horum Principum aliorúmque Regni optimatum liberalitate & munificentia, potiri cæpit: quæ cùm nobiliora atque honoratiora eſſent bona, *Regalia* plurali numero, ut ſupra obſervatum eſt, appellabantur. Hinc Epiſcopi atque Abbates, ratione illorum feudorum, Regum magnorúmque Principum clientes ſeu vaſalli facti ſunt, apud illos fidem officiúmque clientelare profitebantur, ad bellum proficiſcentibus certum militum numerum ſuppeditabant, aut etiam nonnunquam ſe ipſi comites adjungebant. Poſt eorum verò mortem Reges & Principes feuda illa occupabant;

occupabant, ijſque tamdiu potiebantur, dum eâ novus Antiſtes per Inveſtituram recepiſſet, ipsíſque fidem & hominium, ut vocant, præſtitiſſet.

3. Cùm autem Inveſtitura ſolemni quodam ritu certíſque formulis celebraretur, tradito nimirum in vaſalli manus ceſpite, vel gramine, vel arboris ramo, quo ſignificaretur in eum hujuſce prædij aut caſtri dominium transferri; paulatim mos invaluit, ut Prælati per annulum & baculum paſtorale, hoc eſt per inſignia ejus dignitatis, cui feuda erant unita, inveſtirentur. Inde fortâſſe primò culpa caruit, majoríſque teſtificandæ in Epiſcopos reverentiæ factum eſt, ut alio, quam Laici, modo feudorum poſſeſſionem adipiſcerentur. Verum, ut proclive eſt ijs rebus abuti Principes, quæ cùm penes eos poſitæ ſint, augendæ eorum dignitati ſerviunt, brevi jus Inveſtiturarum extra legitimas metas ab ijs porrectum eſt.

4. Primùm enim, mortuis Epiſcopis, non ſola feuda, quæ Regalia dicebantur, verum etiam decimas alióſque omnes ſacros proventus occuparunt. Deinde cùm Inveſtituram electo Epiſcopo ante ejus conſecrationem darent, idque per annulum & baculum paſtorale fieret, ipſam in eum dignitatem munúſque Pontificale conferre vulgò credebantur: atque eo facilius in eam opinionem homines abducebantur, quòd Principes, Inveſtiturarum obtentu, Electiones evertebant, & Epiſcopatus atque Abbatias, quibus libitum erat, deferebant; imo conceptis verbis ſummas illas Eccleſiæ dignitates ſe donare profitebantur, ut ex ipſis Inveſtiturarum formulis patet, quæ à Marculpho alijſque antiquis Auctoribus referuntur.

5. Quidam exiſtimant, Inveſtiturarum jus, prout modo deſcriptum eſt, Carolo Magno primùm ab Adriano I. in Concilio

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

cilio Romæ habito attributum fuiſſe, ſuámque opinionem confirmant auctoritate Canonis *Adrianus*, quem Gratianus in Decretum Diſtinct. 63. retulit, ut ſupra obſervatum eſt. Verùm hic Canon hodie ut adulterinus, ab omnibus rerum Eccleſiaſticarum peritis rejicitur, ob varias graviſſimáſque rationes, quas alio opportuniore loco explicabimus. Otto cognomine Magnus, poſtquam anno 963. in Concilio Romano cui interfuit, Joannem XII. Pontificatu abdicari curavit, à Leone VIII. in locum Joannis ſubſtituto primus obtinuit, ut Inveſtiturarum jus, quo jam dudum Imperatores utebantur, Pontificia auctoritate confirmaret: quanquam nonnulli, an verum ſit Leonis decretum à Gratiano relatum dubitent. Ut ut ſit, jus illud Ottonis ſucceſſores mordicus retinuerunt; eóq; pariter uſi ſunt Reges Franciæ, Angliæ, alijque Orbis Chriſtiani Principes. Verùm temporis decurſu, adeò injuſtum atque in Eccleſiam injurioſum evaſit, maximè imperante Henrico IV. qui Epiſcopatus pretio addicere, hominibúſque flagitioſiſſimis, non tam regendos, quam diripiendos, tradere conſueverat, ut Gregorius VII. ingentium animorum Pontifex, ſui muneris eſſe judicaverit, illud palàm oppugnare, adeóque frequentes ſynodos habuerit, quibus Inveſtituræ damnatæ ſunt, atque anathemati ſubjecti, quicumque poſthac illas vel darent, vel acciperent.

6. Gregorij decreta ſucceſſores ejus Victor III. Urbanus II. & Paſcalis II. varijs in Concilijs probarunt & confirmarunt, quibus minimè obſecuti Imperatores Inveſtiturarum uſum retinere conati ſunt. Quin etiam Henricus V. Henrici IV. filius, paterni in Pontifices Romanos odij & contumaciæ hæres, Romam cum copioſo exercitu profectus, Paſcalem II. in arctiſſimam cuſtodiam conjecit, aque ab eo per ſummam impietatem oppreſſo, novam Inveſtiturarum conceſſionem extorſit.

extorſit. Verùm Paſchalis, ſtatim ut libertatem recuperavit, Privilegium illud, quod per irriſionem *Pravilegium* appellatum eſt, reſcidit, iterúmque Inveſtituras anno ſequente, habito Romæ Concilio, damnavit.

7. Duo præcipuè Romani Pontifices in Inveſtituris improbabant. Primum, quòd per traditionem annuli virgæque paſtoralis, & ante Epiſcopi inaugurationem fierent; unde conſequens erat, ut ipſam dignitatem officiúmque Epiſcopale Imperatores alijque Principes Laici conferre viderentur. Alterum, quòd Epiſcopi fidem & hominium, perinde ac cæteri vaſalli, flexis genibus manibúſque junctis, atque intra manus Principum poſitis, profiteri cogerentur: id quod Summi Pontifices, ut Epiſcopis ignominioſum, & manibus ſolemni unctione divinorúmque myſteriorum attrectatione conſecratis indignum, repudiabant.

8. Denique maxima illa controverſia, quæ totos quinquaginta annos Eccleſiam atque Imperium miſerandum in modum afflixerat, anno milleſimo centeſimo vigeſimo ſecundo Callixto II. Summo Pontifice, in Concilio generali Lateranenſi, finita eſt, páxque inter Pontificem & Henricum V. compoſita his conditionibus, ut videlicet Imperatores in omnibus Eccleſijs & Monaſterijs liberam fieri electionem & conſecrationem ſinerent: deinde ut Imperialium feudorum, quæ Regalium nomine deſignantur, Inveſtituram, non per annulum & baculum paſtorale, ut antea facere ſolebant, ſed per ſceptrum darent; quam quidem Inveſtituram Epiſcopi Germaniæ ſeu Regni Theutonici, ante conſecrationem, Epiſcopi autem Italiæ aliarúmque Provinciarum intra ſex menſes poſtquam conſecrati eſſent, acciperc deberent. Hæc Callixtus in reſcripto ad Henricum V. Imperatorem: *Concedo*, inquit, *electiones Epiſcoporum & Abbatum Theutonici regni, qui ad*

ad Regnum pertinent, in præſentia tua fieri abſque ſimonia & aliqua violentia, ut ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, Metropolitani & Provincialium conſilio vel judicio, ſaniori parti aſſenſum & auxilium prabeas. Electus autem Regalia per ſceptrum à te recipiat; exceptis omnibus, quæ ad Romanam Eccleſiam pertinere noſcuntur; & quæ ex his jure tibi debet, faciat. Ex alijs verò partibus Imperij conſecratus infra ſex menſes Regalia per ſceptrum à te recipiat.

CAPUT VII.

Regalia quando propriè orta eſt? cur ad univerſas Regni Provincias non ſit producta?

1. Reges Chriſtianiſſimi hanc Callixti II. Conſtitutionem in Concilio Lateranenſi editam præverterant. Ii enim, ſimul atque exorta eſt Pontifices inter & Imperatores de Inveſtituris altercatio, uſum tradendi annuli baculique paſtoralis, ſolo Epiſcoporum hominio contenti, dimiſerunt. Quin etiam hominium conſecrationi ſubjici, & ab ijs tantum Epiſcopis, qui *Regalia*, hoc eſt feuda coronæ nullo medio obnoxia haberent, exigi ultro paſſi ſunt: ab alijs verò, qui ejuſmodi feudis carerent, nil præter fidelitatis Sacramentum poſtularunt. Denique omiſſo etiam hominio, ſolum fidelitatis Sacramentum promiſcuè ab omnibus Epiſcopis, ſive ejuſmodi feuda haberent, ſive non haberent, exigi cæptum eſt, quod jam pridem obſervatur.

2. Verùm quando ſic Reges Chriſtianiſſimi Inveſtituras, ut Pontificum decretis morem gererent, dimiſerunt, non proinde ab occupandis poſt mortem Epiſcoporum *Regalibus*, id eſt, feudis coronæ obnoxijs, ceſſarunt, quibus tam diu potiebantur, donec ſucceſſor Epiſcopus hominium vel fidelitatis Sacramentum exhibuiſſet. Quin etiam ad alia Eccle-

ſiarum

Digitized by Google

ſiarum bona, imò ad decimas oblationéſque ac reliquos ſacros proventus, tandémque ad Beneficiorum collationem, ut poſtea explicabimus, paulatim manus extenderunt. Id tamen non in omnibus Regni Provincijs ac Diœceſibus, ſed tantummodo quibuſdam obtinuit: cujus diverſitatis cauſam, ex vario jure, quo res feudales adminiſtrabantur, repetendam exiſtimanus.

3. Obſervandum eſt enim, feudorum jus non in omnibus Regni Provincijs eodem tempore admiſſum, aut eodem modo uſurpatum fuiſſe. Siquidem jus iſtud, quod à Francis in Gallias invectum eſt, primæ ſuſcepêre proximiores Germaniæ Provinciæ, Flandria videlicet, Picardia, Campania, Normannia, Turones, Bituriges, aliíque tractus vicini, atque eo plenius ac rigidius uſi ſunt, quam reliquæ Galliarum Provinciæ. Nam initio apud illos feuda in modum uſusfructus & precariò tantum concedebantur. Ubi autem decurſu temporis hæreditaria & patrimonialia evaſerunt, id ea conditione factum eſt, ut poſt mortem vaſalli in poteſtatem Domini redirent, qui ea retineret fructúſque ſuos faceret, quoúſque hæres vel ſucceſſor illa, præſtito hominio ac fidei jurejurando, recepiſſet: cujus antiqui uſus veſtigium reſtat in jure illo pecuniario, quod Relevium, vulgari lingua *Releeff*, appellant, quódque in his Provincijs hucúſque Domino pro vaſalli mutatione debetur.

4. At verò remotiores Provinciæ, ut Occitania, Aquitania, Delphinatus, Provincia, tardius feuda admiſerunt. Quin etiam ut ea Juri civili legibúſque Romanis, quibus vivebant, aptarent, appoſitis quibuſdam conditionibus circumſcripſerunt; quarum vel præcipua hæc fuit, quòd poſt mortem vaſalli Dominus feudo non potiretur, minimé que fru-

D ctus

ctus faceret ſuos: unde factum eſt, ut etiamnum in iſtis Provincijs nihil Relevij Domino ob mortem vaſalli ſolvatur.

5. Hinc itaque patet, Galliam in duo genera Provinciarum diſtinctam eſſe. Aliæ *Jure Conſuetudinario* reguntur, in quibus olim Dominus, poſt mortem vaſalli, feudo potiebatur, fructúſque ſuos faciebat, & etiam nunc jus Relevij ei ſolvitur: Aliæ vero *Jure civili* ſeu *ſcripto*, ut vocant, utuntur, in queis nec Dominus olim poſt mortem vaſalli feudo potiebatur, nec dum hodie jus Relevij ei penditur.

6. Quæ de Relevio dicta ſunt, extendi etiam poſſunt ad Tutelam Regiam, quæ vulgari verbo Guardia Regia, *Garde Royale* appellatur, quâ, cùm vaſallus, relicto filio impubere, vita diſcedit, Rex omnes feudi reditus occupat & pro ſuis habet, uſquedum ad juſtam ætatem, id eſt, vigeſimum aut vigeſimum primum annum hæres perveneri, cujus interea curam ſuſcipit. Hæc enim *Guardia*, quæ in Occitania alijſque *Juris ſcripti* Provincijs nunquam cognita fuit, in Provincijs quæ *Jure Conſuetudinario* reguntur, olim uſurpata eſt, & in quibusdam adhuc, ut in Normannia, viget.

7. Porro ex hac Provinciarum diverſitate variáque earum in feudis adminiſtrandis jurisprudentia veram & germanam rationem afferri poſſe credimus, cur Regalia, quæ à feudis ortum trahit, & initio inſtar Guardiæ Regiæ fuit, non in omnes Regni Provincias, ſed in aliquas tantum certóque numero determinatas introducta ſit: id quod deinde continuatum eſt, cùm ſuccedente tempore in certis Provincijs ac Diœceſibus uſu firmata, ad omnes vacantium Eccleſiarum reditus, ac tandem beneficiorum collationem porrecta fuit.

CAPUT VIII.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Obſervationes, quibus probatur, Regaliam ex feudis ortum traxiſſe.

1. CUm magni momenti ſit ad varias hujus Tractatus quæſtiones explicandas, planius oſtendere, Regaliam ex feudis initium ſumpſiſſe, haud abs re erit, id novis quibuſdam probationibus confirmare.

2. Primò. Id vel ipſum Regaliæ nomen manifeſtè evincit; Regalia enim, ut ſupra notatum eſt, propriè vocantur nobiliora feuda, quæ à Regibus aut Principibus conceſſa fuêre: unde factum eſt, ut Regaliæ nomine deſignaretur ſupremum ac directum Regum in ejusmodi feuda dominium, quod vim ſuam tum maximè exerit, cùm ea poſt mortem Feudatarij aut ejus bonorum ob *Feloniam*, ut vocant, commiſſionem ſeu publicationem, ad ſe revocant, ijſque tam diu potiuntur, donec denuo illa hæredi aut alteri Feudatario conceſſerint.

3. Secundò. Ritus & formulæ, quibus etiamnum vel aperitur vel clauditur Regalia, oſtendunt eam primitus fuiſſe quid feudale. Nam dum vacantis Epiſcopatus bona manu Regia occupantur; dum Oeconomus qui ea adminiſtret, Regíſque Magiſtratibus procurationis ſuæ rationem reddat, deputatur; dum fidelitatis Sacramentum, quod in Inveſtituræ atque hominij locum ſucceſſit, novus Epiſcopus in acta Cameræ Computorum Pariſienſis referendum curat; dum litteras Regaliæ abſolutorias impetrat, eáſque Oeconomo ad claudendam Regaliam denuntiat: quid aliud tot inſtitutis ac formulis ſignificatur, niſi jus illud initio fuiſſe quid feudale ac Dominicum, eóque uſos Reges in feudis Epiſcoporum, perinde ac in alijs Regijs feudis?

4. Tertiò. In mandatis quæ Philippus Pulcher Rex Chriſtianiſſimus Archiepiſcopo Senonenſi & Epiſcopo Antiſſiodorenſi Legatis ſuis dedit, ut jus Regaliæ, quod in Eccleſia Carnotenſi ſibi vindicabat, coram Bonifacio VIII. Pontifice defenderent, illud ex feudorum legibus pendere oſtendit. *Sicut*, inquit, *feodus vaſallo vacans, interim cum ſuis reditibus à Domino licitè occupatur, & propter defectum hominis, ut vulgari Patriæ noſtræ verbo utamur, de jure & generali conſuetudine Regni noſtri per Dominum, quouſque ſuperveniat perſona quæ illi ſerviat, licitè detinetur; ſic nos & noſtri Anteceſſores, vacante Eccleſia Carnotenſi, & temporalem jurisdictionem & bona temporalia accipimus, & noſtros facimus omnes fructus, qui proveniunt ex iiſdem.* Apud Marcam l. 8. de Concord. c. 22. ex Regeſto Cameræ comput. fol. 313. Quibus verbis Philippus aſſerendæ Regaliæ cupidiſſimus, eam ad feuda revocat, feudalibúſque terminis concludendam agnoſcit.

5. Quartò. Id etiam patet ex diſſidio, quod ineunte ſæculo decimo tertio inter Epiſcopos Aurelianenſem & Antiſſiodorenſem, & Philippum Auguſtum Regem Galliæ, ortum eſt, de quo Rigordus in Geſtis Philippi Auguſti, & Innocentius III. pluribus epiſtolis. Juſſerat Rex, ut omnes Barones alijque Feudatarij cum militibus ad bellum convenirent. Edicto paruêre ſupra memorati Epiſcopi: ſed cùm bello non intereſſet Philippus, è caſtris cum militibus diſceſſerunt, cauſati, ſe ad bellum proficiſci aut milites mittere, niſi Rex ipſe coram adeſſet, ex officio non teneri. Juſſit Rex ut mulctam ex feudorum lege penderent; quod cùm renuiſſent, *eorum Regalia confiſcavit*, inquit Rigordus, *ſcilicet ea tantum temporalia, quæ ab eo feodaliter tenebant, Decimas & alia ſpiritualia eis in pace dimittens. Ipſe enim Rex Chriſtianiſſimus*, addit Hiſtoricus, *ſemper timebat offendere Eccleſiam Dei & ejus miniſtros.*

Bona

Bona ſua illi Epiſcopi cenſuris vindicare, Romam mittere, Innocentium III. ipſimet adire, opem ejus imploraturi. Sed cùm Pontifex, poſt plures epiſtolas ſcriptas, Regi adverſus leges uſúſque feudorum in Regno receptos, obſiſtendum non arbitraretur, eúmque ultimis epiſtolis ſolum ad componendam litem hortatus eſſet, duobus poſt annis Epiſcopi illi mulctam ſolvere coacti, Eccleſiarum ſuarum feuda, quæ fiſco commiſſa erant, receperunt. Qua ex narratione duo colliguntur: primum, Regaliam ſpectaſſe ad jus feudorum, quo Reges in Epiſcopos alióſque Beneficiarios, non ſolum cùm feuda per eorum mortem vacarent, ſed alijs etiam caſibus, juxta leges feudorum, perinde ac in Laicos, utebantur: alterum, quòd initio Regalia ſolis feudis continebatur, nec ad Decimas alióſque ſacros proventus ſeſe extendebat. De his videndi Rigordus de Geſtis Philippi Auguſti ad annum 1209. & Innocentius III. lib. 1. epiſt. 190. lib. 2. ep. 52. & lib. 3. ep. 40. 106. 107.

6. Quintò. Regalia in Angliam eodem pene tempore atque in Galliam irrepſerat, ijſdémque fere legibus in utróque Regno adminiſtrabatur. Eam autem initio ab Anglis ut aliquid feudale habitam eſſe patet ex Articulis, quos Henricus II. Rex Angliæ ſancto Thomæ Cantuarienſi ſubſcribendos obtulit, ubi de ea ſic loquitur: *Cùm vacaverit vel Archiepiſcopatus vel Epiſcopatus vel Abbatia vel Prioratus in Dominio Regis, debet eſſe in manu ipſius, & inde percipiet omnes reditus & exitus ſicut dominicos.*

7. Sextò. Regaliam Principio fuiſſe quid feudale probant adhuc duo antiqua Parlamenti Pariſienſis Senatus conſulta. Prius latum 21. die Julij anno 1441. quo decretum eſt, Regaliam Regi deberi ratione clientelaris fidei atque hominij, non verò tantum cuſtodiæ vel protectionis vel alio ſimili titulo: alterum

Digitized by Google

rum 22. Novembris 1470. in quo cùm de Archidiaconatu Pariſienſi diſceptaretur, an videlicet in Regalia vacaret, perorans Regius Advocatus nomine Gannæus, jus Regaliæ ratione feudi ad Regem ſpectare propugnavit. De his mentio habetur in Commentarijs libertatum Eccleſiæ Gallicanæ. In eadem ſunt ſententia celeberrimi Galliæ Juris-conſulti atque etiam eruditiſſimi hujuſce temporis ſcriptores, Jacobus Cujacius, Carolus Molinæus, Petrus de Marca, Franciſcus Boſquetus, Carolus Du Cange, Ludovicus Thomaſſinus.

CAPUT IX.

Quomodo Regalia ad Decimas atque alios univerſos vacantium Eccleſiarum reditus porrecta ſit?

1. ETſi non omnino æquum eſſe videretur, ut Reges ac Principes, mortuis Epiſcopis, Eccleſiarum feuda, quæ Deo ſacra pauperúmque neceſſitatibus dicata erant, jure Regaliæ occuparent, id tamen aliquam habebat excuſationem; cùm ea eſſet hujuſmodi bonorum conditio, idque oneris Eccleſia, ſi ab eo expreſsè liberata non eſſet, ob magnas eorum bonorum utilitates, lubens ſubiret. Verùm non diu his feudorum terminis jus iſtud ſtetit. Paulatim ad bona non feudalia, imo ad Decimas cæteróſque omnes reditus ſacros, quibus nihil cum feudis commune, porrectum eſt: cujus quidem extenſionis occaſionem duo alia jura Regibus tum uſurpata, jus nimirum Cuſtodiæ ſeu Patronatus, & jus ſpolij, præbuerunt.

2. Quod jus Cuſtodiæ ſeu Patronatus ſpectat, certum eſt Reges Chriſtianiſſimos proprios eſſe Eccleſiarum ſui Regni in rebus temporalibus protectores ac defenſores, idque maximè locum habere in Eccleſijs Cathedralibus. Quamobrem illi jam

jam à primis temporibus conſervandis harum Eccleſiarum facultatibus, maximè poſt Epiſcoporum mortem, quo potiſſimum tempore Regia tutela adverſus potentiorum vim & audaciam eis opus erat, invigilabant. Atque id erat præcipuum Eccleſiæ Defenſoris ſeu Advocati munus, quem titulum Reges Chriſtianiſſimi in majoribus Regni Eccleſijs ſibi adſcribere non dedignabantur.

3. At Regium iſtud patrocinium, quod primùm Eccleſiæ ſalutare & honorificum erat, magno ei poſtea damno fuit, cùm Regibus ad invadendos omnes Eccleſiarum vacantium reditus anſam præbuerit: id quod in ijs maximè Provincijs contigit, ubi jam pro ſuo jure fĕudorum fructus percipiebant. Cùm enim feuda redituum Epiſcopalium major nonnunquam, certè nobilior pars eſſet, ijs ut reliqui alij reditus quaſi additamenti loco accederent, proclive fuit.

4. Id autem Reges non niſi poſt dimiſſas Inveſtituras tentaſſe videntur; quaſi facta ea dimiſſione, dum Eccleſiæ decretis obtemperant, honoris dignitatíſque jacturam, nova hac redituum acceſſione compenſare voluiſſent. Illud quidem certè manifeſtum eſt, nulla bonorum omnium in Eccleſijs vacantibus per regios Miniſtros occupatorum exempla reperiri ante Philippum Auguſtum, aut fortaſſe Ludovicum VII. hoc eſt ante mediumi duodecimi ſæculi, finita jam de Inveſtituris controverſia.

5. Alterum jus, quo Regis Miniſtri aditum ſibi ad univerſos Eccleſiarum vacantium fructus occupandos patefecerunt, jus ſpolij fuit, quod ex peſſimo uſu compilandi domos Epiſcoporum aliorúmque Clericorum, ſimul ac mortem obijſſent, profluxerat. Quam vetus fuerit illa ſacrilega rapina patet ex can. 24. Concilij Antiocheni anno 341. congregati, itémque ex can. 22. Concilij generalis Calcedonenſis. Porro obſervan-

obſervandum ex his canonibus, cauſam atque originem hujus perverſi uſus ad ipſoſmet Clericos referendam videri; utpote qui poſt obitum Epiſcopi in ejus facultates invadere ſolerent, quòd bona ab eo ex reditibus Eccleſiaſticis comparata, quæ Eccleſiæ, ex præſcripto Canonum, relinquenda erant, ſæpiſſime permixta eſſent cum alijs ejus bonis hæreditarijs ac patrimonialibus, quæ juxta civiles æquè ac Canonicas leges, illius agnatis vel heredibus debebantur.

6. Peſſimus hic abuſus nono & decimo ſæculo, tametſi multis Conciliorum Pontificúmque decretis damnatus, longè latéque graſſabatur, vitio maximè & avaritia Ducum, Baronum aliorúmque Dynaſtarum, qui vacantium Eccleſiarum cuſtodiam in ſuis Provincijs ac Ditionibus ſibi arrogantes, Antiſtitum bona ſacróſque reditus invadebant, uti patet ex ſupra citatis Canonibus Concilij Pontigonenſis & Trosleiani; itémque ex pluribus Caroli Magni aliorúmque Imperatorum Capitularibus.

7. Ubi autem iſtud malum totum ferme Occidentem pervaſiſſet, in Orientem quoque, nonnullorum Gubernatorum avaritia, irrepſit. A Joanne Comneno Imperatore anno 1120. ſeveriſſimis legibus, ac deinde anno 1213. ab Emmanuele Comneno ſolemni Edicto cohibitum fuit. In Germania autem celebri Frederici II. Imperatoris Conſtitutione, qua univerſæ Imperij Eccleſiæ in priſtinam libertatem reſtitutæ ſunt, penitus ſublatum fuit.

8. Quod ad Reges Galliæ attinet, Spolij jure in multos Epiſcopos, Abbates alióſque primarios Beneficiarios, per undecimum ac duodecimum ſæculum uſi ſunt; id quod, labente duodecimo ſæculo, non mediocrem eis facilitatem, ad Regaliam in omnes Eccleſiarum huic juri ſubjectarum reditus extendendam, attulit. Poſtea tamen ab occupandis demor-

Digitized by Google

demortuorum Epiſcoporum mobilibus rebus deſtiterunt; quod etiam nonniſi in paucis quibuſdam locis uſitatum unquam fuiſſe facile probari poſſet.

CAPUT X.

Qua ratione Regalia ad Collationem Beneficiorum porrecta ſit.

1. POſt univerſos vacantium Eccleſiarum fructus in Provincijs Regaliæ obnoxijs occupatos, collationem quoque Beneficiorum ad ſe Reges traxerunt, quod primum in ſolis Eccleſiarum Cathedralium Præbendis locum habuit. Cùm enim, mortuo Epiſcopo, *Regalia*, id eſt feuda Regiæ coronæ obnoxia, Jurisdictionem, aliáque bona temporalia reciperent, ſi qua interim Præbenda aut Dignitas vacaret, bona ejus temporalia tanquam partem ab Epiſcopalibus bonis olim delibatam, pariter ad ſe recipiebant; quæ tamen bona temporalia deinde, unà cum vacante Præbenda vel Dignitate in aliquem conferebant, qui à Capitulo admiſſus atque inſtallatus, ab eo titulum Canonicum atque Eccleſiaſticam inſtitutionem adipiſcebatur. Id ita primitus factum fuiſſe colligitur ex Epiſtola Philippi Pulchri ad Archiepiſcopum Senonenſem & Epiſcopum Antiſſiodorenſem, cujus verba relata ſunt cap. VIII. n. 4.

2. Cùm autem à Regibus nominatos Capitula, tum ob alias egregias dotes, quibus ut plurimum præſtabant, omiſſo etiam, propter Regiæ Majeſtatis reverentiam, examine, ſtatim ultro admitterent, ſenſim accidit, ut Reges *pleno jure* conferre, hoc eſt nominatos in ipſa Præbenda aut Dignitate, ſine ulla Præpoſitorum Eccleſiæ opera, inſtituere exiſtimarentur: quod tandem palàm factum eſt, quando Bonifa-

cius VIII. Pontifex Maximus cum Philippo pulchro decertans, ejuſmodi collationes ut Eccleſiæ injurioſas abrogare voluit.

3. Poſtmodum autem idem jus plenè conferendi, à Præbendis & Canonicatibus, ad aliqua quoque Beneficia, exceptis Parochijs, porrectum eſt; eo maximè colore, quòd Beneficiorum collationes inter fructus habeantur, quæ propoſitio apud Canoniſtas & Gloſſatores celebris evaſit. Quamvis enim iſta ratio vix quidquam ponderis haberet, cùm Beneficiorum collationes, præſertim ubi abſolutè ac pleno jure fiunt, inter reditus temporales computari nequaquam poſſint, & ſpirituale quid atque Hierarchicum ſonent, quod ad ſolos Epiſcopos, alióſque Eccleſiæ Præpoſitos ſpectet; eam tamen Principes libentiſſimè adhibuerunt, quò donandorum Canonicatuum poteſtatem ſibi facerent, quæ cùm fere ſola aut ſaltem præcipua eſſent tunc temporis Beneficia, atque ad Epiſcopatus infulas, vigentibus electionibus, viam aperirent, pluris fiebant, adeóque à primarijs ac nobilioribus viris ſummo ſtudio ambiebantur.

4. Quonam tempore Beneficia in Gallia ob Regaliam dari cæperint, non conſtat. Id jam duodecimo ſæculo uſurpatum fuiſſe probatur ex Teſtamento Philippi Auguſti, qui anno milleſimo centeſimo nonageſimo ad bellum ſacrum in Orientem profecturus, ſic inter alia edicit, ut habetur in Probationibus Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ cap. 16. art. 4. *Præterea præcipimus, quòd ſi Præbenda vel Beneficium aliquod Eccleſiaſticum vacaverit, quando Regalia in manum noſtram venient, ſecundum quod melius & honeſtius poterunt Regina & Archiepiſcopus* (Remenſis) *viris honeſtis & literatis conſilio fratris Bernardi conferant* (Erat is Anachoreta inſigni pietate ad nemus Vicennarum prope Pariſios degens) Idem Rex Auguſtus anno milleſimo ducenteſimo decimo Præbendam Eccleſiæ Laudunenſis

nenſis uni ex ſuis Capellanis, ſede vacante, conceſſit; quam cùm Innocentius III. in alium quendam Clericum contuliſſet, ſcripta epiſtola Philippus à Pontifice petijt, ut reſciſſa illa proviſione, quod ipſe *ſecundum antiquam & approbatam Regni conſuetudinem feciſſet*, dignaretur auctoritate Apoſtolica confirmare. Innocentius Regiæ petitioni non obſiſtens, rem ad Capitulum Laudunenſe rejecit, ut in hoc peculiari caſu cuinam ex contendentibus adjudicanda eſſet Præbenda, decerneret; Philippum interim rogans, quamcumque ſententiam tuliſſet Capitulum, huic ſtare vellet. In ijſdem Probationibus lib. Ecc. Gall. cap. *16*. n. *6*.

5. Eumdem uſum Litteræ patentes S. Ludovici anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo octavo datæ teſtantur, quibus, cùm primo ſe ad bellum Saracenis, trajecto mari, inferendum accingeret, Blanchæ matri, *Dignitates, & Beneficia Eccleſiaſtica vacantia conferendi, fidelitates Epiſcoporum & Abbatum recipiendi, & eis Regalia reſtituendi* copiam fecit. Cùm verò anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo nono idem ſanctus Rex iterum ad bellum adverſus eoſdem Infideles proficiſceretur, eamdem conferendorum Beneficiorum facultatem Stephano Epiſcopo Pariſienſi his verbis conceſſit: *Perſonatus, Prabendas, Eccleſias, Capellanias & catera Eccleſiaſtica Beneficia, quacumque vacare contigerit .... ad noſtrum Patronatum, collationem ſeu præſentationem noſtram, tam ratione Regalium, quam alio quocumque jure pertinentia, conferendi perſonis idoneis & nullum aliud Beneficium Eccleſiaſticum habentibus, ac præſentandi ad vacantes Eccleſias vice noſtra dilecto & fideli noſtro Stephano Pariſienſi Epiſcopo plenam & liberam committimus poteſtatem.* Quin etiam cùm Clemens IV. Pontifex Maximus quamdam Remenſis Eccleſiæ Præbendam, ſede vacante, contuliſſet, S. Ludovicus id contra jus ſuum factum eſſe conqueſtus eſt, qua expo-

expoſtulatione permotus Pontifex factam à ſe proviſionem reſcidit. De his vide Probationes lib. Eccleſ. Gall. c. 15. n. 12. 16. & ſeq. Denique Nangius vitæ ſancti Ludovici ſcriptor narrat, religioſiſſimum Principem ſummam curam adhibuiſſe, ut Beneficia ad Regium Patronatum ſpectantia idoneis & probatis viris conferret; *præcipuè autem*, inquit, *in Eccleſijs Cathedralibus, ubi, ſede vacante, ratione cuſtodiæ Regalium, ex conſuetudine pertinebat ad eum collatio Præbendarum*. Apud Ducheſnium tom. 5. pag. 369.

6. Poſtremò cùm Archidiaconatus Senonenſis Eccleſiæ, Petro Archidiacono in Archiepiſcopum ejuſdem urbis electo & apud ſanctam Sedem conſecrato, vacaſſet, eum ſanctus Ludovicus cuidam Magiſtro Girardo, ratione Regalium, quæ habebat ibidem, contulit. Verùm Clemens IV. contendens, quòd idem Archidiaconatus apud ſanctam Sedem vacaſſet, nec ab alio quam à Pontifice Romano conferri potuiſſet, inhibuit, ne Regaliſta à Capitulo Senonenſi in poſſeſſionem admitteretur. Res ſuſpenſa manſit uſque ad annum milleſimum ſeptuageſimum primum, quo Gregorius X. poſtulante Philippo III. ſancti Ludovici filio & ſucceſſore, inhibitionem Deceſſoris ſui revocavit, adeóque Regaliſtæ proviſionem ratam habuit.

7. Cœterum tametſi in his exemplis *conferendi* & *collationis* vocabulum adhibeatur, non ſtatim inde concludendum eſt, jam ab initio Reges *pleno iure* Beneficia, ratione Regaliæ, contuliſſe, cùm generale ſit collationis verbum, & ſæpe etiam Patronorum nominationes comprehendat. Multo enim probabilius eſt, primis illis temporibus nominatos à Regibus ad Canonicatus aut Præbendas, Canonicam inſtitutionem à Capitulis vel alijs gubernandæ Diœceſi Præpoſitis, obtinuiſſe; qua deinde neglecta aut prætermiſſa, ſenſim Princi-

pes

pes plenam ſibi in ejuſmodi collationibus poteſtatem vindicarunt, ut ſupra explicatum eſt.

8. Certè non diu illos ab ejuſmodi abſolutis plenóque jure factis collationibus abſtinuiſſe patet, tum ex ſupra memorata Gregorij IX. ad Fredericum II. Imperatorem epiſtola, tum ex gravi illo diſſidio, quod inter Philippum IV. Regem Chriſtianiſſimum & Bonifacium VIII. Summum Pontificem, ineunte decimo quarto ſæculo, exortum eſt, in quo de ejuſmodi collationibus acriter certatum fuit, Philippo ad eas defendendas ſuam ſuorúmque Deceſſorum poſſeſſionem maximè urgente, Bonifacio autem eas tanquam omni juri contrarias reprobante.

CAPUT XI.

Antedictorum repetitio. Regalia non ita Regum ac ſupremorum Principum propria eſt, quin ad inferiores etiam Dynaſtas pertinuerit. In quibuſdam Abbatijs olim locum habuit.

1. HActenus actum eſt de ortu progreſſúque Regaliæ, quæ, ut patuit, duo penitus diverſa, redituum videlicet in Eccleſijs vacantibus perceptionem, & Beneficiorum collationem complectitur. Initio merum jus feudale erat, ſola feuda comprehendens. Poſtea ad alia quæcumque prædia, imo ad Decimas alióſque ſacros proventus, cuſtodiæ ſeu Patronatus ac ſpolij obtentu, porrecta eſt. Ad extremum nova & liberiore adhuc extenſione, ad Præbendarum aliorúmque Beneficiorum, exceptis Parochijs, collationes producta eſt, ea potiſſimum ratione, quòd ejuſmodi collationes, contra naturalem earum conditionem, temporalibus vacantium Eccleſiarum fructibus placuit annumerare.

2. Ex ijs autem, quæ ſuperioribus capitulis explicata ſunt, facile quis inferet, initio jus Regaliæ Regum, ac ſupremorum Principum proprium non fuiſſe, ſed ad Duces, Comites alióſque inferiores Dynaſtas intra ditionum ſuarum fines pertinuiſſe, quod nonnullis hîc probationibus confirmandum duxi.

3. Primùm cùm Regalia ex feudorum jure orta, uti demonſtratum eſt, in locum Inveſtiturarum quodammodo ſucceſſerit, non leve argumentum, ea olim Dynaſtas in Eccleſijs ſuarum ditionum potitos fuiſſe, ſi verum ſit ad illos earundem Eccleſiarum Inveſtituras pertinuiſſe. At certiſſimum eſt, Duces, Comites, Barones alióſque primarios Dynaſtas, ex quo hæ dignitates patrimoniales atque hæreditariæ factæ ſunt, Inveſtituras Eccleſiarum in provincijs ac ditionibus ſibi ſubditis dediſſe, ut patet ex varijs Auctoribus, qui de hoc argumento ſcripſerunt.

4. Sanè Gregorius VII. Pontifex Maximus lib.4. Epiſt.14. ad Rodulphum Turonenſem Archiepiſcopum ſcribens, Comites alióſque Dynaſtas Britanniæ minoris laudat, quòd Eccleſiæ decretis obſecuti, veterem donandarum Inveſtiturarum conſuetudinem ſeu potius abuſum dimiſerint: *Audivimus*, inquit, *Principes iſtius terræ contra antiquam & peſſimam conſuetudinem, pro reverentia Dei omnipotentis, ulterius in ordinandis Epiſcopis nec dominium Inveſtituræ tenere, nec pecuniæ commodum tenere velle.*

5. Item D. Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus Epiſt. 59. teſtatur, Robertum Flandriæ Comitem Abbates, poſt eorum electionem, inveſtire ſolitum eſſe. Ivo etiam Carnotenſis, pluribus locis ſignificat, Robertum Normaniæ Ducem, Epiſcopatuum atque Abbatiarum in illa Provincia Inveſtituras

ras dediſſe. Idem factitatum à Comitibus Campaniæ, Andegavi, Sabaudiæ probat Petrus de Marca lib. 8. Concord. c. 25.

6. Denique dum Gregorius VII. Inveſtituras tot in Conciliis damnavit, non ſolos Imperatores & Reges, ſed etiam Duces, Marchiones, Comites, & generatim quemcumque Laicum, ſive virum ſive mulierem ab illis abſtinere juſſit, quod ſimiliter fecerunt alij Pontifices ejus ſucceſſores. *Decernimus*, inquit in Concilio v. Romano can. 3. *ut nullus Clericorum Inveſtituram Epiſcopatus, Abbatiæ vel Eccleſiæ de manu Imperatoris vel Regis vel alicujus Laicæ perſonæ, viri vel fœminæ ſuſcipiat.* Et rurſus in ſynodo vi. Romana anno 1080. celebrata: *Si quis Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, Inveſtituram Epiſcopatuum vel alicujus Eccleſiaſticæ Dignitatis dare præſumpſerit, &c.*

7. Veriſimile autem omnino eſt, varios Galliæ Dynaſtas, in hac de Inveſtituris controverſia, Chriſtianiſſimorum Regum exemplo, uſum tradendi annuli virgæque paſtoralis ſtatim dimiſiſſe, neque tamen à danda feudorum Inveſtitura deſtitiſſe, ſed hominium à novis Prælatis adhuc exegiſſe, ipſáque feuda poſt Antiſtitum mortem occupaſſe, &, ubi id juris erat, fructus ſuos feciſſe. Imo proclive eſt etiam credere eos pleriſque in locis, unà cum feudis, alios omnes vacantium Eccleſiarum reditus comprehendiſſe, quod Regaliæ, prout nunc accipitur, proprium eſt, ut ſupra demonſtravimus.

8. Sanè conſtat ex eo tempore Duces Britanniæ vacantium Epiſcopatuum reditus in ea Provincia ad ſe recepiſſe, ſive eos pro ſuis haberent, ſive potius futuris ſervarent Epiſcopis, ut alibi explicabimus. Hinc in pactis conventis inter Petrum Manclerum Ducem Britanniæ & ſanctum Ludovicum anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo initis, Dux ille expreſſis verbis de retinendo ſibi Regaliæ jure cavet, quod ſe in omnibus

Digitized by Google

bus hujus Provinciæ Epiſcopatibus habere aſſerit. Similiter Normanniæ Duces in toto Ducatu ſuo jure Regaliæ potiebantur: unde veriſimile eſt in Angliam transvectum fuiſſe, ibique, Regibus Henrico II. Richardo I. & eorum ſucceſſoribus, qui Regnum illud à Guillelmo notho partum, una cum Normanniæ Ducatu tenebant, pleniſſimè ſtabilitum. Illuſtriſſimus Petrus de Marca lib. 8. cap. 25. probat, Comitem Andegavenſem & Comitem Campagniæ jure Regaliæ in ſuis quoque Provincijs uſos fuiſſe. Quin & privatos quoſdam Toparchas id juris in quibuſdam Epiſcopatuum feudis obtinuiſſe patet exemplo Vice-Comitis Combornenſis in Diœceſi Lemovicenſi, cui anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto Parlamentum Pariſienſe duorum nobilium ejuſdem Epiſcopatus prædiorum Regaliam, rejecta Miniſtrorum Regiorum oppoſitione, ſuo Arreſto adjudicavit.

9. Denique hic Regaliæ uſus in Ducibus, Comitibus, alijque nonnullarum Galliæ Provinciarum Dynaſtis adeò certus & vulgaris erat, Philippo Rege, ut illum Legati ejus in libellis Clementi V. Pontifici Maximo ad Regaliæ defenſionem oblatis, propoſuerint; tametſi jus iſtud in his Dynaſtis nonniſi ex Regum conceſſione atque infeudatione locum habere contenderent.

10. Præterea ex ijs, quæ hactenus de Regaliæ ortu & natura diſputata ſunt, colligitur, jus illud non in ſolis Epiſcopatibus, ſed in Abbatijs quoque aliquando uſurpatum fuiſſe. Cùm enim non ſoli Archiepiſcopi aut Epiſcopi feuda poſſiderent, eorúmque Inveſtituram à Principibus acciperent, ſed utrumque etiam in Abbatibus locum haberet; minimè mirum debet videri, Regaliam, quæ feudis ortum ſuum debet, Inveſtiturisque quodammodo ſucceſſit, in aliquot ſaltem Abbatias tum virorum, tum etiam ſacrarum virginum

invectam

invectam fuiſſe, quod pluribus exemplis ac monumentis demonſtratur, in Probationibus lib. Eccleſiæ Gallicanæ cap. 15.

11. Hinc Philippus Auguſtus ad ſacrum bellum profecturus, in litteris ſupra laudatis, Reginæ matri atque Archiepiſcopo mandat, ut eligendi Epiſcopos & Abbates facultatem concedant, & Electis Regalia, hoc eſt feuda à Miniſtris Regijs dum ſedes vacaret, occupata, reddant. Similiter S. Ludovicus in ſuis litteris, matri fidelitates Epiſcoporum & Abbatum recipiendi eiſque Regalia reſtituendi facultatem tribuit.

12. Cæterum obſervandum eſt, non ut in Epiſcopatibus, ita quoque in Abbatijs Regaliæ jus extra feuda ad Decimas alióſque ſacros reditus propagatum fuiſſe: cujus diverſitatis ea fortè ratio eſt, quòd Monachis Abbatem, plurimum, nulla interpoſita mora, eligentibus, interim reditus Abbatiæ, quorum inter Abbatem & Monachos commune jus communíſque uſus, Præpoſiti Monaſterij, ut antea percipiebant, atque alendis Monachis alijſque conſuetis oneribus ſuſtinendis impendebant. Contra verò, cùm Epiſcopatus plerumque diutius, ob difficultates in electionibus atque ordinationibus Epiſcoporum emergentes, vacarent, atque horum bona à Capitulorum bonis eſſent ſeparata, Regaliam in univerſos Epiſcoporum reditus, tutelæ ſeu conſervationis titulo extendere, quanto facilius, tantò etiam magis ex uſu ſuo Principes arbitrati ſunt.

13. Quin etiam non liquet, an quamdiu Regaliæ jus ſolis feudis continebatur, in omnibus Abbatijs, aut etiam in pleriſque locum habuerit. In ſupra citatis Philippi Auguſti litteris Regales ſolum Abbatiæ commemorantur: *Si contigerit*, inquit, *aliquam Abbatiam Regalem vacare:* Unde colligitur, alias fuiſſe Abbatias non Regales, quæ ejuſmodi juri non ſubjacerent. Hoc certè inter Abbatias & Epiſcopatus diſcrimen

F ſemper

Digitized by Google

ſemper interceſſit, quòd etiam in Provincijs, quæ Regaliæ uſum admiſerant, nunquam huic juri omnes æquè Abbatiæ ſubjacuiſſe videntur. Jam diu autem ab hoc onere liberatæ ſunt. Quo tempore priſtinam libertatem recuperaverint, incertum eſt. Longè ante Concordatum, ut vocant, Bononienſe & tribus ab hinc ferme ſæculis id videtur contigiſſe. Abbatijs tamen vacantibus Oeconomos Regia auctoritate, Franciſco II. & Henrico III. Regibus, præpoſitos fuiſſe legimus; quemadmodum etiam nunc eadem auctoritate præfici cernimus. Verum id Regaliæ titulo non fit, neque ut fructus Regi adſcribantur, quos Abbatibus à Rege nominatis, ubi proviſiones ab Apoſtolica Sede obtinuerunt, reddi ſolemne eſt.

CAPUT XII.

In Provincijs Regaliæ non obnoxiis Principes ſeu Dynaſtæ Eccleſiarum vacantium fructus ſæpe occupabant. Hunc perverſum uſum ipſimet Principes damnaverunt ac dimiſerunt.

1. QUamvis Regalia in ſolas *Juris Conſuetudinarij* Provincias, in quibus Dominus, mortuo vaſallo, feudis potiebatur, non autem in Provincias *Juris ſcripti*, ubi aliud jus in feudalibus vigebat, introducta fuiſſet; attamen Duces, Comites, alijque Dynaſtæ, quibus illæ Juris ſcripti Provinciæ parebant, mortuis Epiſcopis, non ſolum eorum ſpolium hoc eſt res mobiles, ſed etiam vacantium Eccleſiarum fructus, Cuſtodiæ ſeu adminiſtrationis titulo nonnunquam occupabant. Verum cùm pro recepto illarum Provinciarum uſu, poſt Epiſcoporum mortem, feuda retinere fructúſque ſuos facere jure non poſſent, quidquid occupandis tum feudorum

dorum, tum aliorum bonorum reditibus, ſede vacante, facerent, tanquam vi factum nullóque jure nixum habebatur.

2. Hinc Alphonſus Comes Toloſanus anno milleſimo centeſimo trigeſimo octavo hunc peſſimum uſum in Eccleſia Toloſana ſolemni Edicto abrogavit his verbis : *Ego Alphonſus, &c. derelinquo & abſolvo coram populo Toloſano illam peſſimam conſuetudinem, quam Anteceſſores mei in rebus Toloſani Epiſcopi defuncti per violentiam exigebant. Illam prædictam conſuetudinem derelinquo Domino Deo & pretioſiſſimo Martyri Stephano & Toloſano Epiſcopo..... Et nec ego nec ullus ex hæredibus meis de cætero poteſtatem habeat, nec per ſe nec per nuntios ſuos vel Vicarios ſuos rapiendi vel capiendi res Epiſcopi poſt mortem ejus.* Hæc referuntur à Clariſſimo viro G. Catello in Hiſtoria Comitum Tholoſanorum pag. 195.

3. Eidem uſui nuntium remiſit Ermengardis Vice-comitiſſa Narbonenſis anno milleſimo centeſimo quinquageſimo quinto, Ludovico Juniori Regi Chriſtianiſſimo promittens, ſe impoſterum reditus feudorum aliorúmque bonorum Narbonenſis Eccleſiæ, mortuis Epiſcopis, minimè occupaturam; quam pollicitationem Adrianus IV. Pontifex Maximus ad ſe miſſam Apoſtolico decreto confirmavit. Ceſſionis charta eſt in Additione ad cap. 18. lib. 8. D. de Marca de Concordia Sac. & Imp. En verba religioſiſſimæ Vice-comitiſſæ. *Ego Ermengardis Narbonenſis Vice-comitiſſa, recognoſcens injuriam, quam Parentes mei & ego in poſſidendis honoribus & bonis diripiendis decedentium Archiepiſcoporum Narbonenſis Eccleſiæ hucuſque perperam fecimus, juſtitiæ inſtinctu & pietatis intuitu, pro remedio animæ meæ, & Parentum meorum, per bonam fidem & ſine malo ingenio ſolvo, guirpiſco, derelinquo & cum hac cartha omnino deſanparo Domino Deo & Beatis Martyribus Juſto & Paſtori & tibi Petro Narbonenſi Archiepiſcopo & ſucceſſoribus tuis in perpetuum,*

 quid-

quidquid videlicet rapere vel aliqua occaſione accipere ſolebam ego ſeu aliquis pro me Narbonæ, ſive in alio aliquo loco, in honore aut in bonis decedentium Archiepiſcoporum perceptis vel percipiendis.

4. Similem declarationem anno milleſimo ducenteſimo nono coram Milone Legato ſanctæ Sedis & Epiſcopis edidit Raymundus VI. Comes Toloſanus, cui Occitania, Provincia, magnáque pars Aquitaniæ parebant. Extat apud D. de Marca lib. 8. Concordiæ Sac. & Imp. c. 27. in Appendice his verbis: *Ego Raymundus Dei gratia Dux Narbonæ, Comes Toloſæ, & Marchio Provinciæ, pro remedio animæ meæ & Progenitorum meorum, omnibus Eccleſijs & domibus religioſis Provinciarum Viennenſis, Auxitanenſis, Burdigalenſis & Bituricenſis, immunitatem ſecundum ſtatuta Canonum & pleniſſimam libertatem concedo..... Defunctis earum Epiſcopis vel Rectoribus alijs, ipſas vel domos earum per me vel per alium nullo modo ſpoliabo, nec adminiſtrationi earum ſeu cuſtodiæ, occaſione alicujus conſuetudinis vel aliqua alia me ullatenus immiſcebo; ſed omnia ſine aliqua diminutione defunctorum ſucceſſoribus reſerventur.*

5. Non diſſimilem renuntiationem emiſerat anno milleſimo centeſimo ſexageſimo ſecundo Ermengaudus Comes Urgelli in Provincia Tarraconenſi, quæ Narbonenſi finitima eſt. Eam edidit V. C. Stephanus Baluzius Miſcellaneorum lib. 2. pag. 225. *Pro remedio,* inquit, *animæ meæ & omnium Parentum meorum dimitto atque evacuo & ſine aliquo retentu penitus perſolvo.... horribilem illam & male conſuetam rapinam, quam poſt deceſſum Epiſcoporum ſedis Urgelli injuſtè exercere conſueverant Prædeceſſores mei in omni honore Epiſcopali.*

Qua in re Ermengaudo præiverat Raymundus Comes Barcinonenſis, qui anno milleſimo centeſimo & quinquageſimo univerſas ſuarum ditionum Eccleſias ab hac nefaria conſuetudine hoc ſolemni edicto abſolvit. *Votum vovi Domino*

atque

atque donavi .... quod quandam nefariam conſuetudinem, quæ quondam extiterat in Eccleſijs Cathedralibus noſtri regiminis exſtirparem & abolerem. Erat enim conſuetudo, ut decedentibus Epiſcopis, &c. quod quia agnovi alienum eſſe à divinis legibus & humanis, ſupradictam conſuetudinem deteſtabilem, &c.

7. Huic malo in tota Aquitania anno milleſimo centeſimo trigeſimo ſeptimo occurrerunt Ludovicus VI. Rex Chriſtianiſſimus & Ludovicus VII. ejus filius, datis litteris patentibus, quibus Eccleſijs hujus Provinciæ Canonicam in omnibus libertatem ſe conſervaturos promiſerunt. Hanc eandem immunitatem anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, cùm in Angliæ Regum dominatu eſſet Aquitania, Parlamentum Pariſienſe ſuo Arreſto confirmavit, ut alibi fuſius dicetur.

8. Peſſima hæc conſuetudo, ſi quando in Delphinatum, quia à Delphinis Viennenſibus ut feudum Imperiale tenebatur, irrepſit, penitus ſublata eſt Conſtitutione Frederici II. Imperatoris, data anno milleſimo ducenteſimo decimo tertio, quam deinde Bulla aurea confirmavit anno milleſimo ducenteſimo undevigeſimo, inſcripta ad Honorium III. Papam, qua Conſtitutione univerſæ toto Imperio Eccleſiæ in priſtinam ſuam libertatem, juxta Canones, reſtitutæ ſunt. Hujus Conſtitutionis hæc ſunt verba: *Illum quoque dimittimus & refutamus abuſum, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum aut etiam Eccleſiarum vacantium, noſtri conſueverunt Anteceſſores committere pro motu propriæ voluntatis. Omnia nos ſpiritualia vobis & alijs Eccleſiarum Prælatis relinquimus liberè diſponenda, ut quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo rectâ diſtributione reddantur.* Apud Goſtadum.

CAPUT XIII.

Vt ſe Reges Chriſtianiſſimi in moderanda Regalia geſſerint. Ea minimè uſi in Eccleſijs, ubi jam à principio recepta non erat. Sancti Ludovici ea in re inſtitutum.

1. POſtquam Reges Chriſtianiſſimi Regaliam in certis Provincijs ac Diœceſibus, ad univerſos vacantium Epiſcopatuum fructus & ad Beneficiorum collationem extenderunt, eo jure, diſſimulante potius ac tolerante Eccleſia, quam concedente vel approbante, uſi ſunt. Verùm cùm tot incrementis auctum, omnino odioſum ſacríſque Canonibus contrarium appareret, ejus uſum Reges varijs modis temperare ſibi propoſuerunt. Primùm jus Spolij, quod in multis Eccleſijs obtinebant, penitus dimiſerunt, confectis etiam ea de re publicis documentis, ut Ludovicus VII. litteris datis anno milleſimo centeſimo quadrageſimo ſeptimo in gratiam Eccleſiæ Catalaunenſis, & anno milleſimo centeſimo quinquageſimo ſexto in gratiam Eccleſiæ Senonenſis, quæ referuntur in Probationibus Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ cap. 16. art. 1. Deinde jus Regaliæ in ijs ſolum Eccleſijs, ubi vetuſta conſuetudine receptum erat, retinuerunt, ab eo omnino ſibi temperantes in alijs, quæ id oneris hactenus non ſubierant. Poſtremò in ijs etiam locis, in quibus Regalia vigebat, ſi quæ dubia circa ejus vim atque effectus emergerent, uſui ac poſſeſſioni ſtandum eſſe decreverunt.

2. Duplici adhuc momento Reges Franciæ ad Regaliam ſic temperandam adducti videntur. Primùm, quòd eam paulo ante Fredericus II. Imperator in Germania ſuis Conſtitutionibus ſuſtuliſſet. Deinde quòd frequentibus pro ſacra militia expeditionibus per id tempus ſuſceptis, totius Orien-

tis

tis uſum in Eccleſiarum vacantium bonis futuro Epiſcopo, juxta Canones, reſervandis, facile animadvertere atque ipſis oculis haurire potuiſſent.

3. Hanc moderationem præ cæteris adhibuit S. Ludovicus, ut Eccleſiaſticæ libertatis valde ſtudioſus, ita etiam jurium Regni ſui minimè negligens. Regaliam in Eccleſijs ubi antiquo uſu confirmata erat, retinuit: ad eas quæ liberæ erant extendi noluit. Id inſinuat in ejus vita Hiſtoricus ſupra laudatus, ubi ait: *Eum in Beneficijs conferendis Deum præ oculis ſemper habuiſſe, præcipuè autem in Eccleſijs Cathedralibus, ubi ſede vacante ratione cuſtodiæ Regalium ex conſuetudine pertinebat ad eum collatio Præbendarum.*

4. Idem verò luculenter probatur ex controverſia, quæ de Eccleſia Anicienſi apud Velaunos, imperante ſancto Rege, exorta eſt. Contendebat Capitulum Anicienſe, Regaliam in hac Eccleſia ad Juſtitiam temporalem, & ad vectigalia aliáque nonnulla Epiſcopi intra ipſam urbem jura, coercendam eſſe, neque ad alia bona extra urbis ambitum poſita, aut ad Præbendarum aliorúmque Beneficiorum collationem extendi oportere. Contra Miniſtri Regij, tum univerſos vacantis Eccleſiæ Anicienſis fructus, tum etiam Præbendarum collationem Regi vindicabant. In ea diſceptatione S. Ludovicus, ex conſenſu Epiſcopi Anicienſis & Capituli, Archiepiſcopum Bituricenſem ad inquirendum de uſu & poſſeſſione delegavit. Inquiſitione facta compertum eſt, primùm Reges Chriſtianiſſimos extra urbem Regalia nunquam potitos, niſi una & altera vice, cùm noviſſimè ſedes Epiſcopalis vacaſſet, quod ad legitimam poſſeſſionem conſtituendam non ſufficiebat; deinde nullas unquam eos Præbendas aut Beneficia vi Regaliæ dediſſe; neque etiam Capitulum Anicienſe ſui Antiſtitis mortem Regi denuntiare, facultatémque novi

Epiſcopi

Epiſcopi eligendi poſtulare conſueviſſe: poſtremò jam pridem Reges Juſtitiam temporalem, vectigalia alióſque certos reditus intra urbem ejúſque territorium, exceptis Decimis & oblationibus, ob Regaliam occupaſſe.

5. Ex hac inquiſitione, Parlamentum anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo nono poſt Pentecoſten congregatum cauſam diremit; Rex verò ſolemni Edicto ſancivit, Regaliam in Eccleſia Aniciensi ea ſolum comprehendere, quæ antiquo uſu Regibus quæſita erant, hoc eſt Jurisdictionem temporalem, vectigalia aliáque nonnulla jura intra urbis territorium, non autem reliquos Epiſcopi reditus, neque Præbendarum collationem: eodem tamen Decreto ſibi ſuiſque ſucceſſoribus, pro ſupremo ſuo dominio, poteſtatem occupandi manu Regia caſtella atque arces Epiſcopi, quoties opus eſſet, prout jam ab initio fieri ſolebat, retinuit. Hæc in Edicto ſuo ſanctus Rex, quod Capitulo Aniciensi per Epiſcopum ejuſdem civitatis miſit, qua de cauſa Capitulum, ſcripta ad Regem Epiſtola, humillimas atque uberrimas ſuæ Majeſtati gratias egit. Parlamenti Decretum, religioſi Principis Edictum, Capituli Aniciensis Epiſtola, aliáque hujus celebris controverſiæ Acta etiamnum in Regeſtis Parlamenti Pariſienſis habentur, & à D. de Marca ſummatim relata ſunt lib. 8. de Concordia Sac. & Imp. cap: 24. n. 3. itémque à Renato Choppino lib. 2. de Domanio Franciæ tit. 9. n. 6.

CAPUT XIV.

Digitized by Google

CAPUT XIV.

Philippus III. in Regalia eandem quam S. Ludovicus moderationem adhibet. Concilij Lugdunenſis II. Generalis ea de re Decretum. Nulla in eo de Beneficiorum collatione mentio.

1. PHilippus III. Rex Chriſtianiſſimus ſancti Ludovici filius & ſucceſſor in moderanda Regalia Patris exemplum ſecutus, illam in Eccleſijs, quæ ei jam pridem aſſueverant, retinuit, in eas ubi recepta non erat, minimè inducendam exiſtimavit. Hujus rei luculentum teſtimonium eſt, Arreſtum Parlamenti anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſecundo in cauſa Eccleſiæ Albienſis latum. Ampliſſimos viduatæ Eccleſiæ reditus, tanquam Regi jure Regaliæ debitos Seneſchallus Carcaſſonenſis occupaverat. Capitulum Albienſe adverſus eum interdicto contendit. Re ad Parlamentum delata, ubi compertum eſt Reges eo jure nunquam in Eccleſia Albienſi uſos fuiſſe, cauſam obtinuit Capitulum, eique fructus à Seneſchallo Carcaſſonenſi occupatos, Philippus Rex, qui tunc Appamijs aderat, reddi juſſit. Hæc ex antiquo Parlamenti regeſto apud D de Marca lib. 8. de Concordia Sacerd. & Imp. c. 26. his verbis referuntur: *Sabbato poſt Aſcenſionem Domini reſtituta fuerunt apud Appamias & reddita per Dominum Regem Procuratoribus Capituli Albienſis Regalia, quæ mortuo Epiſcopo Albienſi Seneſchallus Carcaſſonenſis ad manum Domini Regis ceperat & ſaiſinaverat ſine cauſa, cùm Dominus Rex ſuper hoc alias nunquam uſus fuiſſet, prout ex aliorum & ipſius relatione fuit inventum.*

2. Verùm cùm Regalia etiam in ijs locis, ubi vetuſta conſuetudine nitebatur, ſacris Canonibus repugnaret, in tota

verò Germania à Frederico II. Imperatore non ita pridem abrogata eſſet, & in Anglia inter articulos, quos Henricus II. Rex promulgarat, tum à S. Thoma Cantuarienſi Archiepiſcopo improbata, tum ab Alexandro III. Pontifice Maximo damnata eſſe videretur; Philippus III. Rex Chriſtianiſſimus non parum è re ſua eſſe duxit, ſi ea in Concilio Lugdunenſi Generali, cui Gregorius X. Papa præſidebat, Eccleſiæ judicio atque auctoritate, quoquo modo confirmaretur. In hac itaque celeberrima ſynodo, coram Philippi Legatis, ijſque,ut par eſt credere, annitentibus, certè non reclamantibus, promulgatum eſt Decretum, quo ſeveriſſimè prohibitum eſt, ne Regalia in eas Eccleſias, ubi uſu recepta non erat, induceretur; in ijs verò ubi vel ab ipſa fundatione vel ex antiqua conſuetudine locum haberet, non tam probata eſt, quam tolerata, modo ea adhiberetur moderatio, quæ omnes ex ea abuſus atque exceſſus tolleret. Illud Decretum in ſextum Decretalium librum titulo de Electione cap. 12. relatum eſt his verbis.

3. *Generali Conſtitutione ſancimus, univerſos & ſingulos, qui Regalia, Cuſtodiam ſive Guardiam, Advocationis ſeu Defenſionis titulum in Eccleſijs, Monaſterijs, ſive quibuslibet alijs pijs locis, de novo uſurpare conantes, bona Eccleſiarum, Monaſteriorum aut locorum ipſorum vacantium occupare præſumunt, quantacumque dignitatis honore præfulgeant; Clericos etiam Eccleſiarum, Monachos Monaſteriorum & perſonas cæteras locorum eorundem, qui hæc fieri procurant, eo ipſo Excommunicationis ſententiæ ſubjacere.*

4. *Illos verò Clericos, qui ſe, ut deberent, talia facientibus non opponunt, de proventibus Eccleſiarum ſeu locorum ipſorum, pro tempore quo præmiſſa ſine debita contradictione permiſerint, aliquid percipere, diſtrictius inhibemus.*

5. *Qui*

Digitized by Google

5. *Qui autem ab ipſarum Eccleſiarum cæterorúmque locorum fundatione, vel ex antiqua conſuetudine jura ſibi hujuſmodi vindicant, ab illorum abuſu ſic prudenter abſtineant, & ſuos Miniſtros in eis ſolicitè faciant abſtinere, quod ea quæ non pertinent ad fructus ſive reditus provenientes vacationis tempore, non uſurpent; nec bona cætera, quorum ſe aſſerunt habere cuſtodiam, dilabi permittant, ſed in bono ſtatu conſervent.*

6. Obſervandum eſt, in hoc Decreto commemorari ſolum *bona Eccleſiarum & reditus ſeu fructus vacationis tempore provenientes*, de Beneficiorum verò collationibus altum eſſe ſilentium. Quidam Miniſtri Regij collationes Beneficiorum, fructuum appellatione hic comprehendi volunt, tum quòd eo tempore fructibus à pleríſque Canoniſtis annumerarentur, tum quòd plures Romani Pontifices, nominatímque Gregorius X. qui Concilio præſidebat, ejuſmodi collationes ob Regaliam factas in varijs caſibus non ita pridem approbaſſent. Verùm hic ſenſus Decreto obtrudi non poteſt, quod de ſolis bonis reditibúſque temporalibus intelligendum eſſe, ipſa ejus verba totúſque textus demonſtrat.

7. Probabilius dici poſſet, quòd quas ſibi notas collationes Concilium expreſsè non damnavit, eas permiſiſſe ac tacitè approbaſſe exiſtimandum ſit. At non minori probabilitate argumentum retorqueretur, cùm idcirco potius eas ſilentio præterijſſe videatur, quòd rem adeò extraordinariam, tametſi enitentibus, ut par eſt credere, Philippi Legatis, auctoritate ſua confirmare noluerit: quamquam non conſtet, an Reges Beneficia ob Regaliam pleno jure jam conferrent, fieríque potuerit, ut id juris nondum ſibi palàm arrogarent, ut ſupra notatum eſt.

8. Certè Bonifacius VIII. Pontifex Maximus, qui hoc Concilij Lugdunenſis Decretum viginti quinque circiter

Digitized by Google

poſt annis in ſextum Decretalium librum retulit, minimè exiſtimavit ejuſmodi collationes pleno jure factas huic Concilio probatas fuiſſe, cùm de ijs adverſus Philippum IV. Regem Chriſtianiſſimum tam acriter contenderit, magnóque animo eos damnare non deſtiterit, qui rem adeò ſpiritualem & hierarchicam Laicis tribuerent. Verum quidem eſt, Philippum conſuetudine ac poſſeſſione ſeſe tutatum eſſe, neque à Beneficijs pleno jure ob Regaliam conferendis, Bonifacij oppoſitione ac minis deterritum fuiſſe. Sed de his fuſius libro II. c. 4. & 5.

CAPUT XV.

Chriſtianiſſimorum Regum de Regalia Conſtitutiones, Decreto Concilij Lugdunenſis conſentientes.

1. NUllæ Chriſtianiſſimorum Regum de Regalia Conſtitutiones ante Concilium Lugdunenſe occurrunt: ſed paulò poſt jus illud, ſola antea conſuetudine nixum, publicis etiam legibus ſtabilire cæperunt. Id autem ad normam Decreti Lugdunenſis præſtitère, ſat habentes, ſi Regaliam in ijs locis, ubi jam pridem uſitata erat, Edictis ſuis confirmarent, neque eam ad Eccleſias, ubi recepta non erat, extenderent.

2. Primus inter Galliæ Reges occurrit Philippus IV. cognomine Pulcher. Is Edictum anno milleſimo trecenteſimo ſecundo publicavit, cujus hæc ſunt verba: *Quantum ad Regalias, quas nos & noſtri Prædeceſſores percipere aſſuevimus & habere, in aliquibus Eccleſijs Regni noſtri, quando eas vacare contigerit.* Idem Rex ad Bonifacium VIII. Papam, quo cum graviter diſſidebat, in ipſo diſceptationis æſtu ſcribens, Regaliam in aliquibus tantum Regni ſui Eccleſijs, ijs videlicet in quibus ex antiqua

antiqua conſuetudine vigeret, ſibi vindicabat: *Aliquarum*, inquit, *Eccleſiarum & Præbendarum collatio ad nos jure Regio pertinet.* Quin & litteris patentibus anno milleſimo trecenteſimo tertio datis, quibus Occitaniæ Privilegia & immunitates confirmantur, Eccleſias hujus Provinciæ à Regalia liberas apertè declaravit, ſuíſque miniſtris prohibuit, ne ullum eis hac in re negotium faceſſerent: *Nolumus*, inquit, *quòd Gentes noſtræ occupent Regalia Eccleſiarum vacantium Provinciæ Narbonenſis.*

3. Philippus VI. dictus Valeſius, in celebri Conſtitutione anno milleſimo trecenteſimo trigeſimo quarto edita, quæ ab ejus nomine Philippina appellatur, non ſecus ac Philippus IV. de Regalia loquitur, eámque ſolum ad aliquas certas Regni Eccleſias pertinere ſignificat: *Cùm*, inquit, *à nonnullis in dubium revocatum fuerit, utrum jus haberemus & ad nos ſpectaret conferre Præbendas, dignitates & Beneficia, quæ inventa fuerant aut inveniebantur non occupata ..... tempore Regaliæ noſtræ, in Eccleſijs Regni noſtri, in quibus Regaliæ jus habemus, &c.*

4. Idem ſenſus eſt Conſtitutionis, quæ incipit: *Dum Epiſcopus*, ſupra memoratis Conſtitutionibus, ut videtur, ætate ſuppar, & ab Ægidio *le Maiſtre* Proto-præſide in ſuo de Regalia Tractatu, Stephano Paſquerio in ſuis Diſquiſitionibus Francicis, alijſque auctoribus laudata, cujus hæc ſunt verba: *Dum Epiſcopus alicujus Epiſcopatus, ubi Dominus Rex habet Regaliam, ab humanis decedit, &.*

5. Id confirmat vetus liber Conſuetudinum Franciæ, Gallico ſermone conſcriptus, libro 3. his verbis: *Quando mortem obit Epiſcopus, poteſt Rex totum temporale occupare, & Regalia nomine per Oeconomum adminiſtrare ..... Verùm non omnes Epiſcopatus juri Regaliæ ſubjecti ſunt.*

 CAPUT XVI.

Digitized by Google

CAPUT XVI.

Conſtitutio continens enumerationem Eccleſiarum, quæ Regaliæ obnoxiæ vel ab ea liberæ ſunt. Obſervationes in hanc Conſtitutionem. Aliæ ſimiles Eccleſiarum enumerationes.

1. Quæ hactenus de Chriſtianiſſimorum Regum, in diſtinguendis, ex antiquo uſu, Eccleſijs Regaliæ obnoxijs vel non obnoxijs, inſtituto dicta ſunt, celeberrimæ Conſtitutionis in Regeſtis Cameræ Computorum Pariſienſis aſſervatæ præclaro graviſſimóque teſtimonio comprobantur. Hæc Conſtitutio poſt Concilium Lugdunenſe edita eſt, ineunte decimo quarto ſæculo, ut patet ex facto in ea ad annum milleſimum trecenteſimum ſextum adducto. Ab Ægidio *le Maiſtre* Proto-præſide & Stephano Paſquerio refertur his verbis.

2. *Dominus Rex prout conſtat per antiqua ſcripta Cameræ, conſuevit capere Regaliam cùm vacaverit in Provincijs, quæ ſequuntur.*

In tota Provincia Senonenſi & ejus ſuffraganeis, excepta Diæceſi Antiſsiodorenſi, in qua Decanus & Capitulum dicuntur feciſſe permutationem cum Rege.

In tota Provincia Remenſi, excepta Cameracenſi.

In tota Provincia Bituricenſi, exceptis Lemovicenſi, Cathurcenſi, Ruthenenſi, Albienſi, Mimatenſi.

In tota Provincia Turonenſi, exceptis Maclovienſi, Trecorenſi, &c.

In Provincia Burdigalenſi ſolum. Verumtamen de Pictavienſi fuit computatum anno 1306.

In tota Normania habet Regale.

In Provincia Auxitanenſi & Arelatenſi, & per conſequens in tota lingua Occitana nihil habet.

3. Quiſ-

3. Quiſquis hanc Conſtitutionem paulo attentius expenderit, eam ex auctoritate Decreti Concilij Lugdunenſis profectam, vel ſaltem ejus occaſione conditam eſſe, facile animadvertet. Nam cùm jus Regaliæ dudum vacillans & incertum fuiſſet, poſtquam in Eccleſijs, in quibus ex antiqua conſuetudine locum habebat, ſolemni hujus Concilij Decreto toleratum, vel, ut Miniſtri Regij interpretantur, approbatum fuit, proclive eſt credere, Reges Chriſtianiſſimos tam opportunam ejus ſtabiliendi occaſionem arripuiſſe. Excuſſis itaque ac perlectis, eorum mandato, Computorum Cameræ regeſtis, in qua Regaliæ, ſicut & reliqui Regij Patrimonij rationes referebantur, edita eſt hæc Conſtitutio, qua nominatim recenſentur omnes Eccleſiæ, *in quibus Dominus Rex conſuevit capere Regaliam*, vel in quibus *nihil habet:* quæ duo manifeſtè ad Concilij Lugdunenſis Decretum revocantur.

4. Quin etiam pro certo affirmaverim, eam Philippo Pulchro Rege, ejúſque juſſu perſcriptam eſſe, cùm extincto Bonifacio VIII. jam ipſi Regaliæ res magis ex voto fluerent, æquanimitate & indulgentia Clementis V. qui in ejus gratiam Sedem Pontificiam Avenionem tranſtulerat. Id enim ex hac articuli Provinciæ Burdigalenſis clauſula evincitur: *Verumtamen de Pictavienſi fuit computatum anno 1306.* quibus ultima Philippi tempora apertè deſignantur: maximè ſi hæc verba adjungas: *Sed Rex per litteras præcepit totum reſtitui Epiſcopo*, quæ apud Stephanum Paſquerium leguntur; itémque hæc alia, quæ in antiquo Codice M. S. Bibliothecæ Thuanæ reperiuntur: *Tunc conditione habita, quod inquireretur diligenter, ſi Prædeceſſores Epiſcopi unquam feciſſent homagium Regi; & ſi ſic, quòd recuperaretur ſuper ipſum Epiſcopum, quod ei fuerat reſtitutum.* Quis enim hic per Regem, nullo alio nomine addito, niſi Rex qui tum imperabat, ſignificatur? Accedit quòd ea quæ hic

Digitized by Google

hic narrantur, non ita pridem contigiſſe ipſa narrationis ſeries demonſtrat, ut non ad alium Regem quam Philippum Pulchrum, qui anno milleſimo ducenteſimo octuageſimo ſexto, ad finem uſque anni milleſimi trecenteſimi decimi quarti imperavit, referenda videantur.

5. Certè niſi hujus Conſtitutionis auctores, in ea diſponenda ad Concilium Lugdunenſe animum intendiſſent, quî tam accuratè Provincias atque Eccleſias, in quibus Regalia locum non haberet, recenſuerunt? quis eos ad hanc enumerationem adigebat? cur ea, quæ ex Regis uſu eſſe minimè videbantur, vulgabant; niſi quòd ex Concilij Lugdunenſis Decreto ſatis magnum ſe fructum capere arbitrarentur, ſi nihil novantes in Eccleſijs à Regalia liberis, eam in cæteris, ubi antiquò uſu recepta erat, publica auctoritate confirmarent?

6. Cùm magni momenti ſit hæc Conſtitutio, haud abs re erit eam novis adhuc quibuſdam obſervationibus illuſtrare.

7. Primò. Nihil in ea de Provincijs Viennenſi & Ebredunenſi: qui nondum ad Chriſtianiſſimorum Regum dominatum pertinebant, cui Delphinatus anno demum milleſimo trecenteſimo quadrageſimo nono, Philippo VI. Rege, ſubjectus eſt. Antea à Dynaſtis & Delphinis Viennenſibus, tanquam feudum Imperij, poſſidebatur, atque adeò Eccleſiæ in ijs Provincijs Canonica libertate per Fredericum II. Imperatorem reſtituta fruebantur. Nulla etiam ibi mentio de Provincia Aquæ ſextienſi, quòd tum Provincia Ducibus Andegavenſibus pareret, neque Regiæ Francorum Coronæ niſi anno milleſimo quadringenteſimo octuageſimo primo, tempore Ludovici XI. accreverit.

8. Secundò. In Provinciæ Turonenſis articulo Epiſcopatus Britanniæ Minoris excipiuntur; quia, ut inquit Paſquerius, quando

quando hæc Conſtitutio edita eſt, nondum Regum Galliæ erat Ducatus Britanniæ, qui eis anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo primo quæſitus, Regiæ eorum Coronæ anno demum milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſecundo, adjunctus eſt. Alioquin Regaliam jam inde à temporibus ſancti Ludovici in hac Provincia, ſaltem quod bonorum Epiſcopalium adminiſtrationem ſpectat, locum habuiſſe ſupra obſervavimus ex pactis conventis à Petro Mauclero Duce initis, in quibus hoc jus, ut ſibi debitum, nominatim excipit.

9. Tertiò. Subobſcurus eſt articulus Provinciæ Burdigalenſis propter verbum *ſolum*, quod ſenſu caret. Legendum fortaſſe *ſoluti*, hoc eſt à Regalia liberi ſive immunes, videlicet Antiſtites ſeu Prælati. Conſtat enim totam Aquitaniam Regaliæ non ſubjacuiſſe, ex quo Canonica ejus libertas Edicto Ludovici VII. anno milleſimo centeſimo trigeſimo ſeptimo, ac deinde Arreſto Parlamenti anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, confirmata eſt: id quod optimè cohæret cum ſequentibus verbis: *Verumtamen de Pictavienſi fuit computatum anno 1306*. Cùm videlicet à Philippi Pulchri Miniſtris dilatandæ Regaliæ cupidis hujus vacantis Epiſcopatus fructus occupati ſunt, haud ſcio an eo obtentu, quòd etſi Pictavienſis Eccleſia Burdigalenſi Metropoli ſubjiceretur, Pictavium tamen Burdigalæ in rebus civilibus nunquam ſubjacuit, neque, ut Aquitania & Occitania Gothorum Regibus paruit, ex eo tempore, quo Alaricum Clodoveus in agro Pictonico devicit. Certè Stephanus Paſquierius in hunc locum diſertè ſcribit, his verbis ſignificari totam Burdigalenſem Provinciam à Regalia liberam eſſe, quamvis Cameræ computorum regeſta fidem facerent, de Pictavienſi Epiſcopatu ſemel à Regijs Miniſtris computatum fuiſſe: qui ſenſus egre-

giè confirmatur ea clauſula, quam à Proto-præſide *le Maiſtre* omiſſam, ſupplevit Paſquerius, quæque in veteri codice Thuano fuſius adhuc explicatur, ut ſupra notatum eſt.

10. Præter celeberrimam hanc Conſtitutionem, altera adhuc in iiſdem Cameræ Computorum Pariſienſis regeſtis reperitur cum hoc titulo: *Eccleſiæ cadentes in Regaliam.* Adſcriptum habet annum milleſimum trecenteſimum quinquageſimum ſecundum, continétque una ſerie triginta Epiſcopatuum nomina, qui cum enumeratis in ſuperiori Conſtitutione concurrunt: neque inter illos ullus ex Aquitania, Occitania, Provincia, Delphinatu viciníſque tractibus recenſetur. Unus Anicienſis Epiſcopatus poſtremo loco, ſed minutioribus litteris adſcribitur, quod Regaliæ ex parte ſubjaceret, uti ex Arreſto Parlamenti, & Edicto ſancti Ludovici ſupra relato patuit. Epiſcopatus verò Britanniæ Minoris in eadem enumeratione, ſeparatim & ad latus adjunguntur. Hujus poſterioris enumerationis mentio fit apud Stephanum Paſquierium, & à D. *Seguin* Epiſcopo Cathurcenſi in ea lite, quam anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo primo pro Eccleſiæ ſuæ tuenda libertate in ſupremo Regis conſilio habuit, edita eſt.

11. Similis quoque Eccleſiarum enumeratio exhibetur in antiquo libro, qui inſcribitur: *Stylus ſupremæ Curiæ Parlamenti Pariſienſis*, Tractatu *de Juribus & Privilegiis Regni Franciæ. §. Quintum Privilegium.* Editus eſt hic liber Lutetiæ Pariſiorum anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſecundo.

CAPUT XVII.

CAPUT XVII.

Aliæ Regum de Regalia Conſtitutiones. Regaliæ reditus ſacræ Capellæ attributi. Parlamenti Pariſienſis in hac materia Juris-prudentia, Auctorúmque ſententiæ.

1. Reges Chriſtianiſſimi varias deinceps de Regalia Conſtitutiones ediderunt, quæ ſupra memoratis conſonant, atque eos jus iſtud in quibuſdam tantum Provincijs & Eccleſijs, ubi vetuſta conſuetudine receptum erat, juxta Lugdunenſe Concilium, ſibi vindicaſſe oſtendunt.

2. Sic Carolus VI. anno milleſimo quadringenteſimo octavo, & Carolus VII. anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo primo in ſuis Edictis his verbis utuntur: *In Epiſcopatibus, in quibus jus Regaliæ habemus*, quæ reſtrictè intelligenda ſunt, júſque illud in certis tantum Eccleſijs locum habere ſignificant. Ludovicus verò XII. qui ob bonitatem & æqui juſtíque obſervantiam Pater populi appellatus eſt, anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo nono, Miniſtros ſuos qui Eccleſias à Regalia liberas, occupatis poſt Epiſcoporum mortem bonis, vexabant, graviſſimis, verbis coercuit, quæ ſic latinè ſonant: *Inhibemus omnibus Miniſtris noſtris, ne in Archiepiſcopatus, Epiſcopatus aliáque Regni noſtri Beneficia, in quibus jus Regaliæ non habemus, manus injiciant, ſub pœnis contra ſacrilegos ſtatutis.*

3. Quamvis autem Chriſtianiſſimi Reges jam diu Eccleſiarum Regaliæ obnoxiarum fructus, dum Sedes Epiſcopalis vacaret, nullo contradicente perciperent, redactam tamen ex ijs pecuniam in proprios uſus convertere religioni ducebant. Unde ingenita illos pietas impulit, ut aliquam horum bonorum Eccleſiæ reddendorum viam, illæſo ſuo jure, ini-

rent. Primus omnium Carolus VII. Regaliæ reditus ſanctæ Palatij Capellæ dono dedit; quem poſtea Ludovicus XI. Carolus VII. Ludovicus XII. alijque Reges ſucceſſores imitati ſunt. Primùm hæ donationes ad tempus fiebant; deinde ad Regum vitam. Poſtremò Carolus IX. Conſtitutione menſe Februario anni milleſimi quingenteſimi ſexageſimi quinti edita, omnes hos reditus ſanctæ Capellæ perpetuò addixit.

4. Porro obſervandum eſt, has ſingulas donationes, ad eas reſtringi Eccleſias, *in quibus Reges jus Regaliæ haberent*; quod fruſtra aliqui ita dictum putant, ut Eccleſiæ titulo oneroſo aut peculiaribus Privilegijs à Regalia liberæ, his donationibus eximerentur; ſi enim tum Regalia univerſas Regni Eccleſias comprehendiſſet; cùm vix amplius quam quinque aut ſex Epiſcopatus titulo oneroſo vel Privilegijs, à Regalia immunes ſint, cur his nominatim exceptis, reliquos omnes iſtis donationibus contineri Reges non explicaſſent? Deinde ex iſta interpretatione grave ſequeretur incommodum, Reges videlicet his donationibus infinitum pene in ſanctam Capellam cenſum contuliſſe, eámque locupletiſſimam ac potentiſſimam totius Regni Eccleſiam effeciſſe. Verum quid attinet hanc interpretationem argumentis refellere, cùm certiſſimum ſit, ſanctam Capellam, ducentis fere annis, quibus hæ donationes viguerunt, vacantium Eccleſiarum fructibus in Occitania, Aquitania, Provincia, Delphinatu alijſque vicinis tractibus nunquam potitam fuiſſe; quod tum ex ejus Oeconomorum rationibus, quas penes ſe habet, tum ex illarum Eccleſiarum tabularijs facile probari poteſt?

5. Quod Reges Edictis alijſque publicis actis de Regaliæ limitibus ſtatuerunt, hoc Parlamentum Pariſienſe, cui ſoli de Regalijs juris dicundi poteſtas attributa eſt, ſuis Arreſtis, totos fere trecentos annos ſancivit.: jus iſtud in Eccleſijs, ubi antiqua

antiqua conſuetudine receptum erat, confirmavit; ad eas quæ in Canonica ſua libertate remanſerant, minimè porrigendum judicavit. Unde hac in re eadem ferme Juris-prudentia, atque in Decimis, quæ infeodatæ dicuntur, obtinebat. Quemadmodum enim poſt Concilium Lateranenſe anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo nono celebratum, à quo impoſterum prohibitæ ſunt Decimarum infeodationes, Laici qui has ſibi vindicabant, debebant probare eas quadraginta ante illud Concilium annis infeodatas fuiſſe, quod deinceps ab omnibus Galliæ Judicibus hucuſque ſervatum eſt: ita poſt Concilium Lugdunenſe ſecundum, quoties de aliqua Eccleſia quæſitum eſt, an Regaliæ ſubeſſet, probare debuit Regius Procurator, jus iſtud diu ante hoc Concilium in ea locum habuiſſe.

6. Quin etiam Parlamentum Regaliam in ijs locis, ubi uſu recepta erat, nonnunquam ſecabat, una tantum parte Regi adjudicata, quòd ſuam Majeſtatem reliquarum partium poſſeſſionem habuiſſe non conſtaret, uti factum eſſe in cauſa Eccleſiæ Anicienſis ſupra demonſtratum eſt. Idem contigit anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo tribus poſt Concilium Lugdunenſe annis, cùm exorta lis eſſet inter Procuratorem Generalem Philippi III. & Archiepiſcopum Bituricenſem de nonnullis Præbendis, quas cùm inquiſitione facta à Regibus nunquam ob Regaliam collatas fuiſſe compertum eſſet, Archiepiſcopo relinquendas pronunciatum eſt, ut refertur à Renato Choppino lib. 2. de Domanio Franciæ tit. 9. n. 5. Similiter, ut narrat idem Choppinus lib. 1. de Sacra Politia c. 7. nonnullorum Beneficiorum collatio Epiſcopo Ambianenſi adjudicata eſt, poſtquam, inquiſitione à Prætore Ambianenſi facta, ea Regaliæ obnoxia fuiſſe non patuit. Idem Parlamentum anno milleſimo ducenteſi-

Digitized by Google

mo octuageſimo quinto, Decimas in Epiſcopatu Conſtantienſi Provinciæ Rotomagenſis Regaliæ non ſubjacere pronuntiavit, id quod antea anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſexto pro Eccleſia Morinorum pariter judicatum fuerat. Anno autem milleſimo ducenteſimo trigeſimo nono Regalia in Diœceſi Claromontana, certis quibuſdam bonis, quibus Reges frui conſueverant, reliquis juri communi relictis, Arreſto Parlamenti circumſcripta eſt.

7. Denique Parlamentum quadringentorum fere annorum ſpatio innumera de Regalijs Arreſta in varijs Diœceſibus tulit, quorum duo volumina manuſcripta Pariſijs in Bibliotheca Thuana aſſervantur. Omnia verò illa Arreſta ad Provincias Senonenſem, Remenſem, Rotomagenſem, Turonenſem, Bituricenſem de quibus in enumerationibus ſuperiore capitulo allatis, ſpectant; & ne unum quidem ad Eccleſias Occitaniæ, Aquitaniæ, Provinciæ, Delphinatus, aut ad Diœceſes Cathurcenſem, Lemovicenſem, Ruthenenſem aliáſque vicinas. Quin & in regeſtis Parlamenti Pariſienſis, quorum exſcripta exemplaria Pariſijs in aliquibus Bibliothecis exſtant, non uno loco diſertè habetur, Regaliam in quibuſdam tantum, non verò in omnibus Regni Eccleſijs locum habere.

8. Sin verò aliquando Miniſtri Regij, Eccleſiarum, quæ Regaliæ non ſuberant, bona, mortuis Epiſcopis, occuparent, ea expoſtulantibus Capitulis aut ſucceſſoribus Epiſcopis, Parlamenti vel Regij conſilij auctoritate reddebantur, ut in Eccleſijs Anicienſi, Albienſi, Pictavienſi, Regibus S. Ludovico, Philippo III. & Philippo IV. factum ſupra memoravimus. Similia duo Arreſta ad annum milleſimum treceteſimum vigeſimum ſeptimum, & milleſimum treceteſimum trigeſimum quartum pro Eccleſia Carcaſſonenſi & Albienſi citantur.

tur, quibus ad ſe relatis Philippus VI. earum Eccleſiarum Capitulis occupatos à Seneſchallo Carcaſſonenſi alijſque Miniſtris Regijs fructus, reſtitui præcepit.

9. His nixi fundamentis quotquot Auctores à ducentis annis de Regalia ſcripſerunt, eam non eſſe generalem, ſed in aliquibus tantum Provincijs & Diœceſibus locum habere, uno ore docuerunt. Sic Ægidius *le Maiſtre* Parlamenti Pariſienſis Proto-præſes in ſuo de Regalia Tractatu: ſic Gloſſa in Pragmaticam Sanctionem Guimerio Inquiſitionum in eodem Parlamento Præſidi adſcripta, tit. de Annatis. §. item. v. Regalia: ſic Franciſcus Duarenus lib. 3. de ſacris Eccleſiæ Miniſterijs. c. ult. Carolus de Graſſalijs lib. 2. Regalium Franciæ c. 1. Philippus Probus Tractatu de Regalia quæſt. 60. 61. Renatus Choppinus lib. de ſacra Politia tit. 7. n. 11. lib. Monaſt. tit. 3. n. 18. Charondas in Pandectis, Petrus Rebuffus Tract. de Regia ad Prælaturas nominatione v. *ſed tenentur*, Stephanus Paſquierius lib. 3. Diſquiſitionum Franciæ cap. 37. Cardinalis d'Oſſat epiſt. 293. Petrus de Marca Archiepiſcopus Pariſienſis, Franciſcus Boſquet Epiſcopus Monſpelienſis. Quos inter Paſquierius Antiquitatum Francicarum ſcriptor diligentiſſimus & Regius in Camera computorum Pariſienſi Advocatus, id adeò certum atque indubitatum habuit, ut contrariam ſententiam, quæ Regaliam generalem eſſe aſſereret, *erroneam*, ejuſque defenſores, *Aulicos potius adulatores, quam Gallicos Juris-conſultos* appellare non dubitarit. Horum Auctorum verba alibi exſcribemus.

CAPUT XVIII.

CAPUT XVIII.

Quando primum de Regalia per totum Regnum extendenda deliberatum ſit? Quibus id viȷs tentatum?

1. Rebus ita conſtitutis, Eccleſiæ in Occitania, Aquitania, Provincia, Delphinatu viciníſque regionibus Canonicam ſuam libertatem decreto Concilij Lugdunenſis, totque Regum Conſtitutionibus ac Parlamenti Arreſtis confirmatam retinebant. Capitula, mortuis Epiſcopis, bona Epiſcopalia adminiſtrabant, & Oeconomos, qui ea procurarent, futuróque Epiſcopo de ijs rationem redderent, præficiebant. Si qua autem Beneficia vacarent, vel ſucceſſori Epiſcopo, juxta Canones, ſervabantur, vel ab ijſdem Capitulis, ex Indultis à Sede Apoſtolica obtentis, conferebantur.

2. Verum circa medium ſuperioris Sæculi antiquus hic ordo perturbatus eſt, nonnullis Miniſtris Regijs Regaliam ultra conſuetos limites extendere conantibus, quippe qui congruere arbitrarentur, cùm Regia Corona in orbem circumducta ſit, jus iſtud, quod inter præcipua ejus ornamenta eſſet, non alijs, quam Regni finibus, terminari. Hac opinione imbuti fructus quarundam Eccleſiarum vacantium, quæ nunquam Regaliæ obnoxiæ fuerant, occupare cæperunt, nacti ea in re adjutores Canonicos ſanctæ Capellæ, qui hanc augendorum redituum occaſionem ultro arripuerunt. De hac Regiorum Miniſtrorum molitione Clerus Gallicanus in Comitijs Bleſenſibus anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo conqueſtus eſt, & in libellis ad Henricum III. Regem porrectis articulo ſeptuageſimo ſexto poſtulavit, ut Epiſcopatus à Regalia liberi ejuſmodi vexationibus amplius non paterent.

3. Guido

3. Guido *Du Faur* Pibracius Regius in Parlamento Pariſienſi Advocatus primus, Paſquierio teſte, propoſuit, ut hæc novitas publico Edicto confirmaretur. Sed, ut addit idem Paſquierius, repulſam tulit, nec res optatum habuit exitum. Id in Conventu Procerum ad San-Germanum anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo tertio his verbis rogaverat: *Rex jus Regaliæ habet in omnibus Archiepiſcopatibus & Epiſcopatibus Regni ſui.* At delegati Proceres, quibuſcum hic articulus communicatus eſt, ſic de eo Henricum III. exhibito libello monuerunt: *Excipiendas primò videri Eccleſias, quæ Regaliæ vacationem titulo oneroſo commutationis cauſa, aut alio quovis contractu, à ſua Majeſtate vel Deceſſoribus Regibus conſecutæ eſſent: deinde his adjungendas eſſe illas, quas poſt hominum memoriam ab hoc jure liberas fuiſſe conſtaret; præſertim cùm in quibuſdam Provinciis, antequam Coronæ adderentur, id juris prorſus ignotum fuerit: eas autem, quod huic ſe Imperio dederint, aut alio quovis modo quæſitæ ſint, pejoris eſſe quam antea conditionis, vel ſuis immunitatibus excidere, haud æquum fore; maximè cùm hanc ſuam libertatem hactenus conſtanter retinuerint. Proinde ſi propoſitus Edicti articulus ſic generalis maneret, nec aliæ exciperentur Eccleſiæ præter illas, quæ pacto aut contractu libertatem obtinuiſſent, reliquas omnes antiqua ſua poſſeſſione deturbari, & ad hanc iniquam conditionem redigi, ut quod ſibi optimo jure debitum ſit, & à prima uſque origine retentum, repetere atque Actoris more perſequi cogerentur: ſe itaque cenſere, ut præter Eccleſias pacto aut privilegio à Regalia exemptas, illæ quoque exciperentur, quas ab antiquo tempore & ſupra hominum memoriam ab ea liberas eſſe conſtaret: hoc modo futurum, ut, perſpicua lege, nullâque ambiguitate laborante, neque jus Regis imminueretur, neque etiam in aliorum damnum creſceret; quod ſuam Majeſtatem pro ſua juſti ſanctique obſervantia velle, omnes probè norant.* Hæc gravis ac nervoſa San-Germanenſis Pro-

cerum Conventus monitio, Pibracij, ut par eſt credere, conatum fregit, eúmque ab inceptis deſiſtere coegit.

4. Verum antequam ad alia progrediamur, operæ pretium eſt, ex Regeſtis Parlamenti Pariſienſis obſervare, Miniſtros Regios, dum Regaliam longè latéque, qua patet Regnum, extendi oportere contenderent, id initio alio planè ſenſu, atque poſtea factum eſt, accepiſſe. Primò enim ſolum Regaliæ nomine, jus Cuſtodiæ, Defenſionis ſeu Tutelæ intelligebant, quo Reges Chriſtianiſſimi, ut omnium Regni ſui Eccleſiarum Protectores ac Patroni, bona earum, ſede vacante, tueri, & pro ſupremo in res temporales dominio, conſervare deberent. Hinc duplicem tum Regaliam diſtinguebant: unam quæ ſola bonorum Epiſcopalium adminiſtratione ac tutela, ut ad ſucceſſorem Epiſcopum integra & ſine diminutione pervenirent, continebatur: Alteram qua Rex vacantium Eccleſiarum fructus faciebat ſuos, Beneficiorúmque exceptis Parochijs, collationem ſibi vindicabat. Hanc autem poſteriorem Regaliam non eſſe generalem, ſed in aliquibus tantum Provincijs ac Diœceſibus locum obtinere, pro confeſſo habebant, ut ex ipſis Parlamenti Regeſtis planum eſt, in quibus duplicis hujus Regaliæ frequens mentio fit.

4. Idem manifeſtè teſtatur Ægidius *le Maiſtre* Proto-præſes in ſuo de Regalia Tractatu cap. 1. Ubi *Regaliam ſpiritualem*, quæ Beneficiorum collationem complectitur, apertè diſtinguit à *Regalia temporali*, quæ Eccleſiarum bona temporalia ſpectat, quámque ait *ad Regem pertinere in omnibus Eccleſijs Cathedralibus Regni ſui citra & ultra Ligerim*; non quòd vacantium ubique Eccleſiarum fructus ſuos Reges facerent, cùm id ſolum in quibuſdam Regni partibus locum habere poſtea diſertè aſſerat, variſque probationibus demonſtret, ſed quòd pro ſupremo ſuo dominio ac jure Patronatus conſervandis

Eccleſiarum

Eccleſiarum bonis invigilarent, emergentéſque ratione œconomatus controverſiæ regiorum Magiſtratuum auctoritate dirimerentur. Eamdem diſtinctionem refert ac probat Philippus Probus quæſt. 1. apertéque agnoſcit, Regem vi Regaliæ temporalis fructus ſuos in Eccleſijs vacantibus non facere, ſed eos ſucceſſoribus Epiſcopis conſervare.

6. Ex hac etiam diſtinctione, ut id obiter obſervemus, explicandum eſt, quo ſenſu Carolus VII. Rex Chriſtianiſſimus in Epiſtola ad Eugenium IV. Papam, quæ refertur tomo. 7. Spicilegij pag. 286. dixerit, omnes Regni Eccleſias *in & ſub Regalia contineri.* Id enim intellexit non de propriè dicta illa Regalia, quæ in percipiendis Eccleſiarum vacantium fructibus, & conferendis etiam Beneficijs poſita eſt; ſed de quocumque jure utili aut honorario, ſive in officio & jurisdictione aut alio quocumque conſiſtat, quod ad Reges ut ſupremos feudorum Dominos, & Eccleſiarum Regni ſui Patronos & Tutores ubique ſpectat, ut totam Epiſtolam legenti patet.

7. Cæterum ex hac duplicis Regaliæ diſtinctione factum eſt, ut Magiſtratus regij, centum ac viginti circiter ab hinc annis, jus conſtituendorum Eccleſijs vacantibus Oeconomorum in Occitania viciníſque Provincijs ad ſe traxerint, amotis Capitulis Cathedralibus, quæ antea hoc jure, ut ex eorum tabularijs conſtat, nullo contradicente, utebantur. Poſtquam autem eo pacto omnium Regni Eccleſiarum fructus vacationis tempore provenientes in Regis regiorúmque Miniſtrorum poteſtatem redacti ſunt, haud multum temporis fuit, quin hæc duo Regaliarum genera permiſcerentur. Ut enim Principes ab ipſo Regaliæ ortu, Cuſtodiæ ſeu Advocationis titulo, Decimas cæteróſque reditus Eccleſiaſticos, feudalibus bonis, quibus ſpeciali quodam jure potiebantur, adjunxerunt; ita etiam poſtea eodem titulo ad Regaliam in

Eccleſias Occitaniæ, Aquitaniæ, Provinciæ, Delphinatus aliáſque ab ea prorſus liberas extendendam, abuſi ſunt. Qua in re, præter adæquandi ubique hujus juris opportunitatem aliáſque ſimiles ex uſu & commodo rationes, quæ ijs qui viribus prævalent nunquam deſunt, plerique Magiſtratus ſui officij eſſe duxerunt, & ad ineundam à Rege gratiam percommodum, ſi jus iſtud, quod, eorum opinione, Regiæ Coronæ ſummo uſui & ornamento eſſet, & à quo ipſis etiam non minima auctoritatis & jurisdictionis acceſſio fieret, pro virili propagarent.

8. Hanc eamdem Regaliæ extenſionem Theſaurarius & Canonici ſanctæ Capellæ, quòd maximum ipſis emolumentũ allatura eſſet, non mediocriter adjuverunt. Hinc vacantium Eccleſiarum, quæ Regaliæ nunquam ſubditæ fuerant, proventus occupare cœperunt, Capitulorum Procuratoribus atque Oeconomis apud Parlamentum Pariſienſe diem dicere, nonnunquam cum Epiſcopis à Rege deſignatis de fructibus vacantium Epiſcopatuum paciſci, eiſque aut Eccleſiarum Capitulis acceptilationes & ceſſiones, quibus deinde ipſi in confirmationem Regaliæ uterentur, offerre. Ex alia parte plurimi Clerici Beneficiorum conſequendorum cupidi, earundem Eccleſiarum Dignitates & Canonicatus aliáque Beneficia à Regibus, Regaliæ nomine, poſtularunt, variáſque lites ea de re moverunt in Parlamento Pariſienſi, in quo ſæpe cauſam obtinebant adverſus eos, quibus Beneficia ab Ordinarijs collata fueant. Denique quantum in eam partem Parlamentum propenderet, jam inde ab anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſexto, non obſcurè ſignificavit, cùm edito Arreſto, *Archiepiſcopatum Burdigalenſem Regaliæ obnoxium, ut alios Regni Archiepiſcopatus & Epiſcopatus, pronuntiavit.*

CAPUT XIX.

CAPUT XIX.

Cleri Gallicani querimoniæ. Edictum Henrici IV. Arreſtum Parlamenti Pariſienſis. Generalis de Regalia litis initium, & progreſſus. Edictum Ludovici XIII. Ejuſdem litis continuatio. Edictum Regis feliciter regnantis, quo Regalia ad omnes Regni Eccleſias pertinere declaratur.

1. TUrbulentiſſima civilium bellorum tempeſtas, quibus, exeunte proximo ſæculo, Gallia univerſa jactata eſt, impedimento fuit, quo minus Clerus ſupra memoratis regiorum Miniſtrorum molitionibus occurreret. At reddita ab Henrico Magno pace, ſtatim de his apud ſuam Majeſtatem Eccleſia Gallicana querelas ſuas detulit: quibus permotus Rex humaniſſimus, Edictum anno milleſimo ſexcenteſimo ſexto promulgavit, quo inter alia de Regaliæ negotio ex veterum Conſtitutionum norma ſtatuit his verbis: *Neq; intendimus jure Regaliæ uti, niſi prout nos Prædeceſſoréſque noſtri uſi ſunt, minimè illud in Eccleſiarum immunium detrimentum extendendo.*

2. Quidam, quo vim Edicti declinent, per Eccleſias immunes, eas quæ titulo oneroſo aut peculiaribus Privilegijs, de quibus fidem facere poſſint, à Regalia ſolutæ ſunt, interpretantur. Verum futilis eſt hæc explicatio. Nemo enim tum Eccleſiarum, quæ Regaliæ vacationem contractu vel privilegio conſecutæ erant, immunitatem in dubium vocabat; neque Clerus Gallicanus propriè de his querimoniam ad Regem detulerat, ſed de illis, quæ tametſi nativa & Canonica libertate, jam inde à prima ſua inſtitutione Regaliæ non ſubeſſent, non ita pridem id oneris ſubire paſſim adigebantur,

Digitized by Google

quod vel ex una ſupra allata Procerum San-Germanenſium ad Pibracij propoſitionem reſponſione manifeſtum eſt. Hunc verò Edicti ſenſum eſſe, Parlamenti Pariſienſis Magiſtratus probè agnoverunt. Cùm enim plerique eorum jam generali Regaliæ extenſioni faverent, Edicti publicationem, ſeu, ut vocant, verificationem, ratione hujus articuli, diu abnuerunt; ut non niſi duobus poſt annis, hoc eſt vigeſima die Februarij anni milleſimi ſexcenteſimi octavi ab illis publicata & in tabulas purè ac ſimpliciter relata ſit.

3. Neque etiam diuturnum ex hac Edicti publicatione fructum percepit Eccleſia. Vix enim menſis elapſus erat, cùm ecce tibi Arreſtum ab eodem Parlamento vigeſima quarta die Aprilis ejuſdem anni, perorante Ludovico Servino Regio Advocato, latum, in cauſa Canonicatus Eccleſiæ Bellicenſis Provinciæ Seguſianorum vulgo Breſſiæ, quæ regiæ Coronæ nuper adjuncta erat, quo in modum generalis conſtituti decretum eſt, *in Eccleſiam Bellicenſem Regem, ſicut & in alias omnes Regni ſui Eccleſias, Regaliæ jus habere*, & Advocatis interdictum, nequid impoſterum huic Decteto contrarium afferrent.

4. Clerus Gallicanus de hoc Arreſto apud Henricum Magnum tanquam adverſus jura libertatéſque Eccleſiæ, & in manifeſtam regij Edicti violationem lato, ſtatim conqueſtus eſt: quibus querelis benignè ſuſceptis Rex per litteras patentes, poſtulantibus Cleri Procuratoribus, omnibus de Regalia litibus in Eccleſijs, quæ ab eo ſe jure liberas contendebant, ad annum ſuperſederi juſſit, háſque lites ad ſe evocavit, atque earum cognitione Parlamento Pariſienſi interdixit; quæ quidem evocatio atque interdictio per multos deinceps annos continuata eſt.

5. Ludovicus XIII. felicis memoriæ Rex Chriſtianiſſimus anno

anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo nono ad poſtulationes generalium Comitiorum anno milleſimo ſexcenteſimo decimo quarto factas, & in Conventu Procerum anno milleſimo ſexcenteſimo decimo ſeptimo, & milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſexto renovatas Conſtitutionem edidit, quâ Henrici IV. Edictum confirmavit his verbis: *Intendimus uti jure Regaliæ, quod ad nos ratione Coronæ noſtræ pertinet, prout antea factum eſt...... idque juxta Edictum ea de re à Divæ memoriæ Parente ac Domino noſtro anno milleſimo ſexcenteſimo ſexto menſe Decembri promulgatum.* Cúmque hæc verba: *Prout antea factum eſt*, aliquid adhuc obſcuritatis haberent, de his Clerus apud Majeſtatem ſuam expoſtulavit, cui à Domino Marillaco regijs ſigillis Præfecto alijſque à Rege datis Quæſitoribus reſponſum eſt, his verbis Regem declaraſſe, nolle ſe uti Regalia in ijs locis, ubi præterito tempore uſus non fuiſſet, húncque articulum ad Edictum Henrici IV. referri: quæ quidem reſponſio iterum ab ijſdem regijs Miniſtris Majeſtatis ſuæ nomine reddita eſt, cùm poſtea ſuaſorio Cleri libello in ſcriptis reſponderunt.

6. Idem Ludovicus XIII. anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo primo menſe Decembri, pro ſua pietate & juſtitia, aliud non parvi momenti in hoc Regaliæ negotio præſtitit, reſciſſis Regum Deceſſorum ſuorum donationibus, quibus Regaliarum reditus ſanctæ Capellæ attributi fuerant, atque unita in perpetuum ejuſdem ſanctæ Capellæ Capitulo Abbatia ſancti Nicaſij Remenſis, ut illatum ei ex hac reſciſſione damnum ſarciretur: ijſdémque litteris juſſit, ut vacantium Eccleſiarum fructus ſucceſſoribus Epiſcopis ſervarentur, quibus eos, quatenus opus eſſet, dono dedit. Quæ quidem litteræ in tabulas tum Parlamenti Pariſienſis, tum Cameræ Computorum relatæ ſunt, atque in auctoritatem acceptæ, appoſita

poſita tamen hac clauſula, ſeu, ut loquuntur, modificatione, quòd hujuſmodi fructus Archiepiſcopis & Epiſcopis non acquirerentur, niſi eis à Rege peculiaribus litteris donati eſſent, quas Cameræ Computorum exhiberi, & in ejus tabulas referri neceſſe eſſet.

7. Hæ Ludovici XIII. litteræ, quatenus Regaliarum proventus ſucceſſoribus Epiſcopis relinquebant, anno ſequente, paulo poſt ejus mortem, annitentibus iiſdem Parlamenti Pariſienſis & Cameræ Computorum Magiſtratibus abrogatæ ſunt, contraria Conſtitutione promulgata, Rege Ludovico XIV. tum pupillo, qua edicitur: *Regem ad ſuam manum jus Regaliæ temporalis revocare, quod impoſterum Coronæ indiviſim unitum hærebit, ut eo ipſe ejúſque ſucceſſores plenè & cum ſupremâ auctoritate potiantur, prout ſolebant Prædeceſſores Reges, antequam ſanctæ Capellæ attributum fuiſſet: Proinde Archiepiſcopatuum vacantium fructus in manu Regis fore, & per Oeconomos ad poſtulationem Regij Cameræ computorum Procuratoris præficiendos adminiſtratum iri, redactámque ex iis pecuniam ad Regaliarum Collectores deferendam, ut, deductis eorundem Archiepiſcopatuum & Epiſcopatuum oneribus & impenſis ordinariis, quod reliquum fuerit, Rex deſignatis Archiepiſcopis & Epiſcopis dono det, aut in opera pia, prout opportunius judicaverit, impendat, datis eam in rem patentibus litteris, quæ ad Cameram computorum referri debeant.*

8. Cæterum generalis Regaliæ cauſa ad ſupremum Regis conſilium, poſt privatarum litium evocationes prorogationéſque ad Cleri poſtulationem conceſſas, delata, eodem ſtatu uſque ad annum milleſimum ſexcenteſimum trigeſimum ſeptimum hæſit, cùm lato Arreſto juſſum eſt, ut ſinguli Archiepiſcopi & Epiſcopi, qui ſe Regalia immunes contenderent, ad regij conſilij tabularium immunitatis ſuæ probationes & documenta intra ſex menſes ederent, utque interea omnibus

omnibus litibus ea de re motis aut movendis ſuperſederetur. Alterum huic ſimile Arreſtum decima nona die Junij anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi octavi latum eſt. His Arreſtis obſecuti Provinciæ Narbonenſis Procurator, nonnulliſque Antiſtites & Capitula Provinciæ Auſcitanæ, Narbonenſis & Toloſanæ immunitatis ſuæ documenta, atque auctoritates apud regij Conſilij tabularium ediderunt, denuntiatione tamen prius facta, ſe id præſtare ſalvo ſuæ nativæ libertatis jure, ad cujus probationes ac teſtimonia proferenda minimè obligarentur. Anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo nono, agente Provinciæ Narbonenſis Procuratore, quinta die Junij aliud Arreſtum latum eſt, quo denuo omnes de Regalia lites in Occitania motæ vel movendæ, ſuſpenſæ ſunt atque evocatæ, uſque dum aliter de eo à Rege ſtatutum fuiſſet; vigeſima autem die Octobris ejuſdem anni, Clericus, qui Canonicatum Eccleſiæ Lombarienſis Provinciæ Toloſanæ in Curia Romana adeptus erat, cauſam adverſus Regaliſtam regij Conſilij Arreſto obtinuit.

9. Quid poſtea in illa generali de Regalia lite actum ſit, non apparet, uſque ad duodecimam diem Aprilis anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi primi, cùm novo regij Conſilij Arreſto decretum eſt, ut intra totos ſex proximos menſes, qui peremptorij termini loco eſſent, Præſules Occitaniæ, Provinciæ, Delphinatus, alijque qui ſe Regalia immunes contenderent, immunitatis ſuæ documenta & probationes exhiberent: id quod alijs ſubinde Arreſtis ſecunda die Junij anni milleſimi ſexcenteſimi quadrageſimi primi, vigeſima prima die Aprilis anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi tertij, & ſexta die Junij anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi quarti adhuc decretum eſt, privatis interim

quibuſcumque de Regalia litibus ſuſpenſis, & ad regium Conſilium evocatis.

10. Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quinto in generalibus Cleri Comitijs, eruditiſſimus Franciſcus Boſquetus tum Lodovenſis ac poſtea Montiſpeſſulanus Epiſcopus coram Eminentiſſimo Cardinali Julio Mazarino ſummo tum Regni Adminiſtro, qui eo die ad Comitia venerat, præclaram de hoc Regaliæ negotio orationem habuit, quanti id eſſet momenti proſecutus, validiſſimíſque argumentis Eccleſiarum Occitaniæ aliarúmque vicinarum jus & libertatem confirmans. Eodem fere tempore D. de Marca tum Toloſanus Archiepiſcopus, qui generalis de Regalia litis, dum ſenatorio munere in regio Conſilio fungeretur, relator deſignatus fuerat, eximium, flagitantibus Comitiorum Patribus, de eodem argumento commentarium edidit; qua etiam occaſione paulo poſt octavum de Concordia Sacerdotij, & Imperij librum compoſuiſſe creditur, qui demum poſt ejus obitum in lucem prodijt, in quo tota hæc materies ſingulari eruditione & magna orationis facundia explicatur.

11. Dimiſſis Cleri Comitijs, quæ ad finem anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi ſexti duraverant, Rex Arreſto duodecima die Aprilis anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi ſeptimi lato edixit, ut generalis de Regalia lis ſine mora dirimeretur, declarans interim non eſſe ſuæ mentis, ut Præbendas aliáque Beneficia ob Regaliam conferret, *in Eccleſijs, in quibus Reges ſui Prædeceſſores, juxta Edictum anno milleſimo ſexcenteſimo ſexto promulgatum, eo jure potiti non fuiſſent:* Ac deinde quinta die Octobris ejuſdem anni, rejecto Regaliſta, factam ab Ordinario collationem Præbendæ ſeu Canonicatus in Eccleſia Toloſana Arreſto confirmavit.

12. Ob-

Digitized by Google

12. Obſervandum autem ad intelligentiam ejuſmodi Arreſtorum, quòd tametſi poſt Edictum ab Henrico IV. promulgatum & à Ludovico XIII. renovatum, nulla in Occitania viciniſq; Provincijs Beneficia pendente generali de Regalia lite, à Regibus conferri debuiſſent, multa tamen identidem, regiorum Miniſtrorum opera vel diſſimulatione, collata fuiſſe, non ſolum poſt Epiſcoporum mortem, ſed etiam Epiſcopis viventibus, quòd fidelitatis Sacramentum in tabulas Cameræ computorum, obtentis literis Regaliæ abſolutorijs, non retuliſſent: quæ res ſummam eis in collatione Beneficiorum perturbationem afferebat, adeò ut nonnulli intra quindecim aut viginti Epiſcopatus annos, ne unum quidem Canonicatum liberè ac ſine lite conferre potuerint. Quam vexationem ut à ſe propulſarent, plerique, pendente adhuc generali lite, ſuum fidelitatis Sacramentum in tabulas Cameræ computorum retulerunt, rati per hoc de principali cauſa præjudicium non fieri, neque quidquam ſuarum Eccleſiarum juri ac libertati decedere.

13. In Actis Cleri Gallicani anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſecundo editis, nihil de hoc Regaliæ negotio reperitur ab anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo uſque ad annum milleſimum ſexcenteſimum ſeptuageſimum, cùm à Comitijs generalibus Lutetiæ Pariſiorum congregatis, Illuſtriſſimo Carolo *de Genlis* Archiepiſcopo Ebredunenſi & alijs quibuſdam Prælatis ac viris Eccleſiaſticis mandatum eſt, ut huic cauſæ examinandæ operam darent; quod ubi illi per multos dies diligenter præſtiterunt, Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Ebredunenſis, prolixam ac eruditam de ea orationem ad Comitia habuit, quam rogatus eſt ſcriptis tradere, ut in tabularium Cleri reponeretur.

Digitized by Google

14. Deinceps nonnulla adhuc Arreſta à regio Conſilio lata ſunt, quibus Eccleſiarum libertas firmari, litéſque à Regaliſtis ſuſcitatæ cohiberi videbantur. Aſt tandem menſe Februario anni milleſimi ſexcenteſimi ſeptuageſimi tertij, à Ludovico XIV. feliciter regnante Conſtitutio prodijt, qua edicitur: *Regem declarare, jus Regaliæ neque alienationi neque præſcriptioni ſubjacere; idque ad ſe pertinere generaliter in omnibus Archiepiſcopatibus & Epiſcopatibus Regni ſui, nec non Ditionum ac Provinciarum ſibi ſubditarum, ijs ſolummodo exceptis, qui ejus immunitatem titulo oneroſo conſecuti eſſent: jubere proinde, ut ſinguli Archiepiſcopi intra duos menſes poſt exhibitum fidelitatis Sacramentum adſtringantur ad litteras patentes (Regaliæ) abſolutorias impetrandas, eáſque in Acta Cameræ computorum Pariſienſis referendas: qui autem præſtito antea fidelitatis Sacramento ejuſmodi litteras nondum impetrarint, eas impetrent, atque intra duos primos menſes in Acta ſupradictæ Cameræ computorum referri curent; quibus duobus menſibus elapſis, ſi huic præſcripto non paruerint, Beneficia Regaliæ obnoxia, quæ ad eorum collationem ſpectent, ob Regaliam vacatura, atque eo nomine à ſua Majeſtate collatum iri.*

15. Altera Conſtitutione eodem menſe promulgata Rex, confecto Archiepiſcopatuum & Epiſcopatuum cenſu, præſcripſit, quid pecuniæ à ſingulis Archiepiſcopis & Epiſcopis Occitaniæ, Aquitaniæ, Provinciæ & Delphinatus, pro litteris Regaliæ abſolutorijs in Acta Cameræ computorum Pariſienſis referendis, ſolvendum ſit: qua tamen ſolutione expreſsè pro hac vice liberantur, quotquot Archiepiſcopi & Epiſcopi jam creati, fidelitatis Sacramentum præſtitiſſent, modo intra duos menſes à publicatione hujus Conſtitutionis eaſdem litteras Regaliæ abſolutorias obtineant, atque in Acta ejuſdem Cameræ computorum referri curent. Utraque Conſtitutio in tabulas Parlamenti & Cameræ computorum Pariſienſis

ſtatim

Digitized by Google

ſtatim relata, & ad univerſos Regni Præſules à generalibus Cleri Actoribus, miſſa eſt.

16. Alia quoque Conſtitutio menſe Aprili anni milleſimi ſexcenteſimi ſeptuageſimi quinti, in explicationem cujuſdam ſuperiorum Conſtitutionum clauſulæ prodijt, quæ pariter in Acta Parlameni Pariſienſis & Cameræ computorum relata eſt.

CAPUT XX.

Progreſſus Regaliæ in ſuis effectibus ac prærogativis, præſertim quod ad collationem Beneficiorum attinet.

1. HActenus de Regaliæ ortu, incremento, atque in Galliæ Provincias & Eccleſias propagatione actum eſt. Jam videndum, quomodo paulatim in effectibus ſuis creverit, acceſſione prærogativarum ac regularum, quibus mirum in modum, præſertim quod ad Beneficiorum collationem attinet, quæ una fere hoc tempore in Regalia ſpectatur, amplificata eſt.

2. Obſervatum eſt ſupra, qua ratione Reges Chriſtianiſſimi, cùm primum Beneficiorum præſentatione contenti eſſent, paulatim ad ea pleno jure conferenda progreſſi ſint. At decurſu temporis plurima adhuc ejuſmodi Collationibus in immenſum amplificandis adjuncta ſunt, de quibus hic paulo latius agere operæ pretium putamus.

3. Pleræque illæ dotes ac prærogativæ, quibus ejuſmodi collationes à Miniſtris regijs præſertímque Parlamenti Pariſienſis Magiſtratibus auctæ ſunt, his veluti generalibus eorum pronuntiatis nituntur: In conferendis ob Regaliam Beneficijs, Regem neque Jure canonico, neque Summorum Pontificum Conſtitutionibus, neque Eccleſiarum ſtatutis aut conſuetudinibus adſtringi: Regaliam quippe Jure canonico,

Summorúmque Pontificum Decretalibus Epiſtolis, ac Romanæ Cancellariæ regulis antiquiorem eſſe: Regem in his collationibus Epiſcopo ſuccedentem, non ſolum inſtar Epiſcopi, ſed excellentiori quadam ratione, quæ Regiæ Majeſtatis amplitudini reſpondeat, agere; ut non Epiſcoporum modo hac in re, ſed ſummi quoque Pontificis poteſtatem æquet vel etiam ſuperet.

6. Primùm igitur Rex, durante Regalia, Beneficiorum reſignationes, ſucceſſore deſignato, ſeu, ut vocant, *in favorem*, admittit, tametſi ejuſmodi reſignationes auctoritate Canonum prohibeantur, nec ab alio quam à Romano Pontifice, ut nunc res diſciplinæ ſe habent, admitti fas ſit. Quin & hoc caſu quibuſdam placet, Regem ad Beneficium ei, in cujus favorem reſignatum eſt, conferendum non obligari, ſed poſſe alteri illud, pro libitu, dare, quod ne Romano quidem Pontifici conceſſum eſt.

7. Secundò. Penſiones ab ijs, qui ſe Beneficijs abdicant, ex pacto conſtitutas, confirmat: imo in Beneficijs per obitum vacantibus penſiones creat, ipſáque Beneficia cum hoc onere confert; quæ duo cùm ſacris Canonibus contraria ſint, ab alio quam Summo Pontifice, ubi id Eccleſiæ neceſſitas aut utilitas poſtulat, jure fieri non poſſunt.

8. Tertiò. Ætatis, aliorúmque ad Dignitates & reliqua Beneficia obtinenda, à ſacris Canonibus præſcriptorum, veniam ſeu diſpenſationem concedit; quod hodie Epiſcopis non licet, ſed ſoli Romano Pontifici reſervatur.

9. Quartò. Non tenetur regulis, quas in re Beneficiaria Summi Pontifices ex æquitate & ob bonum publicum, ad amovendas fraudes induxerunt: cujuſmodi ſunt regulæ *de infirmis reſignantibus, & de veri ſimili notitia:* Neque etiam neceſſe eſt, ut in diplomate regio exprimatur, quòd is cui Bene-

Beneficium ob Regaliam confertur, alia jam habeat Beneficia, quemadmodum ex Conſtitutione Bonifaciana in Reſcriptis Summorum Pontificum obſervatur.

10. Quintò. Ut Beneficia ob Regaliam conferantur, ſufficit ea *jure* vel *facto*, vacare, quod ad varios caſus novos atque inauditos porrectum eſt. Primo enim Regalia locum habet, ſtatim atque Beneficium coram Ordinario vel in Curia Romana abdicatum ſeu reſignatum eſt, tametſi nullum ea reſignatio effectum habuerit, vel etiamſi expreſsè mutata fuerit, niſi ea mutatio, antequam exiſtat Regalia, publicetur. Quapropter ſæpe contingit, Beneficiarios, qui ſua in manus Pontificis Beneficia permutationis cauſa, aut in cujuſpiam favorem, cum onere penſionis dimiſerint, iiſdem Beneficiis, ne ſervata quidem iis penſione, ſpoliari. 2. Regaliæ locus eſt, ſi reſignatione ab Ordinario aut Summo Pontifice admiſſa, factâque collatione, is cui collatum eſt Beneficium, ejus poſſeſſionem, antequam exiſtat Regalia, adeptus non fuerit. Quin etiam, reſignatione permutationis cauſa facta, ſi neuter permutantium Beneficii poſſeſſionem ante exortam Regaliam inierit, utrique Beneficium perit, & ad Regis collationem devolvitur; quia Beneficia hoc caſu, etſi non jure ſaltem de facto vacua cenſentur, quod ſatis eſt, ut Regaliæ locus detur. 3. Si quæ Beneficia, dum Regalia alicubi incipit, ſeu, ut loquuntur, aperitur, litigioſa occurrant, Regaliæ obnoxia ſunt, quòd pendente adhuc & dubia lite, vacua *de facto* exiſtimentur: ea autem Rex non uni ex litigantibus, ſed cuicumque voluerit, confert: unde multiplices oriuntur fraudes, ſuſcitatis de induſtria & per collusionem litibus, ſicubi brevi futura Regalia ſperatur: cui malo ut obviam iretur, appoſita eſt clauſula in ſupra memorata Conſtitutione anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo tertio publicata, qua

cavetur,

Digitized by Google

çavetur, ut litigij nomine Regaliæ locus non ſit, niſi ſex ante obitum Epiſcopi menſibus lis apud Judicem conteſtata fuerit.

11. Sextò. Rex ob Regaliam non ea ſolum Beneficia confert, quæ per obitum, per ceſſionem aut per ſententiam judicis vacant, aut quæ ipſo facto vaçare cenſentur, ut cùm Beneficiarius ſolemnia Religionis vota emittit, aut uxorem ducit, aut palam militiæ nomen dat: verum etiam ea, quæ niſi accedat Judicis ſententia & declaratio, minimè vacare exiſtimantur, ut cùm Clericus in cenſuras vel irregularitatem incurrit, aut aliquod crimen, quod Beneficij abdicationem mereatur, admittit. Idem jus à Rege exercetur, cùm titulus Beneficiarij aliquo vitio laborare arguitur, ut ſi quis Doctoris gradibus ad Dignitatem Eccleſiaſticam aut Beneficium neceſſarijs careat, Beneficium per ſimoniam aut confidentiam obtinuerit, aut aliud repugnans ſeu incompatibile adeptus ſit. Singulis enim his caſibus Rex Beneficia ob Regaliam, quodam veluti caduci jure, confert; adeò ut ſæpe Beneficiarij per ejuſmodi collationes, poſt pacificam viginti & amplius annorum poſſeſſionem, ſuis Beneficijs, nulla, ut plurimum, litis inſtructione prævia, ſpolientur.

12. Septimò. Jus Regaliæ ad Beneficia Patronatus tum Eccleſiaſtici, tum Laici, annis abhinc circiter quadraginta extendi cæpit, Rege ad Patronorum nominationem, inſtar Epiſcopi, inſtituente ſeu collationem dante, atque etiam Patronos, ſi nominare ſuperſederint, præveniente. Antea Reges in locum Epiſcopi in ſolis collationibus liberis ſuccedebant, ſive ob Regaliam non alia Beneficia conferebant, præter ea, quæ ad Epiſcopi collationem abſolutè ac pleno jure ſpectabant, ab ijs verò collationibus abſtinebant, quæ neceſſariæ & coactæ dicuntur, hoc eſt, quæ ad Patronorum deſignationem ſeu nominationem fiunt; quòd priores loco fru-

ctuum

ctuum habeantur, quo maximè obtentu ad Beneficia primum porrecta eſt Regalia, poſteriores verò fructuum nomine cenſeri abſurdum planè ſit, cùm in ijs Epiſcopus neceſſariam ac merè ſpiritualem functionem, inſtituendis nimirum ijs, quos à Patronis deſignatos, dignos atque idoneos eſſe compererit, obire intelligatur.

13. Octavò. Ad noſtra uſque tempora obſervatum fuerat, ut Regalia Præbendas, Canonicatus, & Beneficia, ut vocant, ſimplicia ſolum comprehenderet; ad ea verò minimè extenderetur, quæ animarum curam aut ſpirituales functiones habent, ut ſunt in Capitulis Præbendæ Theologales. Sed ſublato, paucis abhinc annis, hoc diſcrimine, in Capitulis cuncta promiſcuè Beneficia, etiam quibus animarum cura aut ſpirituales functiones annexæ ſunt, jure Regaliæ conferuntur.

14. Nonò. Nuper etiam Rex Dignitates & Canonicatus Capitulorum Regularium, ob Regaliam conferre cæpit, quæ ſi propius attendantur, nihil aliud ſunt, præter Officia & Religioſorum loca, ad quæ nemo promovetur, niſi qui ſe ad vitam communem & ab omni proprio alienam, voto paupertatis emiſſo, adſtringat.

15. Decimò. Sub finem ſuperioris ſæculi Regalia extendi cæpta eſt ad Beneficia electiva & ad Dignitates, quæ poſt Pontificalem majores dicuntur, quibus plerumque jurisdictio ſpiritualis & animarum cura annexa eſt. Henricus IV. anno milleſimo ſexcenteſimo ſexto Edicto ſuo præcepit, ut ejuſmodi Beneficia à Regalia eximerentur; quod quidem in Beneficijs electivis utcumque ſervatur, in Dignitatibus poſt Pontificalem Majoribus non item.

16. Undecimò. Non amplius quam duodecim anni ſunt, cùm in omnibus Eccleſijs Cathedralibus & Collegiatis Beneficia ob Regaliam conferri cæpta ſunt, ſine ulla exceptione

L Capitulo-

Capitulorum, quæ Præbendas & Canonicatus una cum Epiſcopo, vel alternis cum eo vicibus, vel per orbem, ſeu, ut loquuntur, per turnum conferunt; qualia ſunt pleraque Capitula in Occitania viciniſque Provincijs, quæ nuper Regaliæ per regiam Conſtitutionem ſubjectæ ſunt. Hanc autem gravem manifeſtámque injuriam Eccleſijs illatam Miniſtri regij duplici hac ratione defendere conantur: primùm quòd cùm Epiſcopus omnium ſuæ Diœceſis Beneficiorum collationem ipſo jure habeat, id per privatas pactiones cum Capitulis initas, in detrimentum Regaliæ mutari non potuerit: deinde quòd ea ſit Regaliæ excellentia, ut nullum Rex in ea exercenda ſocium admittat.

17. Duodecimò. Aliud paucis abhinc annis in Ordinariorum fraudem inductum eſt, ut videlicet Beneficia extra defuncti Epiſcopi Diœceſim poſita, quæ ad ejus Patronatum, reſervata Epiſcopo Diœceſano inſtitutione ſeu collatione pertinent, à Rege ob Regaliam pleno jure conferantur. Unde id abſurdi ſequitur, ut hoc caſu Epiſcopi, etiamſi Regalia in eorum Diœceſi clauſa ſit, ſua ſpirituali atque hierarchica auctoritate priventur, & ipſis inſcijs vel etiam invitis, Beneficiarij, qui in eorum Clerum cooptandi ſunt, ſola Principis poteſtate ſufficiantur.

18. Decimo tertiò. Regalia incipit, &, ut vulgari verbo utar, aperitur non ſolum vacante ſede per obitum Epiſcopi, aut per ejus ceſſionem vel abdicationem, verum etiam per ejus translationem ad aliam ſedem, imo & ad Cardinalatum promotionem.

19. Decimo quartò. Ut Regalia diuturnior ſit, tardiúſque, ut loquuntur, claudatur, plura à Miniſtris regijs introducta ſunt. Primum requiritur, ut novus Epiſcopus coram Rege ipſo, quocumque loco Regni fuerit, vel etiam extra Regnum,

gnum, fidelitatis Sacramentum edat: deinde ut litteras Regaliæ abſolutorias à Rege obtineat, eáſque una cum fidelitatis Sacramento in acta Cameræ computorum Pariſienſis, ſoluta certa pecuniæ ſumma, referri curet: tum verò ut ab eadem Camera Arreſtum ejuſdem Regaliæ abſolutorium impetret: poſtremò ut hoc idem Arreſtum regiáſque litteras Regaliæ abſolutorias, Oeconomo ad bonorum vacantis Eccleſiæ procurationem præpoſito denuntiet; quæ quidem omnia niſi ad unguem perficiantur, non finitur Regalia.

20. Decimo quintò. Poſt Conſtitutionem anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo tertio editam, illud etiam ad prorogandum Regaliæ tempus excogitatum eſt, ut Epiſcopus coram præſens & per ſe, non verò per procuratorem Epiſcopatus ſui poſſeſſionem adeat: cujus novi juris in grave Epiſcoporum damnum invehendi non alia ratio fuit, niſi quòd ex ſententia Miniſtrorum regiorum, Regalia nullam juris fictionem admittat: ex quo Regaliſtarum effato nonnulli etiam inferunt, jure ob Regaliam conferri Beneficium, cujus quis poſſeſſionem ante obitum Epiſcopi, per procuratorem, non autem præſens & per ſe adierit.

21. Decimo ſextò. Cùm primum Beneficia ob Regaliam dari cæpta ſunt, non alia fere, præter Eccleſiarum Cathedralium Præbendas & Canonicatus, huic juri obnoxia erant. At ſuccedente tempore Regalia ad Dignitates & Canonicatus aliarum Eccleſiarum, ad Capellanias, Prioratus, Perſonatus ac Beneficia, ut vocantur, ſimplicia, quæ poſterioris ævi uſus & diſciplinæ corruptela valde auxit, porrecta eſt, id quod eam mirificè amplificavit. Accedit quòd poſt extinctas, Concordato Bononienſi, Canonicas electiones, plerúmque Epiſcopatus longè diutius, quam antea, vacent, translationúmque uſus ex illo tempore frequentior evaſerit; quæ di-

ſciplinæ mutatio, quantum adhuc collationum, quæ ob Regaliam fiunt, numerum auxerit, ſatis ipſa experientia docet.

22. Decimo ſeptimò. Parlamentum Pariſienſe, cui ſoli Regaliarum juriſdictio attributa eſt, fiduciariam Beneficij poſſeſſionem, quem *Statum* vocant, Regaliſtæ illico adjudicat, non tantum ubi de Beneficio per obitum vacante agitur, verum etiam cùm ob delictum alijſque de cauſis à jure oriundis vacare præſumitur; unde ſæpe accidit, ut antiqui & pacifici Beneficiarij poſſeſſione ſua, indicta cauſa, exturbentur, ac plerumque fructuum perceptione intercluſi, inopes & rei anguſtia preſſi malint ſuo jure cedere, quam magnis ſumptibus litem dubio eventu, in primario Regni Parlamento, Regaliſtis ut plurimum favente, perſequi.

23. Decimo octavò. Regalia primùm ſola triginta annorum præſcriptione excludebatur, adeò ut Beneficium, quod ſemel ob Regaliam vacaſſet, intra triginta annos à Rege conferri poſſet, quod infinitis litibus occaſionem præbebat, ut vix ullus Beneficiarius de ſua ſorte certus ac ſecurus eſſet. Huic incommodo ut occurreret Henricus IV. ſupramemorato Edicto anni milleſimi ſexcenteſimi ſexti præſcriptionem trium annorum induxit, quæ alijs poſtea Edictis confirmata, ægrè à Parlamento Pariſienſi recepta eſt.

24. Decimo nonò. Quamvis jam ab initio receptum ſit, ut Parochiæ à Regalia eximantur, non defuerunt tamen hac noſtra ætate, qui eas huic oneri, ut reliqua Beneficia ſubjicere conarentur, quod editis etiam ſcriptis confirmare auſi ſunt, qua in re præterito ſæculo præcinentem habuerunt Carolum Molinæum in Reg. de Infirmis reſignantibus num. 420. cujus tamen audaciam cæteri in hoc Juris-conſulti ſcriptoréſque Galli minimè ſecuti ſunt.

25. Vigeſimo

25. Vigeſimò. Alij etiam jus Regaliæ ad Beneficia vacantium Abbatiarum proferre in animo habuerunt, rati hac via quamplurium Prioratuum ac pinguium Beneficiorum collationes Regi acquirendas, quod unum hodie aulici adulatores ſum̃o ſtudio conſectantur. Id patet tum ex Commentario ad Libertates Eccleſiæ Gallicanæ à duobus fratribus Puteanis Regiæ Bibliothecæ Præfectis edito, tum ex libello, quem Advocatus nomine *Auberi* nuper de Regalia publicavit. Hoc autem ſuum conſilium ea maximè ratione confirmant, quòd Reges olim in Abbatijs Regalia potiti ſint, quam alienari, aut ulla temporis præſcriptione tolli poſſe negant.

26. Vigeſimo primò. Denique ex ſupra memorata Regis feliciter regnantis Conſtitutione ſequitur, Regaliam ita generalem eſſe, ut non ſolum ad Provincias ac Diœceſes bello partas, aut quovis alio modo regiæ Coronæ unitas extendatur, ſed ad eas etiam, quæ ipſi impoſterum quoquo modo accreſcent, extendenda videatur.

Finis Libri Primi.

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS.

Quo demonſtratur, Regaliam, prout illam Miniſtri regij toto Regno propagare conantur, omni prorſus Juri contrariam eſſe, nec unquam, niſi ex Eccleſiæ conceſſione, idque appoſitis certis conditionibus, legitimè exerceri potuiſſe.

CAPUT SECUNDUM.

Iuri divino & naturali latè ſumpto repugnat, ut Principes propria auctoritate vacantium Eccleſiarum fructus, & Beneficiorum collationem ſibi vindicent.

1. POſtquam primo hujus Tractatus Libro Regaliæ naturam, ortum, progreſſúmque demonſtravimus, diſputationis ratio poſtulat, ut quid de ea cenſendum ſit, expendamus, an videlicet juſta ſit vel injuſta, ſeu an legitimè, vel contra fas à Principibus exerceatur. Cùm autem duo in ſe comprehendat, ſacrorum ſcilicet redituum in Eccleſijs vacantibus perceptionem, & Beneficiorum, à quibus abeſt animarum cura, collationem *pleno jure*, eam in utroque hoc capite citra Eccleſiæ conceſſionem, Jure divino & naturali latè ſumpto, atque etiam Juri tum Canonico, tum civili adverſari oſtendemus: unde cuivis promptum

promptum erit inferre, illam, remota Eccleſiæ conceſſione, malam eſſe atque injuſtam, adeò ut in ijs etiam locis, ubi ex antiqua conſuetudine recepta eſt, ſolo hoc Eccleſiæ conceſſionis titulo excuſari queat. Qua quidem in re diſtinguemus ea, quæ Eccleſia vel expreſſo vel tacito ſuo conſenſu permiſit, ab ijs, quæ cùm tantum toleret, nequaquam ejus ſilentio rata ac juſta evadere potuerunt.

2. Ad Jus divinum Júſque naturale latè ſumptum, quæ hìc pro uno eodémque accipimus, ea referuntur, quæ ex ſola rerum conſideratione, naturali quodam lumine, juſta eſſe vel injuſta perſpicimus. Ut itaque pateat, an Regalia hujuſmodi juri conſentiat vel adverſetur, ſat erit obſervare, quænam ſit conditio & natura earum rerum, in quibus verſatur, & quas eo nomine Reges ac Principes ſibi vindicare ſolent.

3. Primùm occurrunt bona facultatéſque Eccleſiæ, quibus Reges, ſede Epiſcopali vacante, potiuntur. Quis autem neſciat, bona Eccleſiæ à ſacris Concilijs nuncupari *bona Dei*, quòd ſpeciali titulo ad Deum rerum omnium Conditorem ac ſupremum Dominum ſpectent; à ſanctis verò Patribus appellari, *vota fidelium*, *pretia peccatorum*, *patrimonium pauperum*? Quis etiam ignorat, Epiſcopos alióſque Beneficiarios non eſſe eorum dominos, ſed ſolum diſpenſatores & Oeconomos, utpote qui ex ijs tantum neceſſaria ad vitam moderatè ſuſtentandam decerpere, reliqua verò in ſacrarum ædium diviníque cultus procurationem, & in pauperum alimoniam impendere debeant? Hanc autem ſuam conditionem bona Eccleſiæ poſt mortem Epiſcopi amittere nemo unquam dixerit. Cur enim, vacante Epiſcopali ſede in alteram ſortem naturámve tranſirent? Cur minus tum, quam antea, in uſus ſacros ac religioſos impenderentur? Nonne ejuſmodi

Digitized by Google

ejuſmodi bona, aut Decimæ ſunt & oblationes, quæ ipſi Deo, cujus perſonam ſuſtinent Sacerdotes, tanquam ſupremo Domino rerúmque omnium Auctori, per modum tributi offeruntur; aut prædia quæ fidelium pietate & munificentia in perpetuum pauperum, hoc eſt, Chriſti membrorum ſubſidium conſecrata ſunt? Quis igitur ſibi perſuadeat, ea, decedente Epiſcopo, ab hac nativa ſua conditione excidere, cúmque ante ſacra & religioſa exiſterent, identidem, vacante ſede, fieri communia & prophana, quò Principibus eorum reditus aſſignari, & in fiſcum inferri poſſint? Num minus, mortuo, quam ſuperſtite Epiſcopo, divina Officia celebranda ſunt, aut ſublevandæ pauperum neceſſitates?

4. Præterea quæ ſemel Deo ejúſque cultui dedicata ſunt, humanis uſibus aptari nefas eſt: quod ita naturali rationi conſentaneum eſt, ut vel ipſi Gentiles, communi quaſi ſponſione, quæ numini conſecrata erant, ab hominum commercio exemerint, nec præſcriptione alijſque de bonorum poſſeſſione legibus teneri ſtatuerint. Nihil itaque alienius à bonorum Eccleſiæ natura & conditione, quam ut ea Principes poſt mortem Epiſcoporum occupent, fructúſque interim ſuos faciant.

5. Fatendum quidem eſt, ab hac regula excipi quoddam bonorum genus, Feudorum videlicet, quibus Principes, quamdiu ſedes Epiſcopalis vacaret, potiebantur in Provincijs, ubi id juris circa feuda conſtitutum erat, uti ſupra explicatum eſt. Cùm enim primum ejuſmodi bona in Eccleſias collata ſunt, niſi expreſsè cautum fuiſſet ea libera fore, ijſdem, atque antea, oneribus & ſervitijs obnoxia fuiſſe videntur, adeò ut non alio jure alióve modo à Prælatis, quam à Laicis viris feuda poſſiderentur. Cæterum Chriſtianiſſimi Reges non ſemper ſummo hoc jure erga vacantes Eccleſias utebantur; &

Digitized by Google

tur; & jampridem illud cum reliquis feudalibus ſervitijs remiſiſſe cenſerentur, poſtquam ſubſidia ipſis à Clero Gallicano in publicis neceſſitatibus ſæpe ſubminiſtrata ſunt, quæ poſtea Decimarum nomine in ſingulos annos collata, jam ordinarij tributi locum tenent. Deinde, ut hoc jus circa feuda in ſupra memoratis provincijs legitimum fuerit, ad Demas, oblationes, & alia quæcumque bona, quæ ut plurimum longè majorem redituum Epiſcopalium partem conſtituunt, ſine manifeſta injuria extendi nequaquam potuit.

6. Quapropter Reges Chriſtianiſſimi, etiam poſtquam Regalia in certis quibuſdam Provincijs & Diœceſibus uſu recepta & Eccleſia connivente firmata eſt, ejuſmodi reditus in propriam utilitatem converti, & in fiſcum deferri noluerunt; ſed eos aut ſanctæ Palatij Capellæ donarunt, aut in pios uſus impenderunt, aut ſucceſſoribus Epiſcopis dimiſerunt; quaſi illos nativa ſua pietas & religionis cultus ab exercendo eo jure deterreret, quod divinæ legi & conſcientiæ regulis parum conſentaneum judicarent. Hoc præcipuè apparet in Edicto Auguſtæ memoriæ Ludovici XIII. cognomine Juſti, anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo primo publicato, quo Regaliarum donationes à Deceſſoribus ſuis in favorem ſanctæ Capellæ factas, collatis in eam certis alijs reditibus, reſcidit, ut impoſterum vacantium Epiſcopatuum fructus ad ſucceſſores Epiſcopos tranſirent: quam in rem notatu digna ſunt verba, quibus ſic præfatur: *Quandoquidem nobis propoſitum eſt, hos* (Regaliarum) *reditus, prout ex officio nos teneri exiſtimamus, in opera pia impendere, æquiſſimum nobis videtur, ut in Eccleſiarum, ad quas ex natura ſua pertinent, utilitatem cedant, ipſiſque Archiepiſcopis & Epiſcopis relinquantur.*

7. Quod ſi rationi & æquitati naturali repugnat, ut Principes vacantium Eccleſiarum reditus ad ſe trahant, idem

Digitized by Google

potiori adhuc ratione de collationibus Beneficiorum, quæ altera pars Regaliæ eſt, dicendum videtur. Quid enim naturali ordini, Chriſti Domini inſtituto, ipſique rationi magis conſentaneum, quam ut penes Epiſcopos alióſque Eccleſiæ Præpoſitos ſit Dignitatum Officiorum ac Miniſteriorum Eccleſiaſticorum diſtributio? ſi quidem hierarchica poteſtas eis ad Eccleſiam adminiſtrandam & regendam data, hoc uno maximè continetur: hinc Miniſtrorum inferiorum, ſubter Superiores, à quibus Miſſionem & poteſtatem mutuati ſunt, ſummiſſio: hinc Sacerdotij ac Miniſterij Eccleſiaſtici unitas, quod ab Apoſtolis, in quibus plenum perfectúmque fuit, ad Epiſcopos, Presbyteros alióſque Miniſtros uſque in finem ſæculi, perpetua ſucceſſione, transmittitur. Contra verò facultas conferendi Dignitates, Præbendas aliáque Beneficia, quam Principes jure Regaliæ ſibi vindicant, hunc naturalem juſtiſſimúmque ordinem perturbat: regiam poteſtatem cum Epiſcoporum ſummíque Pontificis poteſtate permiſcet, ac perpetuam atque inviolabilem Miniſterij Eccleſiaſtici continuationem quodammodo interrumpit. Qui enim hoc modo Miniſteria Eccleſiaſtica à Regibus conſequuntur, nonne à ſola Poteſtate ſæculari jus ac miſſionem ad ſuas functiones obeundas mutuari videntur, tametſi præcipuæ ſint Eccleſiarum Cathedralium Dignitates, & Beneficia, quibus tum Juriſdictio in ipſa Canonicorum Collegia, vel etiam per totam Diœceſim, tum alia munia ſpiritualia annexa ſunt?

8. Neque reſpondendum eſt, duo in Beneficijs diſtinguenda, ſpirituales nimirum functiones, & reditum temporalem: Regem autem titulo Regaliæ non ipſam ſpiritualia obeundi poteſtatem, ſed jus percipiendi reditus temporales conferre; atque ideò Patronatum ſeu collationem non eſſe quid merè ſpirituale, ſed tantum ſpirituali *per antecedentiam*

annexum,

annexum, ut loquitur Joannes de Pariſijs Ordinis Fratrum Prædicatorum Theologus in Opere de Poteſtate Regia & Papali, quod tempore Bonifacij VIII. Papæ & Philippi Pulchri ſcripſit. Etſi enim hæc duo differant, alterum tamen ab altero pendere certum eſt, cùm jus percipiendi partem Eccleſiaſticæ poſſeſſionis ſacríque proventus, poteſtate illa obeundi certas functiones ſpirituales ſeu Eccleſiaſticas nitatur; unde tritum illud apud antiquos Canoniſtas: *Beneficium propter officium*, hoc eſt jus utendi fruendi portione quadam proventus Eccleſiaſtici, quod Beneficium appellatur, propter obeundas Miniſterij Eccleſiaſtici functiones, quod ſignificat nomen officij, conceditur. Quapropter jamdudum Eccleſiæ auctoritate definitum eſt, toties admitti Simoniæ crimen, quoties pretium pro Beneficio, aut ſolvitur aut accipitur, tametſi non quod in eo ſpirituale, ſed quod temporale eſt, vel emere vel diſtrahere in animo habeas; rejecta & damnata nonnullorum Juris-conſultorum ſecus ſentientium opinione, quæ ſi locum haberet, latiſſimam committendæ Simoniæ januam aperiret, ut jam pridem obſervavit B. Petrus Damiani ſcribens ad Alexandrum II. Pontificem Maximum his verbis lib. 1. Epiſt. 13. *Nonnulli Clericorum vitam per exterioris habitus ſpeciem mentientes, prorſus Deo frigidi, ambitionis Eccleſiaſticæ facibus inflammati, hoc pertinaciter dogmatiſant, non ad Simoniacam hæreſim pertinere, ſi quis Epiſcopatum à Rege vel quolibet mundi Principe per interventum coemptionis acquirat, ſi tantummodo conſecrationem gratis accipiat..... videlicet ut jure Simoniacus non dicatur, quiſquis abſque manus impoſitione Epiſcopatum comparaſſe convincitur. Dicebant enim, quia cùm hoc fit, non diſtrahitur Eccleſia ſed facultas; nec emitur Sacerdotium, ſed poſſeſſio prædiorum. Sub hac enim præſtatione pecuniæ opes tantum, non honoris vel Eccleſiæ redimitur Sacramentum. Venalia ſiquidem ſunt,*

ſicut aiunt, unde ſint divites; gratis accipiunt, unde fieri debeant Sacerdotes.

9. Collationem autem Beneficij rem eſſe ſpiritualem adeò certum eſt, ut Laicus etiam Patronatus jus ſpirituale habeatur, quod nec pretio comparari aut diſtrahi, nec in alterum niſi cum univerſitate caſtri ſeu cum ipſo fundo, cui unitum eſt, transferri poſſit; quo etiam caſu caſtrum ſeu fundus carius eo nomine æſtimari non debet.

10. Ex his liquet, Beneficiorum naturæ atque inſtitutioni repugnare, ut in ijs conferendis jus utendi fruendi reditibus temporalibus, ab ipſa Inſtitutione ſeu collatione poteſtatis ad obeunda munia ſpiritualia requiſitæ diſtinguatur. Quæ duo revera in proviſionibus Beneficiorum, quæ ob Regaliam fiunt, nullatenus diſcernuntur; cùm ea Rex ſuo diplomate, abſolutè nullóque ſpiritualis aut temporalis diſcrimine facto conferat.

CAPUT II.

Regalia contraria eſt Iuri Canonico.

1. JUris Canonici nomine hîc intelligimus antiquorum Conciliorum Canones, & his conſentanea Romanorum Pontificum Decreta, quibus conſtabat jus commune, quo res Eccleſiaſticæ, quandiu diſciplina viguit, adminiſtratæ ſunt. Quantum autem Regalia, ſive vacantium Eccleſiarum fructus, ſive collationes Beneficiorum ſpectes, antiquo huic juri adverſetur, ex dictis libro 1. cap. 3. & 4. facile demonſtratur.

2. Primùm quod bonorum uſumfructum attinet, vetuſtiſſimus mos fuit, quem proinde ad Traditionem Apoſtolicam referre licet, ut quidquid defunctus Epiſcopus in rebus ſeu mobilibus ſeu immobilibus reliquiſſet, ad ejus Eccleſiam pertineret;

pertineret; demptis tamen ejus proprijs ac patrimonialibus bonis, quæ vel teſtamento legare poterat, vel ab inteſtato ejus agnatis ac propinquis debebantur. Ea autem bona à defuncto Epiſcopo relicta, alijs Eccleſiæ facultatibus, jure quodam accretionis, addita, ad Epiſcopum Succeſſorem, una cum fructibus, qui tempore vacationis obtigerant, deferebantur. Id conſtat ex canone, qui inter Apoſtolicos quadrageſimus numeratur, ex canone 24. Concilij Antiocheni anno trecenteſimo quadrageſimo primo celebrati, & ex canone 22. Concilij Calcedonenſis generalis, itémque ex vigeſimo quinto canone ejuſdem Concilij ſupra à nobis relato, quo expreſsè cavetur, ut integri viduatæ Eccleſiæ fructus apud Oeconomum, futuro reddendi Epiſcopo, ſerventur.

3. Hoc autem Concilij Calcedonenſis Decretum, quo non tam novum jus inducitur, quam vetus confirmatur, ubique ſervatum eſt: idquod nominatim de Eccleſia Gallicana ex ſynodis Regenſi, Aurelianeſi II. Meldenſi alijſque auctoritatibus, quæ hanc diſciplinam in Gallijs uſque ad duodecimum ſæculum viguiſſe teſtantur, fusè demonſtravimus lib. 1. cap. 3. 4. & 5. De Italia conſtat, quòd ubi primùm aliqua Eccleſia Paſtore orbata eſſet, Epiſcopus Romanus aut Metropolitanus vicinum Epiſcopum viſitatorem delegabat, qui ejus curam in ſpiritualibus & temporalibus gereret, caverétque inprimis diligenter, ut illius facultates & proventus futuro Epiſcopo ſervarentur, ut patet ex varijs Gregorij Magni aliorúmque Pontificum Epiſtolis, & ex antiquis delegandorum Viſitatorum formulis apud Jacobum Sirmondum tom. 2. Conciliorum Eccleſiæ Gallicanæ. Hiſpanias verò hoc eodem jure uſas probat Concilium Ilerdenſe anno quingenteſimo vigeſimo ſecundo congregatum, can. 16. dum ſynodi Regenſis canonem laudat, omnibúſque obſervandum pro-

ponit. Idem de Affricana Eccleſia patet ex canone 8. Concilij Cartaginenſis V. Quod autem Eccleſiam Græcam ſpectat, Concilij Calcedonenſis Decretum in adminiſtrandis Eccleſiarum vacantium bonis ſemper ſervavit, etiam poſtquam ab Eccleſia Romana ſeceſſit, & ad hancuſque diem ſervat. Regaliam itaque, quatenus Principibus vacantium Eccleſiarum fructus tribuit, Juri communi canonico veteríque Eccleſiæ diſciplinæ adverſari clarum eſt.

4. Nec minus certum eſt, alterum Regaliæ caput, collationem videlicet Beneficiorum, tam antiquo quam novo Juri canonico repugnare. Primum enim ex veteri Eccleſiæ diſciplina nullus in Presbyterum, Diaconum aut Clericum ordinabatur, quin ſimul alicui certæ Eccleſiæ, oratorio aut loco, ubi ordinis ſui munus obiret, & ex fidelium oblationibus aut Eccleſiaſticis proventibus, quorum diſpenſatio penes Epiſcopum erat, ea quæ ad vitam ſuſtentandam neceſſaria erant, reciperet, publica auctoritate adſcriberetur. Id celeberrimo Concilij Calcedonenſis canone *6.* ſancitum fuit, quo prohibitum eſt, ne quis *abſolutè* ordinetur, id eſt, niſi ſpeculariter alicui Eccleſiæ, loco aut Monaſterio addictus in ipſa ordinatione pronuntietur. Μηδένα δὲ ἀπολελυμένως χειροτονεῖσθαι, μήτε πρεσβύτερον, μήτε διάκονον, μήτε ὅλως τινὰ τῶν ἐν τῷ ἐκκλησιαστικῷ τάγματι, εἰ μὴ ἰδικῶς ἐν ἐκκλησίᾳ πόλεως, ἢ κώμης, ἢ μαρτυρίῳ, ἢ μοναστηρίῳ ὁ χειροτονούμενος ἐπικηρύττοιτο. [*Nullum abſolutè ordinari debere Presbyterum, aut Diaconum, nec quemlibet in gradu Eccleſiaſtico, niſi ſpecialiter in Eccleſia civitatis aut pagi, aut in Martyrio aut Monaſterio qui ordinandus eſt pronuntietur.*] Cùm itaque tota ordinandorum Eccleſiæ Miniſtrorum poteſtas penes Epiſcopos eſſet, accedente tamen Cleri conſenſu, ipſiúſque plebis teſtimonio, ut ex ſancto Cypriano alijſque SS. Patribus probatur, liquet eorum quoque arbitrio diſtributa

fuiſſe

fuiſſe officia & Miniſteria, quibus Clerici in ipſa ſua ordinatione mancipabantur: unde conſequens eſt, nullum tunc Principem aut Laicum, neminémque alium præter Epiſcopum ejuſmodi officia ſeu Miniſteria diſpenſaſſe.

5. Vigeſimus nonus Canon inter eos, qui Apoſtolis tribuuntur, ſatis indicat, quantum ab Eccleſiæ diſciplina abhorreret, ut Dignitatum atque officiorum Eccleſiaſticorum diſpenſatio Poteſtati ſæculari permitteretur: *Εἴ τις ἐπίσκοπος κοσμικοῖς ἄρχουσι χρησάμενος δι' αὐτῶν ἐγκρατὴς γένηται ἐκκλησίας, καθαιρείσθω, καὶ ἀφοριζέσθω, καὶ οἱ κοινωνοῦντες αὐτῷ πάντες.* [*Si quis Epiſcopus ſæcularibus Principibus uſus, per eos Eccleſiam adeptus ſit, deponatur & ſegregetur, & omnes qui ei communicant.*] Hic canon ſolos Epiſcopos commemorat, quòd eorum electiones Laici ſæpius majoríque cum Eccleſiæ damno impedirent. Cæterum generaliter de quocumque officio aut dignitate Eccleſiaſtica intelligendus eſt, ut patet ex ſecunda ſynodo Nicæna Oecumenica, quæ illum ad quaslibet ſacrorum Miniſtrorum electiones extendit his verbis can. 3. *Πᾶσαν ψῆφον γινομένην παρὰ ἀρχόντων, ἐπισκόπου, ἢ πρεσβυτέρου, ἢ διακόνου, ἄκυρον μένειν κατὰ τὸν κανόνα τὸν λέγοντα. Εἴ τις ἐπίσκοπος κοσμικοῖς ἄρχουσι,* &c. [*Omnis electio à Principibus facta Epiſcopi aut Presbyteri aut Diaconi irrita maneat ſecundum regulam, quæ dicit: ſi quis Epiſcopus, &c.*] Quod adhuc ſeverius vetat Octava ſynodus generalis, ſic de Epiſcoporum electionibus decernens canone 21. editione latina Anaſtaſij Bibliothecarij: *Neminem Laicorum Principum vel Potentum ſemet inſerere electioni vel promotioni Patriarchæ vel Metropolitæ aut cujuslibet Epiſcopi, ne videlicet inordinata hinc & incongrua fiat confuſio, vel contentio: præſertim cùm nullam in talibus poteſtatem quemquam Poteſtativorum vel cæterorum Laicorum habere conveniat, ſed potius ſilere & attendere ſibi, uſquequo regulariter à Collegio Eccleſiæ ſuſcipiat finem electio Pontificis.*

6. Con-

6. Concilium Pariſienſe III. anno quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo congregatum, idem pene de electionibus Epiſcoporum pro Eccleſia Gallicana ſtatuit canone 8. *Nullus*, inquit, *civibus invitis ordinetur Epiſcopus, niſi quem Populi & Clericorum electio pleniſſima quæſierit voluntate, non Principis imperio, neque per quamlibet conditionem, contra Metropolitæ voluntatem vel Epiſcoporum comprovincialium ingeratur. Quod ſi per ordinationem regiam honoris iſtius culmen pervadere aliquis nimia temeritate præſumpſerit, à comprovincialibus loci illius Epiſcopis recipi nullatenus mereatur, quem indebitè ordinatum agnoſcunt.*

7. Quam primis temporibus in ordinandis atque inſtituendis Eccleſiæ Miniſtris poteſtatem Epiſcopi exercebant, eam poſtea retinuerunt, cùm ejuſmodi Miniſterijs ſeu officijs attributa eſt certa quædam proventuum Eccleſiaſticorum portio, qua Clerici ad vitam perpetuò fruerentur: unde Beneficiorum fluxit appellatio, quo nomine apud veteres vocabantur prædia, quæ emeritis militibus aſſignabantur. Hanc poteſtatis Epiſcopalis continuationem probant plurima Concilia, maximè Gallicana, ut Vernenſe anno ſeptingenteſimo quinto celebratum can. 8. Arelatenſe an. 813. can. 6. Cabillonenſe an. 813. can. 42. Nannetenſe an. 900. can. 16. Quæ quidem omnia Conciliorum Gallicanorum ſtatuta, hoc uno celebri Concilij Aurelianenſis I. Clodoveo Rege congregati canone nituntur, quem Gratianus in Decretum 16. q. 7. retulit. *Omnes Baſilicæ, quæ per diverſa loca conſtructæ ſunt, vel quotidie conſtruuntur, placuit ſecundum priorum Canonum regulam, ut in ejus Epiſcopi, in cujus territorio ſitæ ſunt, poteſtate conſiſtant.* Hæc autem ſingula Carolus Magnus paucis complexus eſt lib. 7. Capitul. 368. his verbis: *Placuit ut omnes Eccleſiæ cum dotibus & omnibus rebus ſuis in Epiſcopi proprij poteſtate conſiſtant, atque ad ordinationem vel diſpoſitionem ſuam ſemper pertineant.*

8. Faten-

Digitized by Google

8. Fatendum quidem, ſuccedente tempore, Laicis qui ex ſuis facultatibus Eccleſias fundabant, non tantum certos honores, *proceſsionis aditus* nomine in veteri canone apud Gratianum c. Frigentius 16. q. 7. deſignatos, dum divinis intereſſent officijs, attributos fuiſſe, ſed eis quoque conceſſum jus nominandi ſeu præſentandi Clericos, qui illas Eccleſias adminiſtrarent: quod etiam nonnunquam in ipſa Eccleſiarum fundatione expreſsè ſibi, annuente Epiſcopo, excipiebant; hincque origo Laici Patronatus. At quantum ab hoc Patronatu Regalia differat, nemo non videt. Siquidem Patronus, quantæcumque dignitatis fuerit, id ſolum juris habet, ut Clericum in Beneficio vel ordinandum vel inſtituendum offerat, quem Epiſcopus, prævio examine, ſi dignum & capacem reperiat, admittit, eique cum titulo Beneficij, jus ac poteſtatem obeundi muneris Eccleſiaſtici donat; ſin verò, tanquam indignum vel incapacem repudiat: cùm econtra Rex Beneficia ob Regaliam abſolutè, ſine ulla Epiſcopi, Metropolitæ, aut cujusvis alterius Eccleſiaſtici Præpoſiti interventu conferat.

9. Denique quantum hac in re ſacris Canonibus adverſetur Regalia, vel maximè ex ijs, quæ in controverſia de Inveſtituris geſta ſunt, demonſtratur. Non enim alia de cauſa Romani Pontifices Inveſtituras tam fortiter támque conſtanter damnarunt, vibrata etiam non ſemel in dantes & accipientes excommunicatione, tametſi hi antiquo uſu & longa ſe poſſeſſione tuerentur, niſi quòd per eas Principes miniſteria Eccleſiaſtica ipſámque Dignitatem Epiſcopalem conferre viderentur. Hinc etiam in nonnullis Concilijs ut hæreticæ damnatæ ſunt, eáſque Goffridus Abbas Vindocinenſis Eccleſiæ ruinam ac Religionis peſtem appellabat; cùm tamen ſi intra legitimos terminos cohibitæ fuiſſent, ad ſola feuda &

N temporalia

temporalia Eccleſiarum bona ſpectarent, ut lib. 1. cap. 6. demonſtratum eſt. Quam ob cauſam Ivo Carnotenſis Epiſcopus, Juris Canonici conſultiſſimus, qui hoc eodem tempore floruit, hæreſeos notam in Inveſtituras cadere negabat, tametſi eas tanquam *alieni juris pervaſionem & ſacrilegam præſumptionem* reprehenderet, quòd nimirum Principes ijs ad opprimendam Eccleſiarum libertatem per ſummam injuriam abuterentur, de quo vid. Epiſt. 236. ad Joannem Archiepiſcopum Lugdunenſem.

10. Verùm quòd Principes alijque Laici tunc non niſi obliquè ſibi arrogabant, ut videlicet obtentu dandæ feudorum aliorúmque bonorum Inveſtituræ, electionum libertatem everterent, miniſteriorum ac dignitatum Eccleſiæ diſpenſationem ad ſe traherent; id nunc Reges in Dignitatibus & Præbendis Eccleſiarum Cathedralium, cæteríſque, præter Parochias, Beneficijs, titulo Regaliæ, conferendis, apertè ſibi vindicant: ut Regalia quodammodo Eccleſiæ injurioſior magíſque ſacris canonibus contraria, quam Inveſtiturarum uſus, videatur; cùm per illam Reges quæcumque Beneficia, exceptis Parochijs, pleno jure & ſine ullo ad Eccleſiæ Præpoſitos reſpectu, conferant; quod nunquam propriè Imperatores aliíque Principes in Epiſcopatibus, Abbatijs cæteríſque Beneficijs per Inveſtituram dandis feciſſe intelliguntur.

CAPUT III.

Regalia Iuri Civili adverſatur.

1. QUin Regalia Juri civili, hoc eſt Imperatorum legibus, Regum Chriſtianiſſimorum Capitularibus, veterúmque Principum Edictis contraria ſit, nemo dubitaverit. Cùm enim Imperatorum ac Regum officium ſit, Eccleſiam tueri,

tueri, & Canones pro ſancienda vel inſtauranda diſciplina editos publica legum auctoritate munire; quid mirum, ſi in antiquis eorum edictis & conſtitutionibus nihil reperias, quod Regaliæ, quam Eccleſiaſtico juri adeò infeſtam oſtendimus, ſuffragetur?

2. Quod ad primam Regaliæ partem, bonorum videlicet Epiſcopalium uſumfructum ſpectat, Leges civiles cum ſacris Canonibus planè conſenſiſſe conſtat, neque aliter ea de re ſtatuiſſe, quam Concilium Anthiochenum, Concilium Calcedonenſe Oecumenicum, aliáque ſupra memorata. Id patet vel ex ſola Novella centeſima trigeſima prima Juſtiniani cap. 10. Eam in rem Emmanuelis Comneni Imperatoris Conſtitutionem anno milleſimo centeſimo quinquageſimo primo promulgatam, hic etiam referre lubet, quâ poſt damnatum deteſtabilem & ſacrilegum morem mobilia Epiſcoporum decedentium invadendi fiſcóque addicendi, qui paulo ante in Orientem irrepſerat, ita generaliter ſtatuit: *Τοῖς ἀκινήτοις μέρεσι τῶν χηρευουσῶν ἐκκλησιῶν οὐδὲ πόδα ὅλως ἐπιβαλεῖ τις τῶν κατὰ χώραν δουκῶν, ἢ τινῶν ἑτέρων, ὡς εἴρηται, οὐδὲ τὸ οἱονοῦν ἐκεῖθεν ὁποσοῦν ἀναλάβηται, ἀλλὰ πάντα παρὰ τῶν μερῶν τῶν τοιούτων ἐκκλησιῶν ἐν αὐτοῖς οἰκονομηθήσεται, καθὼς ἄρα καὶ περὶ τούτου νενόμισται καὶ κανονικῶς διηγόρευται μέχρις ἂν δηλαδὴ οἱ μετὰ τοὺς τεθνηκότας ἀρχιερεῖς εἰς ἐκκλησίας ἐπικηρυττόμενοι, κατὰ χώραν γεγονότες αὐτοὶ τὰς τούτων οἰκονομίας ἀνθέξονται.* [*In fundis verò viduatarum Eccleſiarum ne pedem quidem ponet ullus Dux aut quivis alius eorum, qui in ea regione degunt, neque quicquam omnino inde auferet: ſed omnia ibidem ab Oeconomis Eccleſiarum adminiſtrabuntur, quemadmodum tum Jure civili, tum ſacrorum Canonum conſtitutionibus definitum eſt; donec Epiſcopi in locum demortuorum electi, advenientes eorundem bonorum adminiſtrationem ad ſe receperint.*

3. Huc etiam ſpectant duæ celebres Frederici II. Imperatoris Conſtitutiones ſupra à nobis allatæ, quibus, reſtituta toto Imperio canonicarum Electionum libertate, bonorum quoque in Eccleſijs vacantibus plenam & liberam adminiſtrationem Clero reliquit; ubi notandum, eum dicere, conſuetudinem ſpolia Epiſcoporum reditúſque Eccleſiarum vacantium occupandi, ab Anteceſſoribus Imperatoribus *pro motu propriæ voluntatis* introductam fuiſſe, ſeque in ea abroganda velle, ut ſicut *quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; ita quæ ſunt Dei, Deo recta diſtributione reddantur.* Denique tot támque præclara Caroli Magni, Ludovici Pij aliorúmque Imperatorum & Regum de bonis ac reditibus Eccleſiarum conſervandis Capitularia & Edicta, quorum nonnulla lib. 1. cap. 4. à nobis relata ſunt, perfectum Juris civilis & Juris canonici in hac materia concentum abunde probant.

4. Quod autem attinet ad Collationem Beneficiorum, quæ eſt altera Regaliæ pars, quantum Juri civili veterúmque Imperatorum ac Regum legibus adverſetur, vel hoc uno maximè patet, quòd in eorum Conſtitutionibus, & Reſcriptis vel priſcis Hiſtoricorum monumentis, ne minimum quidem ejuſmodi collationum veſtigium appareat. Sin verò antiqui Imperatores jam inde uſque à quarto & quinto ſæculo partes ſuas in Antiſtitum electionibus aliquando interponebant, idémque Reges in Gallia, durante potiſſimum prima Dynaſtia, factitabant, id toto cœlo ab eo jure, quo nunc Reges in conferendis ob Regaliam Beneficijs utuntur, differt. Nam præterquam quod collationes, quæ titulo Regaliæ fiunt, nonniſi vacante ſede Epiſcopali & ante Antiſtitis electionem locum habent, longè poſt primam, imò & ſecundam Regum Dynaſtiam, verſus finem duodecimi ſæculi, cùm maximè canonicæ Epiſcoporum electiones vigerent, uſurpari cæperunt; qua de re alibi fuſius diſſeremus.

CA-

CAPUT IV.

Regalia nullo propriè Privilegio nititur. Quâ ratione eam Concilium Lugdunenſe II. vel permiſit vel probavit. Expenditur hujus Concilij Decretum.

1. HActenus demonſtratum eſt, Regaliam, ſi per ſe conſideretur, non ſolum à jure Divino vel Naturali, itémque Civili vel Canonico auctoritatem non mutuari, ſed potius ijs Juribus è regione adverſari. Nil autem hic attinet adductis argumentis oſtendere, eam nullo Eccleſiæ Privilegio aut peculiari conceſſione introductam fuiſſe. Id enim in confeſſo eſt apud ipſos Auctores, qui pro Regalia ſcripſerunt, ut apud Renatum Chopinum, qui cùm animadverteret cæteros Regaliæ titulos, ad collationem Beneficiorum Regibus vindicandam minus ſufficere, optandum ait, ut aliquod ejus juris Privilegium à Pontificibus conceſſum afferri poſſet: *Atque ego quidem*, inquit lib. 1. de ſacra Politia tit. 7. n. 13. *enixè optaſſem, Regalia hæc ſacerdotalia attribui ſanctæ Sedis privilegio poſſe, ſi qua fide digna chartula proderetur, ſive Pontifici Maximo collibuiſſet illud certo perpetuóque velut Edicto ſancire.* Certè libro ſuperiori fusè oſtendimus, Regaliam primùm ad ſola feuda ſpectaſſe, deinde verò obtentu Cuſtodiæ, ad alia prædia, etiam ad Decimas, oblationes alióſque ſacros proventus, ac demum ad Beneficiorum collationem porrectam fuiſſe; unde conſequens eſt, eam in ſingulis his capitibus, ſi feudorum uſumfructum in Provincijs, quæ hoc jure utebantur, excipias, diu tanquam malam & injuſtam habitam fuiſſe, donec tandem à Concilio Lugdunenſi II. in ijs locis, ubi ex antiqua conſuetudine recepta erat, tolerata eſt ac permiſſa; ut fruſtra quis aliud Regaliæ Privilegium aliámque ab Eccleſia conceſſionem, præter hoc Lugdunenſe Decretum, quæſierit.

2. Quapropter haud abs re erit, quæ ſupra de hoc Decreto dicta ſunt, hic retractare, vímque ejus ac ſenſum paulo attentius expendere, quò clarius eniteat, quid Eccleſia conſenſu vel expreſſo vel tacito in Regalia probaverit, quídve ſolum ita toleret, ut ſilentio ſuo & diſſimulatione juſtum ac legitimum nequaquam efficiat.

3. Qui Concilij verba propius attenderit, facile animadvertet, ejus in condendo hoc Decreto ſcopum non fuiſſe, ut Regaliam in ijs locis ubi jam introducta erat, confirmaret, ſed potius ut impediret, ne ad ea quæ huic nondum ſubjecta erant, extenderetur; néve Principes aut eorum miniſtri hoc jure, ſicubi ex antiqua conſuetudine receptum erat, in Eccleſiarum perniciem abuterentur. Cùm enim tribus omnino partibus hoc Decretum conſtet, in prima quidem graviter ac ſeverè interdicitur, ne quis, quantæcunque dignitatis fuerit, Regaliam, Cuſtodiam ſive Gardiam, Advocationis ſeu Defenſionis titulum de novo in Eccleſijs uſurpet, eóque prætextu, vacationis tempore, earum bona facultatéſque occupet, ſub pæna excommunicationis ipſo facto incurrendæ: néve aliquis Eccleſiarum Clericus aut Beneficiarius id fieri procuret, ſub eadem excommunicationis pæna. In ſecunda autem parte, Clerici aliíque Beneficiarij, qui hujuſmodi uſurpationi pro debito officio non contradixerint, fructuum ex Beneficijs percipiendorum privatione mulctantur, quandiu in illa culpabili negligentia perſtiterint. Poſtremò edicitur, ut qui ab ipſa Eccleſiarum fundatione, vel ex antiqua conſuetudine ejuſmodi ſibi jura vindicant, eam moderationem & prudentiam in eorum uſu adhibeant, atque à ſuis miniſtris adhiberi ſolicitè procurent, ut quæ non pertinent ad fructus ac reditus vacationis tempore provenientes, nequaquam uſurpent, bonáque

bonáque cætera, quorum ſe Cuſtodes affirmant, dilabi non permittant, ſed in bono ſtatu conſervent.

4. Ex quo totius Decreti tenore manifeſtum eſt, non aliò propriè ſpectaſſe Patres Lugdunenſes, niſi ut Regalia noviter in Eccleſias ab ea liberas non induceretur, & omnis ejus abuſus, in locis ubi jam recepta erat, prohiberetur. Id etiam docet Guillelmus Durandus, qui Concilio interfuit, in Commentario ad ejuſdem Concilij Decreta edito, in quo teſtatur, *hanc Conſtitutionem ad clamorem Prælatorum Franciæ & Angliæ promulgatam fuiſſe.* Ex hac enim vehementi Epiſcoporum Galliæ & Angliæ querimonia, quam *clamoris* nomine ſignificat Durandus, inferre licet, eos graviter expoſtulaſſe adverſus Principes eorúmque miniſtros, qui vel Regaliam ad Eccleſias hucúſque ab ea liberas extendere conabantur, ut de Aquitanicis ibidem nominatim teſtatur Durandus, vel multa ejus obtentu in locis ubi recepta erat, in Eccleſiarum damnum moliebantur; ut verſimile ſit eos generatim Regaliæ abrogationem flagitaſſe; Concilium autem eorum poſtulatis non annuiſſe, quòd vix obtemperaturos Principes ſperaret, quorum tunc non exaſperandi animi, ſed potius demulcendi, cùm de ineundo inter illos fœdere & ſuſcipienda adverſus Sacracenos ſacræ militia in hoc ipſo Concilio ageretur. Unde Patribus ſatis viſum eſt, ſi Decretum, ea, quæ dictum eſt, ratione temperarent, Regaliæ uſum obliquè tantum & quaſi per occaſionem permittentes, in ijs videlicet Eccleſijs, ubi ab ipſarum fundatione vel ex antiqua conſuetudine locum habuiſſet. Qua reſtrictione ſatis ſignificarunt, ſe quaſi invitos & ex ſola indulgentia rem adeò Eccleſiæ onerofam & ſacris canonibus adverſam, probare. Hæc tamen Concilij indulgentia Privilegij vim obtinere potuit, & juſtam ac legitimam præſtare Regaliam, in ijs rebus, quæ Eccleſia

ſuo

Digitized by Google

ſuo conſenſu probavit, & Principes continuata poſſeſſione retinuerunt.

5. At cùm Regalia duo complectatur, uſumfructum videlicet bonorum Epiſcopalium, & Beneficiorum collationem, obſervandum eſt, de ſolo bonorum uſufructu mentionem fieri in Decreto Concilij Lugdunenſis, ut jam ſuperiore libro notatum eſt, eúmque uſumfructum appellari jus Cuſtodiæ, Gardiæ, Advocationis ſeu Defenſionis; quibus ex titulis colligi poſſe videtur; non eam Patrum Lugdunenſium mentem fuiſſe, ut Principes Eccleſiarum Regaliæ obnoxiarum reditus fiſco addicerent, ac in propriosuſus, cum Eccleſiarum & pauperum detrimento, converterent; ſed ut eos, tanquam legitimi Patroni veríque Defenſores adminiſtrarent, deductíſque impenſis, quidquid reliquum foret, aut futuris ſervarent Epiſcopis, aut pro ſua pietate & munificentia in pios uſus inſumerent. Hunc ſenſum confirmat Durandus in eodem Commentario, verbo *dilabi*, ubi ſic habet: *Videtur autem à contrario ſenſu, quòd Patroni per ſe habebunt fructus medio tempore perceptos, quia hic non prohibetur de fructibus, ſed ſolum de his, quæ non pertinent ad fructus: ſed non eſt ita. Imo eos conſervabunt ſucceſſori convertendos in utilitatem Eccleſiæ, ut de offic. c. cum vos. Habent enim cuſtodire, non conſumere. ff. ut poſſid. leg. l. is cui. §. Qui legatorum. Nec valere debet conſuetudo contraria, cùm ſit Eccleſijs oneroſa, ut de conſuet. cap. 1.*

6. Certè patet Decretum Lugdunenſe hoc ſenſu acceptum eſſe paucis poſt annis, hoc eſt Bonifacio VIII. Summo Pontifice, à quo in ſextum Decretalium librum relatum eſt. Is enim Joanni Monachi Cardinali ſuo ad Philippum Pulchrum Regem Chriſtianiſſimum Legato, in mandatis dedit, ut inter alia Regem moneret, ne Cuſtodia vacantium Eccleſiarum ſeu Regalia abuteretur, ſed deductis expenſis neceſſarijs & moderatis,

moderatis, quod fructuum reliquum eſſet, futuris Prælatis fideliter reſervaretur. Apud Spondanum ad annum milleſimum trecenteſimum ſecundum.

7. Ne quis autem id Bonifacij offenſo in Philippum animo tribuat, notandum eſt, hunc Pontificem eodem fere tempore Ferdinando Regi Caſtellæ & Leonis obſtitiſſe, quò minus vacantium Eccleſiarum fructus occuparet, ſuóſque in uſus converteret, obtentu Cuſtodiæ, quam ſe ſuóſque Prædeceſſores ex antiqua conſuetudine habuiſſe contendebat. Cúmque Ferdinandus Apoſtolicis monitis non paruiſſet, in excommunicationem incidit, cujus abſolutionem à Toletano Archiepiſcopo, delegata Bonifacij auctoritate, non ante conſecutus eſt, quam perceptos ejuſmodi fructus Eccleſijs reſtituiſſet, & impoſterum mandato Pontificis ſe omnino obtemperaturum promiſiſſet. Reſcriptum Bonifacij ea de re exſcripſit Odericus Raynaldus ad annum milleſimum trecenteſimum tertium.

8. Quin & Chriſtianiſſimi Reges hoc ſenſu Decretum Concilij Lugdunenſis accepiſſe videntur, vel ſaltem hac in re feudorum reditus, quæ *Regalium* nomine propriè intelliguntur, à cæteris ſacris Eccleſiarum vacantium reditibus longè diſcreviſſe. Id probari poteſt ex Arreſto in cauſa Eccleſiæ Conſtantienſis Rotomagenſis Provinciæ, lato ad annum milleſimum ducenteſimum octuageſimum quintum, Philippo III. Rege, cujus ætate Concilium Lugdunenſe celebratum fuerat, quo quidem Arreſto Decimas hujus Eccleſiæ tum vacantis, Regaliæ non ſubeſſe judicatum eſt. Refertur ab Arnulpho Ruſæo in Tractatu de Regalia, Privilegio 55. Idem ante adhuc diſertius pronuntiatum fuerat Arreſto lato in favorem Eccleſiæ Morinenſis, anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſexto, quo decretum fuit, ut pecunia ex Decimis alijſque ſa-

Digitized by Google

cris ejus Eccleſiæ tunc vacantis proventibus redacta, non ad Regalium Oeconomum, ſed ad Capituli Procuratorem deferretur, qui eam futuro ſervaret Epiſcopo.

9. Hæc etiam cauſa eſſe videtur, cur poſteriores Chriſtianiſſimi Reges, poſtquam Regalia ad univerſos Eccleſiarum vacantium fructus porrecta eſt; eos in regium ærarium admittere, aut in ſuos uſus convertere noluerint, ſed aut eos Capitulo ſanctæ Capellæ donare, aut in pia opera inſumere, aut etiam ſucceſſoribus Prælatis dimittere conſueverint: quaſi ingenita ſua pietate & regia magnificentia indignum exiſtimaverint, fiſcum ejuſmodi ſacris reditibus & viduatarum Eccleſiarum ſpolijs augeri.

CAPUT V.

Collationes Beneficiorum, quæ ob Regaliam fiunt, à Concilio Lugdunenſi nequaquam approbatæ ſunt.

1. DE Collatione Beneficiorum, quæ eſt altera Regaliæ pars, ne verbum quidem in Concilio Lugdunenſi. Id vel ex ipſa Decreti lectione patet, dum *bona Eccleſiarum, Regaliæ vel Cuſtodiæ aut Guardiæ, Advocationis ſeu Defenſionis nomine occupari prohibet*; dum *fructus ſive reditus vacationis tempore provenientes* memorat; dum *cætera bona*, ſeu fundos aut prædia rectè adminiſtrari, & in bono ſtatu conſervari jubet: quæ quidem ſingula ad Beneficiorum collationem, quæ ſpirituale quid ſonat, & alterius ordinis eſt, nihil omnino attinent. Quapropter Gloſſa in Pragmaticam Sanctionem, quæ magnam apud Gallos auctoritatem obtinet, diſertè pronuntiat, *de hoc jure conferendi, Concilium nihil ibi*, hoc eſt in Decreto *providiſſe.* tit. de Annatis §. item fuit v. Regaliæ.

2. Nonnulli

2. Nonnulli tamen contendunt, collationes in hoc Decreto redituum aut fructuum nomine comprehendi, quòd jam tum invaluiſſet illud juris axioma, *Collationes Beneficiorum inter fructus computari.* Verum etſi demus jam tum receptum fuiſſe illud Canoniſtarum pronuntiatum, quis ſibi perſuadeat, Concilium jus adeò extraordinarium & ſingulare confirmaſſe, eo ipſo Decreto, quo ſibi unicè propoſuit Regaliæ extenſionem prohibere, ejúſque abuſus in Eccleſijs jam ei ſubjectis tollere? non ita obſcurè locutum fuiſſet, ſi de re tanti monenti quicquam ſtatuere voluiſſet.

3. Accedit, quòd fervente diſſidio inter Bonifacium VIII. Pontificem Maximum, & Philippum Pulchrum Regem Galliæ, cùm adhuc recens eſſet hujus Concilij memoria; neque Rex, neque ejus Miniſtri aut Legati jus iſtud, de quo acriter certabant, hujus Decreti auctoritate tuiti ſunt: quod indicio eſt, eos pro certo habuiſſe, nihil ibi de collationibus Beneficiorum definitum eſſe. Neque etiam veriſimile eſt, Bonifacium Juris-conſultiſſimum Pontificem de ejusmodi collationibus tantam Regi Chriſtianiſſimo litem moturum fuiſſe, ſi illas in Lugdunenſi Decreto fructuum nomine comprehenſas eſſe jam inter Canoniſtas increbuiſſet. Denique Guillelmus Durandus in ſuo ad iſtud Concilium Commentario, tametſi in explicanda Regalia de collationibus Beneficiorum meminerit, nequaquam ait illas fructuum nomine à Concilio deſignatas eſſe; neque etiam id ullus ex antiquis Doctoribus aſſeruit, tametſi poſtea nonnulli jus iſtud conſuetudine introductum, hac ratione, quòd ſcilicet collationes inter fructus computentur, defendi poſſe exiſtimaverint, ut patet ex Gloſſa in c. Generali. de Electione in ſexto, quæ in editione Romana auctoritate Gregorij XIII. facta, reciſa eſt.

 4. Verùm

4. Verùm quantumvis Concilium Lugdunenſe de collationibus Beneficiorum, quæ ob Regaliam fiunt, nihil expreſsè ſtatuerit, eas tamen à Principibus frequentatas ignorare non potuit, ut ex pluribus exemplis lib. 1. c. 10. allatis colligitur. Unde eas ſaltem ſilentio ſuo videtur obliquè comprobaſſe, cùm alioquin illas expreſsè damnare debuiſſet in ea Conſtitutione, quam præcipuè ad corrigendos Regaliæ abuſus promulgabat. Id quidem concedi poſſe videtur, ſi, ut alibi dictum eſt, de Præbendarum donatione, ad quas Capitulum nominatos à Regibus inſtituebat atque inſtallabat, intelligatur; non autem de collatione pleno jure, quæ poſtea cum tot tantíſque prærogativis introducta eſt, ut jam Reges non Epiſcoporum ſolum, ſed Summorum Pontificum vices in conferendis ejuſmodi Beneficijs impleant vel etiam excedant. Longè enim abeſt à diſciplina & doctrina celeberrimi hujus Concilij, ut hujuſmodi collationes, quibus Eccleſiæ auctoritas apertè læditur, & hierarchicus ordo turbatur, vel tacitè approbare potuerit: maximè cùm haud diſſimile ex ijs incommodum Eccleſiæ immineret, atque ex Inveſtituris, quibus Romani Pontifices in diuturno illo adverſus Imperatores conflictu, cujus adhuc recens erat memoria, tam fortiter obſtiterant.

5. Erat quidem etiam regia illa ad Præbendas nominatio, cum Eccleſiæ noxia, tum ſacris canonibus contraria; cùm jure communi ſtatutum ſit, ut ſede vacante nihil innovetur, & Beneficiorum collationes futuro Epiſcopo ſervari debeant. Verùm Eccleſia in Lugdunenſi Concilio videtur id Principibus condonandum judicaſſe in locis, ubi Regalia recepta erat, tum quòd huic donandarum Præbendarum uſui aſſuevìſſent, tum quòd paulo ante Inveſtituris ceſſiſſent, plenámque in celebrandis electionibus libertatem Clero reſtituiſſent. Accedit

dit, quòd pauciſſima erant tunc temporis regij Patronatus Beneficia, ut facilius hæc Principibus nominatio, ſede vacante, concedi potuerit; cúmque Regalia ad ſolas Præbendas & Dignitates Eccleſiarum Cathedralium ſe extenderet, rarò accidebat, ut brevi illo intervallo, quod mortem inter Epiſcopi & electionem ſucceſſoris intercedebat, ejuſmodi Beneficia vacarent.

6. Hanc autem regiam ad Præbendas nominationem, à collationibus, quæ pleno jure fiunt, diſtinguendam eſſe egregiè confirmant reſponſiones Cardinalis Portuenſis ad tres Galliæ Epiſcopos, qui Romam, Bonifacio VIII. Summo Pontifice, reliquos Galliæ Antiſtites ad ſynodum ab eo convocatam non accedentes excuſatum advenerant. Sic enim hic Cardinalis de collationibus Beneficiorum, quas Philippus IV. Rex Chriſtianiſſimus ſibi ob Regaliam vindicabat, Pontificis nomine reſpondit: *De collationibus Præbendarum Regem non gravari: eſſe enim duo in eo conſideranda, jus Patronatus, & Præſentationem: Collationem & uſum ad Laicos nullo jure pertinere poſſe, niſi forte miniſterialiter. Si verò Rex dicat, præſcriptionem pro ſe habere, quare ergo petijt Privilegium ab Eccleſia?* Apud Spondanum ad an. 1302. ex codice M. S. Bibliothecæ Victorinæ Pariſienſis. Quibus addunt, quòd ipſemet Bonifacius regijs nuntijs dixerat: *Quantum ad collationem Beneficiorum, ſe Zelantem ſalutem Regis frequenter Nuntijs ejus dixiſſe, cupere ſe, ut Rex faceret licitè, quòd faciebat illicitè, velléque ei omnem quam poſſet gratiam impertire: quia omnia jura clamant, collationem Beneficiorum non poſſe cadere in Laicum, ita quòd habeat jus & auctoritatem ſpiritualem conferendi.* Ibidem apud Spondanum.

7. Eandem diſtinctionem probat epiſtola Gregorij IX. ad Fredericum II. Imperatorem non ſemel à nobis citata, in qua Pontifex declarat, *jus ſpirituale, quod non cadit in Laicum, non*

O 3 *ſinere,*

ſinere, ut Principes curam animarum Beneficijs annexam committere valeant.

8. Hæc eadem diſtinctio nominationis ad Præbendas aliáque Beneficia, & collationis pleno jure, in Anglia, quæ jus Regaliæ in uſum admiſerat, minimè ignota erat, ut patet ex Edicto Henrici III. relato in collectione libertatum Anglicanarum Guillelmi Prynnei lib. 2. pag. 940. cujus hæc ſunt verba: *Vacantibus Epiſcopatibus & Abbatijs, tam nos quam Magnates noſtri, ad quos cuſtodia maneriorum, tempore vacationis, pertinet, jus præſentandi ad Eccleſias in ipſis manerijs ſitas obtinemus, inſtituendi jure apud Metropolitam vel alios, ad quorum devolvitur jus ſpirituale, remanente. Licet enim Epiſcopi in Diœceſibus, aut etiam Abbates Pontificale jus habentes, Eccleſias maneriorum ſuorum conferant, eo quòd in ipſis jus patronatus & jus inſtituendi conveniant, jus tamen pátronatus habent ratione maneriorum ſuorum, vel Baroniarum ſuarum; quæ ſi ab ipſis evincantur, aut ſi alijs cum pertinentijs ſuis aſſignentur, jus præſentandi cum ipſis manerijs tranſit, jure inſtituendi apud ipſos ratione officij paſtoralis ex tunc tantummodo remanente.*

9. Fatendum quidem eſt, jam inde à temporibus ſancti Ludovici & Philippi Auguſti, vocabulum *conferendi*, itémque *collationis*, in hoc Regaliæ argumento, ubi de Beneficijs ageretur, uſurpatum eſſe. Sed quis neſciat generalem eſſe hujus verbi ſignificationem, frequentérque ad deſignandum ſolum patronatum ſeu Beneficiorum nominationem, tum apud ejus ævi Auctores, tum apud recentiores Canoniſtas, adhiberi, ut pluribus probat Auguſtinus Barboſa Tractatu de Appellativa verborum utriúſque juris ſignificatione, Appellatione 54. Unde nequaquam ex hujus vocabuli uſurpatione ſequitur, ſanctum Ludovicum ejúſque Anteceſſores Beneficia ob Regaliam pleno jure, ut poſtea factum eſt, contuliſſe.

10. Itaque

Digitized by Google

10. Itaque quamvis Eccleſia ejuſmodi collationes pleno jure à multo jam tempore uſitatas toleret, neque eis apertè contradicat, eas tamen nunquam expreſsè probavit, neque etiamnum probat; multo autem minus ratas habet ſingulas illas prærogativas, quibus, ſola Regum & Parlamenti Pariſienſis auctoritate, pene in immenſum excreverunt. Id tacita præterit ac diſſimulat, remedium allatura, ſi quando opportunitas ſe dederit, ſpéſque affulſerit, fore ut Principes ejus decretis morem gerant, velíntque contenti eſſe Patronatu ſeu Beneficiorum nominatione, quæ revera haud ſcio an æquè ex illorum uſu eſſet, ac collatio pleno jure; quandoquidem haud ſecus Beneficia per patronatum & ſimplicem nominationem, quam per collationes pleno jure, in Regum poteſtate & arbitrio poſita eſſent, ut planum eſt ex regia ad Prælaturas nominatione, quam per Concordata cum Pontifice Romano inita adepti ſunt. Has quidem pleno jure collationes quidam Miniſtri regij & plerique Juris-conſulti Galli valde extollunt, & quaſi excellens quoddam ac ſingulare privilegium venditant. Sed, ſi verum amamus, Regibus Chriſtianiſſimis laudi & honori eſſe non poſſunt, cùm eorum pietatem offendant, & Eccleſiæ Matri, cujus Primogenitos ſe gloriantur, quodammodo ignominioſæ, atque Epiſcoporum auctoritati & hierarchico ordini exitioſæ ſint.

CAPUT VI.

Variæ circa collationem Beneficiorum regulæ expenduntur.

1. UT ſingulare atque extraordinarium jus conferendorum ob Regaliam Beneficiorum, ita quoque ſingulares ſunt prorſus atque extraordinariæ regulæ & prærogativæ,

rogativæ, quibus ſenſim excrevit, ac mirum in modum amplificatum eſt. Pleráſque illas regulas & prærogativas lib. 1. cap. 20. retulimus, de quibus veriſſimè dici poteſt, quòd ex ſola privatorum quorumdam Galliæ ſcriptorum, qui etiam non raró inter ſe diſſentiunt, & parlamenti Pariſienſis, cujus varia quoque ea in re juris-prudentia fuit, auctoritate pendeat. Nequaquam mihi propoſitum eſt, eas penitus diſcutere, quòd hæc diſcuſſio prolixiori tractatione indigeret, nóſque ab inſtituto longius quam par eſt, abduceret. Nonnullas tantum conſiderationes afferam, quibus facile patebit, quantum pleraque illa, quæ ſpecioſo Regaliæ titulo velantur, juſtitiæ, æquitati ipſíque rationi contraria ſint.

2. I. Primum Regaliæ privilegium, quod reliquorum velut fundamentum eſt, in eo, juxta illos ſcriptores & ſenatus Pariſienſis placita, conſiſtit, quòd Reges in conferendis ob Regaliam Beneficijs, neque juris canonici regulis, neque Pontificum conſtitutionibus, neque etiam Eccleſiarum ſtatutis aut conſuetudinibus adſtringantur, quippe qui ab omni lege liberi, jus illud ſumma atque ampliſſima poteſtate exerceant. Cujus quidem admirandi privilegij hanc illi rationem afferunt, quòd Regalia jure canonico & Pontificum decretalibus antiquior ſit, quódque Rex Epiſcopo in collationibus Beneficiorum ſuccedens, non inſtar Epiſcopi, ſed excellentiori quodam ac verè regio modo agat.

3. Quis non ſtatim advertat, quam hæc inaudita ſint, & Chriſtianiſſimorum Regum religione aliena, quámque infirmis & futilibus rationibus nitantur? Regaliam ajunt antiquiorem eſſe jure canonico. Demus hoc aliquo ſenſu verum eſſe, quatenus ſcilicet per jus canonicum intelligitur Decretum Gratiani, & collectio epiſtolarum decretalium à Gregorio IX. facta. At quis ignorat ſacros canones à Gratiano relatos,

latos, Summorúmque Pontificum decreta Gregorij IX. auctoritate collecta, nequaquam totam vim ſuam robúrque à libris illis, in quos conjecta, & ſub varijs titulis ordinata ſunt, mutuari? Numquid enim ante Gratianum & Gregorium IX. Eccleſia ſuos non habuit canones ſuáſque leges, quibus tum in diſtribuendis ſacris miniſterijs, tum in alijs, quæ ad diſciplinam ſpectant, diſponendis, uteretur?

4. Accedit, quòd pleræque illæ de Beneficiorum collationibus regulæ, quas noſtra patrúmque memoria Pontifices ſtatuerunt, naturali æquitate nitantur, &, ut ſe res diſciplinæ habent, conſervando ordini & abuſibus ex privatorum cupiditate atque ambitu proficiſcentibus cohibendis, apprimè conducant. Regula, verbi gratia, *de veriſimili notitia*, quæ una eſt ex tribus Cancellariæ Romanæ regulis, quas Gallia in uſum fori ad dijudicandas Beneficiorum lites, admiſit, eò unicè tendit, ut fraudes dolóſque eorum amoveat, qui Beneficia nondum vacantia, ſuperſtitibus adhuc Beneficiarijs, poſtulant. Quapropter Juris-conſulti etiam Gallici, eam ex ipſis naturalis æquitatis fontibus hauſtam agnoſcunt: unde nullis diſpenſationibus Pontificijs relaxatur, & in quibusvis collationibus etiam Legatorum, imò & Ordinariorum locum habet. Quo igitur obtentu Reges in conferendis ob Regaliam Beneficijs ab hac regula eximuntur? ídque tanquam Regaliæ privilegium venditatur?

5. Quòd ſi Reges Epiſcopo in ejuſmodi collationibus ſuccedunt, quî fit ut major illis amplióque poteſtas, quam defuncto Epiſcopo ipſique Romano Pontifici tribuatur? *Eſto*, inquit Gregorius IX. in epiſtola ad Fredericum II. Imperatorem, *quod in collatione Beneficiorum morientibus ſuccedas, ut dicis, Epiſcopis; majorem in hoc ipſis non adipiſceris poteſtatem.* Si de re civili ac temporali ageretur, ſupremi jus Imperij & regiæ

Majeſtatis culmen laudari poſſent. Nemo, verbi gratia, dubitat, quin Reges, pro ſuprema, qua pollent, auctoritate, quæ à Præſidibus aut Magiſtratibus in adminiſtrandis Provincijs geruntur, per ſeipſos excellentiori quodam modo præſtare queant; cùm tota inferiorum judicum ac miniſtrorum juriſdictio à regia Majeſtate, à qua profluit & in eorum ſingulos derivatur, pendeat. At Beneficiorum collatio pleno jure, eſt quid ſpirituale & hierarchicum, atque adeò ab ijs rebus, quæ regia poteſtate continentur, prorſus diſtinctum. Hac potiſſimum ratione Reges id juris ſibi vindicant, quòd hac in parte Epiſcopis ſuccedere, eorúmque vices quodammodo ſupplere exiſtimentur. Cùm itaque ſingulari privilegio & extraordinario jure ſpiritualem atque Epiſcopalem quodammodo obeant functionem, nónne ratio ipſa & æquitas poſtulat, ut cum debita id moderatione præſtent, neque plus ſibi, quam Epiſcopis, licere arbitrentur; nedum canonicis regulis eximi, majorémque, quam Epiſcopi aut etiam Summus Pontifex, poteſtatem ſibi ea in re ſumere velint?

6. II. Hinc etiam patet, à juſtitia & ratione alienam eſſe eam poteſtatem, quæ Regibus in admittendis Beneficiorum reſignationibus, quas *in favorem* vocant, durante Regalia, tribuitur. Conſtat enim ejuſmodi reſignationes tum veteri, tum novo jure canonico improbari, nec ſine aliqua Simoniæ labe fieri, quæ hodie ſolius Romani Pontificis auctoritate elui poſſit. Id in primis Galli negare non poſſunt, cùm Legati Caroli IX. Regis Chriſtianiſſimi inter alios reformationis articulos hunc de reſignationibus Beneficiorum in Concilio Tridentino propoſuerint: *Reſignationes in favorem extinguantur omnino à Curia Romana. Eſt enim à ſacris canonibus inſtitutum, nequis ſibi ſui officij quærat aut eligat ſucceſſorem.* Quo igitur jure Reges Franciæ id ſibi ſumunt, quod ſacris canonibus contrarium

rium

Digitized by Google

rium eſſe ultro agnoſcunt, quódque penitus abrogari, etiam in Pontificibus Romanis, poſtularunt? Certè Philippus Probus Tractatu de Regalia q. 34. n. 1. has reſignationes à Regibus jure admitti negat, quòd Simoniæ vitio laborent, cujus veniam ſolus Papa dare valet. At alij Scriptores Probo audaciores, tametſi fateantur ejuſmodi reſignationes Simonia non carere, à Regibus tamen admitti poſſe docent, cujus ſuæ opinationis non aliam afferunt rationem, niſi id ita à Parlamento Pariſienſi varijs Arreſtis judicatum fuiſſe.

6. III. Eodem prorſus modo cenſendum videtur de Penſionibus, quas Reges in Beneficijs ob Regaliam conferendis conſtituunt. Celebris & antiqua eſt regula illa Eccleſiaſtica, ut Beneficia ſine diminutione conferantur. *Reditus enim*, ut ajunt Cardinales & alij Prælati à Paulo III. delecti in ſuo de emendanda Eccleſia Conſilio, *ſunt annexi Beneficio, ut corpus animæ: ideò ſua natura pertinent ad eum, qui Beneficium habet, ut poſſit ex eis vivere honeſtè pro ſuo ordine, ſimúlque queat ſuſtinere impenſas pro divino cultu & templi ſacrarúmque ædium reparatione, ut quod reliquum eſt, impendat in pios uſus. Hæc eſt enim natura eorum redituum.* Quamvis itaque in certis quibusdam caſibus penſiones juſtè & legitimè ſuper Beneficiorum fructibus conſtitui poſſint, neque earum exempla in antiquis ſæculis, & ob puriorem diſciplinam maximè commendatis deſint, fatendum tamen, eas, prout hodie frequentantur, omnino odioſas eſſe, cùm ſæpe ſine cauſa, etiam Clericis divitibus concedantur, víxque Beneficiario, unde neceſſaria Beneficij onera ſuſtineat, relinquatur, quem magnum abuſum omnino tollendum cenſent ijdem Cardinales & Prælati in prædicto Conſilio.

7. Quin etiam in Concilio Tridentino Legati Caroli IX. Regis Chriſtianiſſimi, eas penitus abrogari hoc ſuarum po-

 ſtulationum

Digitized by Google

ſtulationum articulo efflagitarunt: *Penſiones ſuper Beneficijs non conſtituantur, & quæ ſunt conſtitutæ tollantur, quò reditus Eccleſiaſtici in alimenta Paſtorum & pauperum, alióſque uſus pios transferantur.* Non tamen penitus eas ſuſtulit Tridentina ſynodus; ſed quantum optaverit, ut nonniſi moderatè & cum debitis conditionibus conſtituantur, ex varijs ejus decretis, nec non ex ejus Hiſtoria à Cardinali Palavicino edita, facile colligitur. Unde etiam à multis jam ſæculis receptum eſt, ut à ſolo Romano Pontifice concedantur, qui pro ſua ſuprema poteſtate generales diſciplinæ regulas in particularibus cauſis ex Eccleſiæ utilitate moderari debet. Ob eas rationes plerique antiqui Regaliſtæ & Juris-conſulti hanc conſtituendarum penſionum facultatem in Regibus non agnoſcebant: ſed jam pridem ſola conſuetudinis & Arreſtorum Parlamenti Pariſienſis auctoritate abducti, in contrariam ſententiam abierunt. Non alio ſolidiori fundamento nituntur cæteræ regulæ ad amplificandam Regaliam circa reſignationes Beneficiorum inductæ, quas hic breviter perſequemur.

8. IV. Ubi Rex Beneficij reſignationem in favorem alicujus factam, admiſit, illud alteri, quam ei in cujus favorem reſignatum eſt, conferre poſſet, ſi vellet; quòd, inquiunt, in exercendo jure Regaliæ nullis conditionibus teneatur, ipſúmque Beneficium ad ſuam Majeſtatem ſpectet, ex quo per reſignationem de jure ſaltem vacavit, adeo ut liberè ac pro ſuo libitu de illo ſtatuere poſſit. Quid bonæ fidei magis adverſum, quam hæc doctrina, quid juſtitia & æquitate alienius? Qui Beneficium in alterius favorem reſignat, nequaquam illud à ſe abdicat, niſi ea conditione, ut in eum quem deſignat, conferatur; hæcque conditio ipſi reſignationi ineſt, nec ab ea unquam divelli poteſt: quæ quidem ſi reſpuatur, effectu caret reſignatio, nec ullo modo Beneficium vacat, ſed illud

illud reſignans tanquam verus ac legitimus poſſeſſor retinere pergit. Id ita omnium conſenſu in reſignationibus in favorem, quæ apud Curiam Romanam fiunt, obſervatur, & nulla prorſus atque abuſiva haberetur proviſio Pontificis, ſi Beneficium alteri quam ei in cujus favorem reſignatum eſt, conferret. Quis igitur æquo animo ferat, majorem Regibus hac in re quam Pontifici, poteſtatem tribui, eóſque non ſacris ſolum canonibus, ſed ipſis rationis atque æquitatis legibus abſolvi, quod ab eorum religione, juſtitia & æquanimitate mirum quantum abhorreat. Certè tam abſurdam nonnullorum Regaliſtarum doctrinam rejecit Carolus Molinæus Tractatu in Regulam de Infirmis reſignantibus num.10. cujus auctoritas regijs miniſtris ſuſpecta eſſe non debet. Atque haud ſcio an reipſa ejuſmodi Beneficiorum proviſiones ob Regaliam, aliquando extiterint: Id unum ſcio, quòd ſi occurrerent, ut nullæ ac ſubreptitiæ ab omnibus repudiandæ eſſent.

9. V. Ubi aliquod Beneficium ſive in manus Ordinarij, ſive in manus Summi Pontificis reſignatum eſt, ſi interim Sedes Epiſcopalis vacaverit, Regaliæ ſubjacet, & à Rege, tanquam de jure vacans, confertur. Unde non rarò accidit, ut Beneficiarij, qui ſua Beneficia, aut permutationis cauſa, aut *in favorem* ſub onere penſionis reſignant, ea, exiſtente ſubitò Regalia, amittant, atque antiqua & pacifica poſſeſſione exturbati, Regaliſtis relinquere cogantur; etiam cùm facta prius ab eis reſignatio caſſa & inutilis remanſit, nulla proviſione ab Ordinario aut Pontifice Romano data vel expedita: quo quidem caſu penſione, de qua ſibi caverant, ſæpe privantur, atque ita nudi & Beneficio prorſus ſpoliati relinquuntur. Quin & idem obſervatur, licet quis procurationem ad reſignandum Beneficium, antequam reſignatio à Roma-

no Pontifice admiſſa ſit, reſciderit, niſi reſciſſio, priuſquam Regalia exiſtat, in acta publica apud Notarios relata fuerit.

10. Hæc planè iniqua & abſurda non alia ratione Miniſtri regij tuentur, niſi quòd ejuſmodi Beneficia per reſignationem ſemel factam, de jure vacent, quod ſatis eſſe contendunt, ut Regaliæ locus ſit ex Conſtitutione Philippi Valeſij anno milleſimo trecenteſimo trigeſimo quarto data, quæ Philippina vulgo nuncupatur. Sed futilis & vana eſt hæc defenſio. Quis enim neſciat, procurationibus ad reſignandum, quæ Romam mittuntur, hanc ſemper cautionem adhiberi, ut reſignans denuntiet, nolle ſuo ſe jure abdicare, niſi cùm reipſa reſignatarius poſſeſſionem Beneficij adibit, idque Judices regios ita intelligere, ipſúmque Parlamentum Pariſienſe ſuis paſſim Arreſtis confirmare, ubi de poſſeſſorio Beneficiorum coram ipſis litigatur? Cur igitur alio jure in Regaliæ cauſis utuntur, & admiſſa ſemel apud Curiam Romanam reſignatione, ita beneficia de jure vacare volunt, ut ſtatim antiquos & pacificos eorum poſſeſſores ſpoliare fas ſit, eo ſolum nomine, quòd illa in manus Pontificis, juxta morem receptum publicáſque Regni leges, reſignarint? Annon hoc eſt habere in judicio pondus & pondus, menſuram & menſuram, quod ut abominandum Scriptura deteſtatur?

11. VI. Ex eadem Conſtitutione Philippina, ſi quis obtenta vacantis Beneficij canonica proviſione, poſſeſſionem, antequam orta ſit Regalia, non adierit, idque, ut quidam volunt, coram & perſonaliter, & non ſolum per procuratorem, Regaliæ locus eſt, & Beneficium, ut de facto vacans, à Rege confertur. Idem ſervatur in Beneficijs ob permutationem ſive apud Ordinarium, ſive apud Romanum Pontificem reſignatis. Si enim alteruter permutantium aut uterque ante exortum Regaliæ poſſeſſionem non adierit, alterutrum Beneficium, aut

utrumque

utrumque ad regem devolvitur, & Regaliæ nomine confertur. His quam apertè violetur jus alienum, quod tamen ne fiat, Reges Chriſtianiſſimi in cunctis ſuis Edictis ſolemni formula cavere ſolent, nemo eſt qui non ſtatim advertat. Nam cùm in Beneficijs ex titulo jus maximè pendeat, abſurdum omnino & injuſtum videtur, ut qui titulum canonicum ab Ordinario aut Romano Pontifice conſecutus eſt, jure ſuo excidat, ob defectum rei, quæ quo minus adhiberetur, fortaſſe per eum non ſtetit, utpote qui neque cunctatione neque negligentia in adeunda poſſeſſione uſus ſit. Deinde in Beneficijs ob permutationem reſignatis, falſum omnino eſt, ea, ante aditam poſſeſſionem, de jure vacare. Ipſa enim æquitas ac rei conditio poſtulat, ut niſi perfecta ſit permutatio, Beneficiarij tam de jure, quam de facto prioris Beneficij poſſeſſionem retineant; nihilque abſurdius aut iniquius fingi poteſt, quam ut uterque permutans, ſuo beneficio, ſine ulla ſua culpa, ob ſupervenientem caſum, quem nec prævidere nec impedire poterat, ſpolietur.

12. VII. Ab eadem Conſtitutione Philippina profectum eſt, ut Rex Beneficia *de jure* ſolum vacantia conferat, videlicet ſi Beneficiarius aliquod crimen admittat, ob quod Beneficio privandus ſit; ſi vitioſum titulum ab initio habuiſſe arguatur; ſi Doctoris gradu ad Dignitatem aut Beneficium requiſito careat; ſi per Simoniam aut confidentiam illud obtinuerit. His enim ſingulis caſibus, Beneficia Regaliæ obnoxia fiunt, tametſi nulla privationis vel declarationis ſententia per Judicem Eccleſiaſticum intervenerit: ſícque Beneficiarij poſt pacificam non trium tantum, ſed decem, viginti & amplius annorum poſſeſſionem, ſine ullo judicio Eccleſiaſtico, imò nulla, ut plurimum, litis inſtructione prævia, Beneficijs ſuis exturbantur.

13. Hæc

13. Hæc quam juſtitiæ & Eccleſiæ libertati adverſentur, quantúmque perturbationis Clero afferant, nemo eſt qui non advertat. Ea autem recenter, ut multa alia, à regijs Miniſtris inducta eſſe facile quis ſuſpicaretur, niſi jam inde à temporibus Philippi Valeſij uſurpata probarentur, tum ex ipſis prædictæ Conſtitutionis verbis, tum ex graviſſimis querelis, quas ea de re Benedictus XII. Pontifex pietate & ſapientia inſignis ad Philippum deferendas curravit, ut videre eſt in litteris ad Petrum titulo ſanctæ Praxedis Presbyterum, & Bertrandum titulo ſanctæ Mariæ in Aquiro Diaconum, Cardinales Sedis Apoſtolicæ in Gallia Legatos anno milleſimo trecenteſimo trigeſimo ſeptimo datis. Has litteras Odericus Raynaldus ad eumdem annum num. 17. exhibet, in quibus inter alia hæc habentur. *Rex quoque præfatus, vacantibus Cathedralibus Eccleſijs Regni ſui, in quibus Regalia aſſerit ſe habere, Beneficia Eccleſiaſtica etiam per Romanum Pontificem vel per alias perſonas Eccleſiaſticas, ad quas collatio pertinet eorundem, ante vacationem dictarum Cathedralium Eccleſiarum collata, ſi ante hujuſmodi vacationem non fuerit eorum poſſeſſio apprehenſa; & quod gravius eſt, & omni contrarium rationi, Beneficia etiam ex collatione eorum, ad quos proviſio fuerat longo tempore poſſeſſa pacificè, quæ ſimiliter tempore Regaliæ non vacarunt: ſi tamen de jure tempore Regaliæ dicta Beneficia obtinentes propter crimen vel aliam cauſam illis potuiſſent privari, quamvis nulla privationis vel declarationis ſententia ſuper tali vacatione per Judicem Eccleſiaſticum præceſſiſſet, nititur conferre de facto, & poſſeſſione ipſorum abſque aliquo judicio Eccleſiaſtico ſpoliare & deſtituere poſſeſſores, compellens eoſdem ad dimittendum illa perſonis, quibus de facto illa contulit per bonorum temporalium captionem; & ſi inter dictos poſſeſſores & eos quibus illa præfatus Rex confert, controverſia oriatur, ad ſe ſeu ad curiam ſuam nititur cognitionem trahere, & ſuper ijs etiam judicare.*

14. VIII.

Digitized by Google

14. VIII. Juri etiam omnino repugnat, ut Rex litigioſum Beneficium, ſuperveniente Regalia, conferat. Neque enim *de jure* vacat, cùm verum ejus titulum ſaltem aliquis ex litigantibus habeat; neque etiam *de facto*, cùm ejus poſſeſſionem, quotquot litigant, ſtatim inierint, & plerumque unus ex eis, fiduciaria ſententia munitus, illo interim potiatur. At Regalia, inquiunt, nullam juris fictionem admittit. An hæc regiorum Miniſtrorum regula, quam pro libitu finxerunt, aliquo caſu vera & juſta eſſe poſſit, hîc non vacat inquirere. Certè in litigioſa Beneficia, de quibus nunc agitur, ſine manifeſta injuſtitia quadrare non poteſt. Cùm enim inter plures de Beneficio contendentes, is potior eſſe debeat, qui primus verum & canonicum titulum habuiſſe compertus fuerit; quis non videat injuſtum eſſe, ut quæſito ille jure excidat, quòd motam ſibi injuſtè litem ſuſtinere coactus ſit, nec ante finire, obtento judicio, potuerit, quam exorta ſit Regalia?

15. Verum quidem eſt, per Arreſta Parlamenti Pariſienſis ab hac regula exceptas eſſe lites manifeſtè injuſtas, ut refert Annæus Robertus lib. 3. Rerum judicatarum cap. 1. Sed præterquam quòd haud facile eſt definire, quænam ſint lites manifeſtè injuſtæ, minimè juri aut rationi conſentaneum videtur, ut quoties de Beneficio inter plures contenditur, & quiſnam vincere debeat adhuc dubium eſt, illud æquè omnibus, ſuperveniente Regalia, abjudicetur, & alteri, cui Rex voluerit, conferatur. Quapropter cùm multiplices inde orirentur fraudes, ſuſcitatis per colluſionem, litibus, ſicubi brevi futura ſperabatur Regalia, Rex in Declaratione anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo tertio edita inter alia ſtatuit, ut litigij nomine Regaliæ locus non ſit, niſi lis ſex ante obitum Epiſcopi menſibus conteſtata fuerit. Verùm

etſi hac ratione ejuſmodi fraudibus aliquatentus occurratur non tamen penitus tolluntur, cùm non per obitum ſolum, ſed ceſſionibus etiam & translationibus Epiſcoporum Sedes Epiſcopales vacent, ſempérque injuſtum & à ratione alienum videatur, ut qui Beneficium legitimè & canonicè obtinuerit, eo privetur non alia de cauſa, quàm quòd litem ſibi injuſtè motam, intra ſex menſes, qui hodie vix levioribus controverſijs inſtruendis, nedum terminandis, ſufficiunt, abſolvere non potuerit.

CAPUT VII.

Examinantur aliæ regulæ circa collationem Beneficiorum.

I. IX. NOſtra memoria, hoc eſt à triginta aut quadraginta annis Regalia ad Beneficia Patronatus Eccleſiaſtici vel laici porrecta eſt, eatenus videlicet, ut illa Rex ad Patronorum nominationem, inſtar Epiſcopi, conferat. Antea Regaliæ ea tantum Beneficia ſubjecta erant, quæ ad plenam ac liberam Epiſcopi collationem ſpectabant, cùm hæ ſolæ collationes inter fructus haberentur, quo potiſſimum nomine Regibus attributæ ſunt; nequaquam verò id quadraret in collationes, quæ ad Patronorum præſentationem fiunt, in quibus Epiſcopus neceſſario & merè ſpirituali munere fungitur, quatenus videlicet nominatos à Patronis inſtituit, atque in eos jus & poteſtatem obeundi munia Eccleſiaſtica confert, poſtquam illos, prævio examine, capaces & idoneos repererit. Hinc plerique Juris-conſulti Galli, qui ſuperiori ſæculo de Regalia ſcripſerunt, hujuſmodi neceſſarias ac merè ſpirituales Collationes ad Regaliam nihil attinere cenſuerunt. Id diſertè docet Guido *Coquille* acris vir ingenij

&

Digitized by Google

& in rebus Eccleſiaſticis inprimis verſatus, atque ita tum publicè uſu receptum fuiſſe teſtatur Tractatu de lib. Eccleſ. Gall. pag. 51. Id etiam tenuit Philippus Probus Quæſt. IX. n. 2. his verbis: *Confert* (Rex) *omnia Beneficia tam ſimplicia quam duplicia, id eſt cum alijs incompatibilia ad Archiepiſcopi vel Epiſcopi ſub Regalia exiſtentium plenam diſpoſitionem pertinentia ... & dic plenam diſpoſitionem id eſt pleno jure, ſeu in quibus conferendis alterius non requiritur conſenſus.* Idem ante Probum, non tamen ſine aliqua dubitatione, docuerat Arnulfus Ruſæus Privileg. VIII. n. 9.

2. Cæterum quam abſurda ſit & Eccleſiæ injurioſa nova hæc juris-prudentia, quæ hujuſmodi Beneficiorum collationes Regibus tribuit, nemo eſt qui non animadvertat, cùm rem merè ſpiritualem & hierarchicam in Principem Laicum conferat. Certè veteres quidam Regaliſtæ, ut Beneficiorum collationes quæ ob Regaliam fiunt, defenderent, ſpirituale à temporali, functiones videlicet Eccleſiaſticas à perceptione redituum, ſeu officium à beneficio diſtinguebant; cúmque in Beneficijs quæ curam animarum non habent, temporale ex eorum ſententia, ſpirituali præponderaret, horum collationem à Rege factam, potius quid temporale eſſe quam ſpirituale concludebant. At hodie inſuper habita hac ſpiritualis & temporalis diſtinctione, ipſa nominatorum à Patronis inſtitutio, quæ res merè ſpiritualis & hierarchica eſt, palam Regi tribuitur, quod valde inconveniens & abſurdum videtur.

3. Deinde hæc antiqui juris mutatio tum Patronos, tum ipſos generatim Beneficiarios non levi incommodo afficit. Patronos enim vel ex remotiſſimis Regni partibus præſentationes ad Regem mittere oportet: Beneficiarij verò toto Regaliæ tempore facultate abdicandi ſe Beneficijs aut ea per-

 mutandi

mutandi privantur. Poſtremò Regis conſcientiam valde onerat, cùm haud alios fas ſit in Beneficijs inſtituere, niſi dignos & capaces repertos; à regia autem conditione omnino alienum ſit hujuſmodi cognitioni atque examini vacare. Itaque præſentati à Patronis nequaquam Regem ex univerſis Regni Provincijs adeunt, ut à ſua Majeſtate collationem ſeu inſtitutionem obtineant. Sat habent litteras præſentationis ad regium Comitatum mittere, quibus acceptis, titulus ſeu inſtitutio Beneficij, ſine ullo prævio examine, eis conceditur: quod quam ſit abſonum & ab Eccleſiaſtica regula abhorrens ſatis per ſe patet.

4. Ultra adhuc progrediuntur Regaliſtæ. Contendunt enim, Patronos, maximè Eccleſiaſticos, ſi præſentare ſuperſederint, à Rege præveniri poſſe. Atqui Præventionem ſoli Romano Pontifici, ob poteſtatis plenitudinem, ut loquuntur Canoniſtæ, convenire hactenus creditum eſt: cúmque Canonibus adverſetur, & Collatorum ac Patronorum jus violet, eam in Gallia tum Pragmatica ſanctio ex Baſileenſi Concilio excerpta, tum Conſtitutio Aurelijs in publicis Regni Ordinibus publicata articulo 22. ſuſtulerat; atque ut à Concilio Tridentino abrogaretur, Reges Chriſtianiſſimi per ſuos Legatos poſtulaverant. Qui igitur hodie id juris Regibus, durante Regalia, tribuunt, non ab Eccleſiæ ſolum regulis, verum etiam à Regni legibus & antiqua Juris prudentia recedere convincuntur. Præterea ex Regaliſtarum doctrina ſequeretur, hujuſmodi præventionem perinde erga Laicos Patronos atque erga Eccleſiaſticos admittendam; cùm, ex eorum ſententia, ſupremum ſit atque præcellens Regaliæ jus, cætera omnia jura inferiorum Patronorum, qui Eccleſias vel fundarunt vel dotarunt, longè ſuperans atque in ſe complectens. Neque verò inter Gallos Juris-conſultos deſunt, qui id juris Regibus pro-

promiſcuè in quoſcumque Patronos ſive Laicos, ſive Eccleſiaſticos attribuant: quod latam ſerendis litibus varijſque fraudibus admittendis viam ſternit, dum aut præventos à Rege Patronos, aut ob præſentatorum defectum & indignitatem, jus liberè conferendi ad ſuam Majeſtatem devolutum regij Miniſtri cauſabuntur.

4. X. Parochias hactenus Regaliæ ſubduxit tum Juriſconſultorum Gallorum, ſi unum fortaſſe Molinæum excipias, communis doctrina, tum conſtans Parlamenti Pariſienſis juris-prudentia: quanquam paucis abhinc annis nonnulli ſcriptores eas quoque huic oneri ſubjicere tentarunt, ſed irrito conatu; adeò altè omnium mentibus infixum eſt, paſtorale officium curámque animarum ſine canonica miſſione atque Eccleſiaſtica auctoritate ſuſcipi non poſſe. Hæc autem ratio etiam locum habere videtur in Decanatibus & Præpoſituris Eccleſiarum Cathedralium & Collegiatarum, cùm ejuſmodi Dignitatibus ut plurimum annexa ſit cura animarum, & juriſdictio ſpiritualis in Capitulorum Beneficiatos; unde etiam in pleriſque locis communi Canonicorum ſuffragio Decani ſeu præpoſiti eliguntur; quo quidem caſu eos à Regalia immunes declaravit Edictum Henrici IV. anno milleſimo ſexcenteſimo ſexto publicatum. Idem cenſendum de Archidiaconis, qui ob curam obſervandi Cleri Epiſcoporum oculi appellantur, & in pleriſque locis, dum Parochias perluſtrant, juriſdictionem, adhibitis etiam cenſuris, exercent. Hæc enim Decanorum & Archidiaconorum munia quis dubitet eſſe ſpiritualia, & ipſis Parochorum munijs, ſi non ratione Ordinis, ſaltem juriſdictionis dignitate longè antecellere? Cur igitur ejuſmodi Beneficia, perinde ac Parochiæ, à Regalia non eximuntur, ſed à Rege pleno jure, hoc eſt ſine ullo auctoritatis Eccleſiaſticæ interventu, durante Regalia, conferuntur?

5. Id potiori adhuc ratione dicendum de Præbendis Theologalibus. Nam Canonici Theologalis partes ſunt, tum Scripturam ſacram Clericis interpetari, ut in Concilio Tridentino decretum eſt, tum ijsdem Theologiam ſingulis hebdomadis ſemel aut bis prælegere, atque etiam ad populum, diebus Dominicis, aut ſaltem ſolemnioribus feſtis concionari, ut habetur in Concilio Baſileenſi & Pragmatica Sanctione: quod utrumque Canonici Theologalis munus in multis Galliæ Eccleſijs viget. Itaque is Miniſterium verbi, quod proprium eſt Epiſcoporum, quódque Apoſtoli præcipuo jure ſibi ſumpſerunt, non ut reliqui Concionatores peculari quadam delegatione, ſed ipſius Beneficij titulo exercet, ut Epiſcopi os quodammodo appellari poſſit. Quapropter juri & rationi omnino conſentaneum eſſet, ut Epiſcopi Canonicos Theologales, quibuſcum præſtantiſſimam ſui miniſterij partem communicant, per ſeipſos ſemper eligerent atque inſtituerent; idque etiam in Capitulis, quorum Canonici Præbendas & Canonicatus aut ſoli, aut alternis cum Epiſcopo vicibus, conferunt: quod nuper pro Epiſcopo Aginnenſi in cauſa Præbendæ Theologalis tum vacantis à regio Conſilio judicatum eſſe inaudivi. His rationum momentis Theologales Præbendæ, non ſecus quam Parochiæ, à Regalia immunes hactenus habitæ ſunt: ídque Parlamentum Pariſienſe jampridem perorante Ludovico Servino Advocato regio prædicaverat, alijſque deinde Arreſtis confirmaverat, ut videre eſt apud recentes Arreſtorum collectores. Verùm paucis abhinc annis regij Miniſtri Præbendas Theologales, perinde ac cæteros Canonicatus, Regaliæ ſubjicere cæperunt, idque reipſa in Diœceſi Alectenſi & alibi uſurpatum eſt; cujus novi juris inducendi rationes hactenus ignorantur.

6. Præ-

6. Præbendis Theologalibus adjungendæ ſunt *Pænitentiariæ*, quas Miniſtri regij Regaliæ quoque ſubdere non verentur; tametſi earum functio merè ſit ſpiritualis, cùm Canonicus Pœnitentiarius titulo ſui Beneficij poteſtatem ligandi ac ſolvendi in foro interiori, & à caſibus Epiſcopo reſervatis abſolvendi conſequatur.

7. XI. Nuper etiam Regi Chriſtianiſſimo ſuggeſtum eſt, ut Canonicatus & Dignitates Capitulorum regularium, quæ in paucis adhuc Eccleſijs Cathedralibus aut Collegiatis reſtant, titulo Regaliæ conferat: tametſi non tam ſint Beneficia, quam Monachorum ſeu Religioſorum loca, ad quæ nullus alterius Monaſterij Religioſus ante admittitur, quam Inſtituti tyrocinium, ſub Epiſcopi vel Præpoſiti auſpicijs poſuerit. Sin verò nondum vitam religioſam profeſſus eſt, poſt finitum tyrocinium tria Religionis vota nuncupare debet, & ad vitam communem atque ab omni proprio alienam, pro ratione ejusdem inſtituti, ſeſe adſtringere.

8. Jam verò quotus quiſque eſt, qui ejuſmodi Beneficia, amplexandæ Religioſæ vitæ deſiderio, ob Regaliam obtineat? Juvenes ſunt plerumque, quos aut propria ambitio aut parentum cupiditas impellit. Avent fieri Eccleſiarum Præpoſiti, Archidiaconi, Canonici. Per votum paupertatis ad divitias aſpirant, atque eo animo ad Religioſorum cætum ſe conferunt, ut ſacros reditus rei divinæ pauperúmque alimonijs deſtinatos, in proprios uſus convertant, aut in res vanas & omnino noxias profundant. Ut verò demus aliquos ex illis melius affectos fore, quis de illorum ad vitam Religioſam vocatione judicabit? Annon Reges in ſummum lædendæ conſcientiæ diſcrimen adducunt, qui eis auctores ſunt, ut tam difficilem provinciam ſibi ſumant, cui obeundæ peritiores quique Religionum Præfecti ac Novitiorum Magiſtri,

etiam

etiam poſt accuratam probationem, vix ſe pares exiſtimant? Dedecet itaque omnino Regiam Majeſtatem, ut ejuſmodi Beneficiorum collationes, ſede Epiſcopali vacante, ad ſe trahat, idque apertè in magnum Eccleſiæ damnum vergit, cùm vix alia res magis illorum Capitulorum pacem turbare, ac ſtabilitam multo cum labore diſciplinam evertere queat.

9. XII. Paucis abhinc annis aliud magni momenti in hac collationum materia introductum eſt, ut nempe Rex non ea ſolum Beneficia conferat, quæ ad collationem Epiſcopi ſpectant, ſed ea etiam, quæ Capitula conjunctim cum Epiſcopo, aut alternis vicibus, aut per orbem, ſive, ut vocant, *per turnum* conferunt: cujuſmodi ſunt pleraque Capitula in Occitania aliiſque vicinis Provinciis Regaliæ nuper ſubjectis. Quantam id iniquitatem habeat nemo non videt. Si enim Rex Beneficia ideò ob Regaliam confert, quòd Eccleſiæ vacantis fructus, quos inter collationes placuit numerare, vice Epiſcopi percipiat, annon intra terminos ipſi Epiſcopo præſcriptos ſeſe cohibere debet? Cur Capitulorum jura, quæ Epiſcopus intacta reliquit, ſibi attribuenda exiſtimabit? Certè ut Beneficiorum collationes, ita & reliqua Capitulorum bona eodem jure ad ſe trahere poſſet. At, inquiunt, cùm ipſo jure ad Epiſcopum omnium ſuæ Diœceſeos Beneficiorum collatio pertineat, id per privatas pactiones cum Capitulis initas in detrimentum juris Regaliæ mutari non potuit. Quid ſi id juris Capitula non per privatas pactiones, ſed ab ipſa Eccleſiarum fundatione aut prima bonorum inter Epiſcopos & Canonicos diviſione, adepta ſunt; quod de Eccleſiis Occitaniæ aliarúmque vicinarum Provinciarum, quæ alio nunquam jure uſæ perhibentur, meritò affirmari poteſt? Certè in hoc caſu Parlamentum Pariſienſe Capitulis jus ſuum conſervandum judicavit ſolemni Arreſto die vigeſima tertia Aprilis anni

millesimi

milleſimi ſexcenteſimi quadrageſimi tertij, in cauſa Capituli Eccleſiæ Cathedralis Catalaunenſis, quod vetuſto & peculiari jure omnium Præbendarum & Canonicatuum collationem habet; cùm in Eccleſia Remenſi Metropolitana aliiſque vicinarum Provinciarum Eccleſijs, quæ jampridem Regaliæ ſubjacent, res aliter ſe habeat, ſolis ferè Epiſcopis Præbendas & Canonicatus Eccleſiarum ſuarum, liberè ac pleno jure conferentibus.

10. Quin & plerique Regaliſtæ expreſsè docent, Regaliam non extendi ad eas collationes, quæ ad Capitula vel ſeorſim vel conjunctim cum Epiſcopo pertinent. Ita Arnulfus Ruſæus Privileg. VIII. n. 3. *Illud, quod dicitur conceſſum collationi alicujus, intelligitur, quando collatio ad eum ſpectat pleno jure: ſecus, ſi ſit communis cum alio vel alternativè. Tunc enim videtur, quòd non poſsit uti prærogativa ſua Princeps, eo quòd dependet ab alternis vicibus vacationis.* Ruſæo conſenſit Philippus Probus Quæſt. XII. *Quæritur, an Rex jure Regaliæ Beneficia ad Epiſcopi & ſui Capituli vel alterius tertij diſpoſitionem plenariam conjunctim ſpectantia conferre valeat? Breviter dic, quòd non confert, tum primò, quia de talibus privilegium Regaliæ nihil dicit, ſed ſolum ſimpliciter loquitur de Beneficiijs, quæ Epiſcopus pleno jure confert, id eſt nulla præcedente præſentatione aut alio ſimili adjuncto.*

11. Neque verò audiendi ſunt, qui aliarum rationum inopia, eam Regaliæ præſtantiam eſſe ajunt, ut nullum in ea exercenda ſocium Rex admittat. Quis enim hanc quam pro libitu ſuo ſibi fingunt regulam, eis concedat? Beneficiorum collatio res eſt ſua conditione ſpiritualis & Eccleſiaſtica, ut omnes fatentur. Quid igitur répugnat, eam durante Regalia, Canonicis aliiſque Eccleſiaſticis viris cum Rege communem eſſe? Nonne in multis locis Reges cum Epiſcopis, Abbatibus, aliiſque Beneficiariis, feuda, juriſdictiones, aliáque tempo-

ralia & civilia partiuntur; ab ijs etiam in ſimilium jurium ſocietatem vulgo *pariage*, vocati, ut vetera Eccleſiarum tabularia teſtantur? Prærerea falſum eſt hoc caſu, Regem jus ſuum cum Capitulorum Canonicis comunicare. Non illi à Rege jus conferendi Beneficia, Sede Epiſcopali vacante, mutuantur; ſed quod prius, vivente Epiſcopo, habebant, poſt ejus mortem retinent. Nihil autem magis rationi & æquitati contrarium fingi poteſt, quam ut jus adeò legitimum & canonicæ diſciplinæ conſentiens, ab alio jure prorſus extraordinario & Eccleſiaſticis regulis contrario, qualis eſt Regalia, perimatur atque abſorbeatur.

12. XIII. Poſtremò nuper etiam, in magnum Eccleſiarum damnum, tempus Regaliæ prorogatum eſt, uſque dum Epiſcopus poſſeſſionem Epiſcopatus, coram & præſens, non autem ſolum per procuratorem adierit: quia, inquiunt Miniſtri regij, ea eſt Regaliæ conditio, ut nullam juris fictionem admittat. Sic illi pro libitu ſuo novas regulas novámque regularum interpretationem comminiſcuntur. Cæterum nova illa conditio Epiſcopis impoſita, non tantum juris civilis & canonici regulis perpetuóque Eccleſiarum uſui contraria eſt, verum etiam rationi & æquitati palam repugnat. Nam Epiſcopum plenam Diœceſis adminiſtrationem jam adeptum, collatione Beneficiorum, imò & bonorum Epiſcopalium poſſeſſione, niſi eam precariò à Rege obtineat, intercludit, non alia de cauſa, niſi quòd ea non præſtiterit, quæ quominus præſtaret, ſæpe per eum non ſtetit, ut cùm ad Diœceſim pergens, morbo corripitur, aut pro Eccleſiæ vel Reipublicæ bono tantiſper alio in loco detinetur.

13. At, inquiunt, hinc ſaltem id commodi ſequetur, ut citius Epiſcopi ad ſuas Eccleſias ſe conferant. Verùm præterquam, quòd id ad excuſandam rei novitatem & injuſtitiam futile

futile atque alienum eſt, Epiſcopi, quibus cordi eſſet Pariſijs & in aula diutius commorari, facile impetrarent, ut Beneficia, quæ interim vacarent, ijs, quibus ipſis libuerit, conferrentur. Imò non deſunt aulicorum Antiſtitum exempla, qui dedita opera fidelitatis jusjurandum in acta Cameræ computorum non referunt, adeóque Regaliæ tempus prorogant, quò plura interim Beneficia, quæ durante Regalia nec reſignari nec permutari poſſunt, diſtribuant.

14. Hactenus de præcipuis regulis, quas Miniſtri regij & Parlamenti Pariſienſis Magiſtratus in hac collationum materia invexerunt, quáſque eorum auctoritate & uſu fori juſtas ac legitimas evaſiſſe contendunt. Eas quidem Eccleſia tacita præterit ac diſſimulat; ſed nequaquam ſuo ſilentio probat, neque tolerantia ſua efficit, quin pleræque earum rationi, juſtitiæ atque æquitati repugnent. Hæc mala patienter ſuſtinet, ne, ſi eis mederi vellet, in majora incurreret. Synodi Provinciales jamdiu fieri deſierunt, tametſi tot canonibus tum veterum, tum recentium Conciliorum, atque publicis etiam regni legibus imperentur. Porrò Epiſcopi pravis uſibus, quibus Eccleſiæ diſciplina aut libertas imminuitur, nullibi melius aut efficacius obſiſtunt, quam in Synodis, ubi conjunctis viribus & communi conſilio res tranſiguntur. Dum enim ſeparatim in ſua quiſque Diœceſi conſiſtit, id aut præter officium aut ſupra vires ſuas putant, præſertim ſi Principum Edictis aut regiorum Miniſtrorum molitionibus occurrendum eſt. Nemo autem ignorat facillimum eſſe, ubi de juribus & prærogativis Coronæ agitur, Regum animis per fallaciam obrepere, maximè in rebus Eccleſiaſticis, quas adeò perſpectas habere non ſolent. Denique ipſa rerum experientia conſtat, quanto ardore Miniſtri regij ejuſmodi juribus amplificandis & ultra debitos fines porrigendis ſtudeant:

Digitized by Google

quorum conſilijs & molitionibus dum Eccleſia, ob reverentiam regiæ Majeſtatis & publicæ pacis amorem non obſiſtit, minimè eorum uſurpationes probare,ac ſuo ſilentio juſtas & licitas reddere exiſtimanda eſt.

CAPUT VIII.

Regalia inter Eccleſiæ Gallicanæ Libertates nequaquam numeranda.

1. EX ijs quæ ſuperioribus capitulis diximus, planum eſt, Regaliam inter Eccleſiæ Gallicanæ Libertates minimè recenſendam eſſe, etiam ex eorum ſententia, qui vel honorificentiſſimè de his libertatibus ſcripſerunt. Vulgo enim docent, eas jure communi niti, hoc eſt veterum Conciliorum canonibus, Summorúmque Pontificum conſtitutionibus ex eorundem canonum auctoritate promulgatis: cujus antiqui juris tenacior, ut ajunt, Gallia, multa adhuc obſervat, quæ per novum jus in Decreto Gratiani & Pontificum Epiſtolis decretalibus comprehenſum, aut mutata ſunt aut abrogata. Unde eas nequaquam Privilegiorum nomine appellandas putant, quaſi eſſent privatæ quædam leges aut prærogativæ, quas Eccleſia Gallicana ob ſua merita, vel etiam gratuitò à Romanis Pontificibus conſecuta ſit; cùm potius, ex eorum opinione, unicè in ſervando jure communi poſitæ ſint, neque aliò tendant, niſi ut vetus canonum diſciplina, quoad fieri poteſt, valeat, nec novis conſtitutionibus aut contrarijs uſibus abrogetur.

2. Porrò ſupra à nobis fusè demonſtratum eſt, Regaliam, ſi eam abſolutè, & prout à Juris-conſultis Gallis & Regijs Miniſtris deſcribitur, conſideremus, tam juri divino & naturali, quam canonico, ſive veteri, ſive novo contrariam eſſe. Quod enim

enim vacantium Eccleſiarum proventus ſpectat, patuit, eam initio ſola feuda regiæ coronæ obnoxia comprehendiſſe, idque tantum in Provincijs, quæ jure conſuetudinario reguntur; nec niſi per ſummam injuriam ad alia Eccleſiarum bona præſertim ad Decimas ſimiléſque reditus porrectam fuiſſe, donec id Eccleſia, ſuccedente tempore, ſub certis conditionibus toleravit. Quod autem ad Beneficiorum collationes attinet, oſtendimus eas, maximè quatenus pleno jure fiunt, ab Eccleſia nunquam propriè probatas eſſe. Ex quo manifeſtè conſequitur, Regaliam, ſi in ſe ſpectetur, juri communi & Eccleſiaſticis regulis contrariam eſſe; ut non alio titulo, quam Eccleſiæ conſenſu, quem potiſſimum in Concilio Lugdunenſi ſub certis conditionibus declaravit, juſta ac legitima evadere potuerit.

3. His ita poſitis, quis non ultro fateatur, Regaliam inter Eccleſiæ Gallicanæ libertates minimè recenſendam? Quis contra non agnoſcat, eam onus eſſe ac ſervitutem, cui plurimæ in Gallia Eccleſiæ præter ſuam nativam & canonicam libertatem ſubjectæ ſunt; præſertim ſi varias illas in conferendis Beneficijs regulas attendat, quibus quanto amplius jus iſtud crevit, tanto à canonum præſcripto & ab ipſa juſtitiæ atque æquitatis norma longius receſſit, ut ſupra declaratum eſt.

4. Quapropter quantumvis Magiſtratus ac Miniſtri regij collectionem libertatum Eccleſiæ Gallicanæ à clariſſimo viro Petro Pithæo adornatam laudibus uſque in cœlum tollant, quid cauſæ fuerit, cur illa Regaliam inter Eccleſiæ Gallicanæ libertates recenſeret, planè non video. Eam potius in Privilegiorum numero, ut Indulta, exemptiones Capitulorum, Decimas infeodatas, alióſque ſimiles Galliæ uſus à jure communi deflectentes, reponeret: Chriſtianiſſimorum

Regum jus, dotem, prærogativam appellaret; at non inter Eccleſiæ Gallicanæ libertates referret, niſi pugnantia loqui vellet, cùm definitioni harum libertatum, quam primo ejuſdem collectionis articulo tradit, Regalia penitus adverſetur. Idem peccatum in nonnullis aljis ejuſdem Collectionis capitibus facile eſſet oſtendere, niſi id à propoſito noſtro alienum eſſet. Neque id mirum videri debet, cùm Pithæus à prima ætate foro addictus & Parlamenti Pariſienſis jurisprudentia imbutus eſſet, atque in eo opere concinnando id potius ſpectaſſe videatur, ut Regis Chriſtianiſſimi jura & dignitates, reguláſque à Magiſtratibus in dijudicandis controverſijs beneficiarijs & Eccleſiaſticis, adhiberi ſolitas, deſcriberet, quam ut Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſacríque regiminis capita ex antiquis canonibus profecta, quibus Eccleſiæ Gallicanæ germanæ libertates continentur, enumeraret.

5. Itaque ne ſub tam ſpecioſo libertatum nomine pleræque illæ regulæ à Magiſtratibus regijs, non ſine magno Eccleſiaſticæ juriſdictionis damno, invectæ, obtrudantur; ubi de Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus agitur, Clerus Gallicanus verbum aliquod addere ſolet, eas videlicet *veras* aut *germanas* appellando; idémque obſervant Univerſitates, ac præſertim ſacra Theologiæ Facultas Pariſienſis, quò à falſis illis & adulterinis libertatibus diſtinguantur, quæ non tam Eccleſiam in tuendis ſuis juribus & immunitatibus juvant, quam eam Laicæ poteſtati & regijs tribunalibus ſubjiciunt.

Finis Libri Secundi.

LIBER

LIBER TERTIVS.

In quo oſtenditur, quòd cùm Regalia in aliquibus tantum Galliæ Eccleſijs hactenus locum habuerit, jure fieri nequit, ut generalis evadat, atque ad univerſas Regni Eccleſias extendatur: quódque Epiſcopi & Capitula huic extenſioni, quantum in ipſis eſt, debent obſiſtere.

CAPUT PRIMUM.

Ex eo, quòd aliquot Galliarum Provinciæ & Eccleſiæ Regaliæ antea obnoxiæ non fuerint, rectè infertur, eas impoſterum huic oneri à Principibus ſubjici non poſſe.

1. EX dictis in ſuperioribus Libris, duo, ni fallor, planè conſtant: Alterum, Regaliam non ſolum Francorum Monarchiæ coævam non eſſe, ſed longè poſteriorem, utpote quæ poſt ſeptingentos amplius annos, ſub tertia Regum Dynaſtia, ineunte duodecimo ſæculo, exorta ſit: Alterum, hanc ipſam Regaliam, prout jam tum ac deinceps invaluit, juſtam ac legitimam eſſe non poſſe, niſi quatenus eam Eccleſia ſub certis quibuſdam conditionibus, expreſſa, vel ſaltem tacita, conceſſione comprobavit. Ex his duobus autem ſic ſtatutis, neceſſariò concluditur, Regaliam jure ad eas Provincias aut Eccleſias, quæ hactenus ei obnoxiæ non fuerunt,

runt, extendi non poſſe; in quibus videlicet ex longa & diuturna Regum poſſeſſione colligi nequeat, eas à priſtina ſua libertate excidiſſe. Quapropter tota harum Eccleſiarum defenſio ex hoc uno facto pendet, an in eis Regalia hactenus locum non habuerit: quod quidem factum ex ijs quæ primo libro adducta ſunt, quæque adhuc fuſius poſtea declarabuntur, certum, evidens atque exploratum haberi debet.

2. Neque enim, quod diligenter notandum eſt, ad tuendam harum Eccleſiarum libertatem, & convincendam eorum iniquitatem, qui novo illas Regaliæ jugo ſubjicere tentant, neceſſe eſt oſtendere, quandónam aut qua potiſſimum ratione jus illud incæperit, & quid cauſæ fuerit, cur in certas tantum Eccleſias, non autem in omnes inductum ſit. De hoc actum eſt lib. 1. cap. 7. ejúſque differentiæ ratio ex vero feudorum jure, quod in Provincijs juris, ut vocant, ſcripti, & juris municipalis ſeu conſuetudinarij ſervatur, aſſignata eſt. Verum, etſi quæ in eam rem dicta ſunt, aliquam adhuc dubitationem haberent, nec planè omnibus ſatisfacerent, ſufficit ad cauſam, de qua hic agitur, finiendam, nemini dubium eſſe poſſe, quin ſemper fuerint certæ Galliarum Provinciæ atque Eccleſiæ, in quibus nunquam Regalia locum habuit. Aliud enim omnino eſt, tradere quodnam fuerit Regaliæ initium, & cur primum non in univerſas regni Eccleſias, ſed in aliquas tantum inducta fuerit; aliud verò oſtendere, eam reipſa generalem non fuiſſe, ſed ad certas quaſdam Provincias atque Eccleſias cohibitam. Prior illa quæſtio nonnihil obſcuritatis ac dubitationis habere poteſt: at poſterior, cùm tota in facto poſita ſit, tot Hiſtoricorum teſtimonijs, alijſque certiſſimis atque evidentiſſimis probationibus confirmatur, ut nullus de ea dubitandi locus ſuperſit.

3. Hic

3. Hic ſiſtendum eſſe, omiſſa prolixiore cauſæ tractatione, meritò quis dixerit. Quid enim neceſſe eſt, ut Eccleſiæ à Regalia liberæ hanc ſuam libertatem jure communi ſibi debitam, prolatis adhuc titulis & probationibus tueantur? Id potius oneris in eos rejiciendum, qui canonica illas libertate nudare, & graviſſimæ atque extraordinariæ ſervituti ſubjicere conantur, ut ſcilicet acta & probationes adducant, quibus jus iſtud Regi Chriſtianiſſimo quæſitum probent, aut certè longam & diuturno tempore continuatam ejus poſſeſſionem demonſtrent, ex qua Eccleſiæ conſenſus & tacita ſaltem approbatio inferri queat. Alioquin, potiorem eſſe Eccleſiarum cauſam, & vindicias pro libertate dandas, quis negaverit? Id quod reipſa ſemper ſervatum, & plurimis tum Chriſtianiſſimorum Regum conſtitutionibus, tum Parlamenti Pariſienſis Arreſtis, per trecentos annos fere ad hæc uſque tempora confirmatum fuiſſe ſupra oſtendimus.

4. Verumtamen ut illarum Eccleſiarum jus manifeſtius adhuc evadat, operæ pretium exiſtimavi, expreſſas etiam probationes & publicas auctoritates ac teſtimonia adducere, quibus naturalis & canonica earum libertas, non tam probetur, quam declaretur, & regiorum Miniſtrorum eam opprimere conantium injuſtitia plenius coarguatur.

CAPUT II.

Decretum Concilij Lugdunenſis II. generalis maximi ponderis eſt ad confirmandam Eccleſiarum à Regalia immunium libertatem; ejuſque auctoritate omnes adverſariorum conatus & machina depelluntur. Certum eſt, in eo Decreto agi de Regalia.

1. TAle eſt Decretum iſtud ſupra Lib. I. cap. 14. à nobis relatum, ut nihil finiendæ huic controverſiæ aut gravius, aut

vius aut aptius deſiderari poſſit. Fuit hoc Concilium inter ea quæ Generalia dicuntur, maximè amplum ac numeroſum; utpote cui, præſidente Gregorio X. Sanctiſſimo Pontifice, quingenti amplius Epiſcopi, Abbatum ingens numerus, nec non Doctorum aliorúmque Clericorum infinita pene multitudo interfuerit. Tanta autem illius auctoritas fuit, ut omnia ejus Decreta in corpus juris canonici relata ſint, præſcriptaque ab eo de eligendo in conclavi Summo Pontifice forma, quo diuturnæ vacationis incommoda vitarentur, poſtea ſemper ſervata fuerit, & etiamnum adhuc ſervetur. In ipſa Gallia habitum eſt, præſentibus Philippi III. Regis Chriſtianiſſimi aliorúmque pene omnium orbis Chriſtiani Regum legatis; imo & nonnullis etiam ſupremis Principibus coram aſſiſtentibus. In eo actum eſt de rebus maximi momenti, ut de Græcorum reconciliatione, & de ſacra expeditione ad recuperandam Terram ſanctam.

2. Quin etiam Illuſtriſſimus D. de Marca probabile exiſtimat, Decretum iſtud, annitentibus ipſius Philippi legatis editum fuiſſe, quòd videlicet Chriſtianiſſimus Princeps exercendi juris Regaliæ adverſus canones introducti nonnulla religione moveretur, præclaréque ſecum acturos Patres exiſtimaret, ſi prohibita ejus ad Eccleſias, quæ ei obnoxiæ non erant, extenſione, ſaltem illud in locis ubi jampridem receptum erat, confirmarent. Ut ut ſit, Decretum iſtud in Gallia acceptum, publicatum & in executionem per totos quadringentos annos admiſſum fuit, atque ejus potiſſimum vi & auctoritate factum eſt, ut Eccleſiæ quæ tum Regaliæ non ſubjacebant, ad hanc uſque ætatem priſcam ſuam libertatem retinuerint.

3. Quæ ad ejuſdem Decreti explicationem lib. II. cap. 4. obſervata ſunt, hic non repeto, Concilium videlicet id unum

maximè

Digitized by Google

maximè providiſſe, ne jus Regaliæ ad eas Eccleſias, quæ nondum ei ſubjectæ erant, propagaretur, néve eo in locis ubi jam pridem receptum erat, in Eccleſiarum damnum Principes aut eorum Miniſtri abuterentur; ideóque tantum obliquè & quaſi per occaſionem ejus uſum in Eccleſijs, ubi vel ab ipſarum fundatione vel ex antiqua conſuetudine locum habuiſſet, permiſiſſe; poſtremò ex ipſis Decreti verbis & ex Durandi teſtimonio perſpicuum eſſe, in id quoque Patres Lugdunenſes haud ſua ſponte ſeſe demiſiſſe, ſed quod nulla ſpes affulgeret, fore ut Principes antiqua ſua poſſeſſione cederent, atque Eccleſias in priſtinam libertatem redintegrari paterentur.

4. Id tantum hîc notari velim, Regaliæ ad Eccleſias ab ea liberas extenſionem graviſſimis verbis à Concilio prohiberi, eáque omnia in hac lege reperiri, quæ illam commendare, ſummámque ei vim atque auctoritatem conciliare poſſint. Primùm enim expreſsè vetat, ne quis *quantacunque dignitatis honore præfulgeat*, in Eccleſijs vacantibus *Regalia, Cuſtodiam, ſive Guardiam, Advocationis ſeu Defenſionis titulum de novo uſurpet*, eóque obtentu *earundem Eccleſiarum bona occupare præſumat*, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ. Deinde Canonicos ſeu Clericos Eccleſiarum qui id fieri procuraverint, eadem excommunicationis pæna plectit. Demum eoſdem, ſi ſe talia facientibus non opponant, quandiu in ea negligentia perſeveraverint, aliquid de Eccleſiarum ſeu Beneficiorum ſuorum proventibus percipere diſtrictius prohibet. Nulla igitur lex ſanctior aut ſolemnior, aut quæ religioſius obſervari debeat, ſive ſupremam Concilij eam promulgantis auctoritatem attendas, ſive cauſam neceſſitatémque ejus promulgandæ, ſive verba quibus conſcripta eſt, pænáſque appoſitas, ſive denique publicam ejus approbationem, qua per quadringentos fere annos in Gallia conſtanter eſt obſervata.

5. Quapropter nemini dubium eſſe poteſt, quin Regi Chriſtianiſſimo, per hujuſce Decreti ſuppreſſionem ac reticentiam, obreptum ſit ab ijs, qui eum ad extendendam per totum regnum Regaliam induxerunt. Quis enim ſibi perſuadeat, ſuam Majeſtatem, ſi hæc perſpecta habuiſſet, non ſtatim, pro ſua pietate atque innato juſtitiæ amore, repudiaturam fuiſſe conſilium adeo conſcientiæ ſuæ noxium, Eccleſiæ tam infeſtum, ab omni denique juſtitia & æquitate tam alienum?

6. Hæc non potuerunt non animadvertere extenſionis Regaliæ patroni. Quocirca nonnulli, ut hujus Decreti vim auctoritatémque eluderent, eò adducti ſunt, ut illud de Regalia, quæ hodie in quæſtionem vertitur, intelligendum negarent, citata eam in rem Gloſſa, quæ hoc loco *Regalia* interpretatur, *jura imperialia*, ut portus, vectigalia aliáque ſimilia, *de quibus in libris feudorum*, vel etiam *collectam, quæ fit Regis ratione vel Imperatoris, vel tributum quod debetur Regi.*

7. Verum futilis omnino & vana eſt hæc defenſio. Clarum eſt enim hanc nonnullorum Interpretum explicationem à Gloſſatore ita hic adduci, ut eam minimè probet. *Pro intellectu*, inquit, *hujus Capitis, præſupponendum eſt, ſecundum veriorem intellectum ipſius, quid propriè iſte textus appellet Regalia. Quidam volebant dicere, quod Regalia accipiuntur pro juribus Imperialibus, de quibus in lib. Feudorum Cap. Quæ ſint Regalia:* Quibus deinde ſubjungit: *Alij dicunt, quod Regalia accipiuntur pro juribus, quæ habet Princeps in aliquibus Eccleſijs, videlicet quod vacante aliqua Eccleſia Rex percipiat fructus & Eccleſiam conferat.* Quod autem poſteriorem hanc explicationem ſequatur Gloſſa, patet ex caſu, qui eſt veluti quæſtionis ſtatus & fundamentum, quem ſtatim his verbis proponit: *Hoc præſuppoſito ponamus caſum: vacante aliqua Eccleſia, aliquis Comes vel Dux, qui dicebat ſe habere jura Regalia in ipſa Eccleſia, occupavit cuſto-*

diam

diam Eccleſiæ vacantis, & *dicebat quod fructus Eccleſiæ ad ipſum ſpectabant, licet non fuiſſet uſus ipſo jure, an ille Comes vel Dux uſurpans illud jus in Eccleſia vacante, ſit puniendus aliqua pœna? Reſpondet Romanus Pontifex, quod ſic, &c.* Sin verò infra adhuc meminit *collectæ, quæ ſit Regis ratione vel Imperatoris, vel tributi quod debetur Regi*, id pro more ſuo facit, ut videlicet data occaſione varias vocabuli ſignificationes afferat, eámque maximè quæ in libris Feudorum celebratur, tametſi propoſito minus congrueret, atque adeò inutilis & ſupervacanea hic videri poſſet.

8. Cæterum ut nulla de Gloſſatoris mente circa hujus Decreti ſenſum dubitatio relinquatur, obſervandum eſt, Gloſſam, quæ Gregorij XIII. juſſu reſciſſa eſt, disertè hic de Regalia, quæ in Gallia uſurpatur, mentionem feciſſe, ortámque ea de re inter Philippum IV. Regem & Bonifacium VIII. controverſiam & ſcriptas ad invicem litteras commemoraſſe.

9. Poſtremo quis Lugdunenſis Decreti melior interpres aut veri illius ſenſus locupletior teſtis, quam Guillelmus Durandus Mimatenſis Epiſcopus, ob Speculum juris dictus Speculator, qui & Concilio interfuit, & ipſius mandato canones ipſos, ut teſtantur qui ejus ſcripta vulgarunt, compoſuit? At is commentario in Conſtitutiones hujus Concilij edito, quid hoc loco per *Regalia* intelligendum ſit, clarè explicat. *Nota*, inquit, *quod Regalia hic vocantur jura Regi in quibuſdam Eccleſijs & Monaſterijs competentia, quia videlicet illis vacantibus Rex ſub prætextu cuſtodiæ facit fructus ſuos & etiam in quibuſdam Præbendas confert, ſicut patet in quibuſdam Eccleſijs Franciæ.* Quin & illud notabile addit, præſentem Conſtitutionem ad poſtulationem, ſeu, ut ipſe loquitur, *clamorem Prælatorum Franciæ & Angliæ promulgatam fuiſſe*, qui, ut veriſimile eſt, duo efflagitabant: Alterum ut Regaliæ jus, in locis ubi receptum

erat, intra legitimos limites cohiberetur, aut etiam penitus abrogaretur: Alterum, ne ad Eccleſias, quæ hactenus ei obnoxiæ non erant, quacumque ratione extenderetur. Quamvis autem eorum maximè querimonijs & poſtulationibus permotum Concilium graviſſimam hanc ac celeberrimam Conſtitutionem ediderit, fatetur tamen ibidem Durandus, qui tribus circiter poſt annis Commentarium ſuum ſcripſit, parum adhuc illam profeciſſe: *Modicam tamen*, inquit, *ex ea illic adhuc ſequi videmus utilitatem.* Unde patet Principes eorúmve Miniſtros, tum in locis ubi Regalia potiebantur, ab ejus abuſu non deſtitiſſe; tum etiam nonnullos contra recentem Concilij prohibitionem, ad aliquas Eccleſias hactenus liberas, eam conatos extendere, ut nominatim de Eccleſijs Aquitaniæ idem Durandus teſtatur his verbis: *Sicut patet in Eccleſijs Aquitaniæ, in quibus hodie Regalia uſurpantur.* Hoc Durandi Commentarium in Concilium Lugdunenſe Simon Majolus Juris-conſultus typis mandavit anno 1569. & Pio V. Summo Pontifici dedicavit.

10. Eamdem explicationem diſertè tradit hoc loco Guido à Baito Gloſſator celeberrimus, vulgo dictus Archidiaconus. *Regalia*, inquit, *id eſt quæ capiunt Reges vacante Eccleſia, ut patet in regno Franciæ & Angliæ. Nam illic vocantur Regalia, jura Regi in quibuſdam Eccleſijs vacantibus competentia.*

11. Denique fruſtra ſunt Gloſſæ & interpretationes, ubi clarus & apertus eſt textus. At ex ipſis Concilij verbis totóque Decreti tenore liquet, in eo agi de jure Regaliæ, quo Reges alijque Dynaſtæ in multis Provincijs, Franciæ præſertim & Angliæ, vacantium Eccleſiarum fructus ſibi tribuebant. Id ſtatim apparet ex ipſo *Regaliæ* vocabulo, quod primum ponitur, & cui alia deinde adduntur, nempe, *Cuſtodiæ ſive Guardiæ, Advocationis ſeu Defenſionis tituli*, quæ variæ ſunt ejus juris appellationes,

Digitized by Google

pellationes, quia, ut in eodem Commentario obſervat Durandus, *diverſimodè illud ſecundum locorum diverſitatem appellabatur*, idque propter varias illius introducendi rationes, vel potius juſtitiæ titulos, quibus initio Principes ejus uſurpationem utcumque obtegere conati ſunt.

12. Conſtat itaque Decretum iſtud ad Regaliam ſpectare. qualis jam tum recepta erat in aliquibus Galliæ Provincijs, ijs ſcilicet in quibus ad hæc uſque tempora perſeveravit, reliquis in antiqua ſua & canonica libertate remanentibus. Id quod, antequam regij Miniſtri de extendenda per totum regnum Regalia conſilium inirent, adeo apud omnes certum erat, ut hoc idem Decretum Galli Scriptores & Juris-conſulti de Regalia paſſim interpretarentur, petito etiam ex eo argumento ad oſtendendum, jus iſtud, quo Reges Chriſtianiſſimi in multis locis utebantur, ab Eccleſia approbatum fuiſſe; quod videre licet apud Arnulphum Ruſæum, Rebuffum, Renatum Choppinum, Guimerium in commentarijs ad Pragmaticam ſanctionem, Selvam de Beneficijs, Baunium in ſumma Beneficiaria, D. de Marca & alios.

CAPUT III.

Veteres ac novæ Regum Chriſtianiſſimorum Conſtitutiones, acta Cameræ computorum, & Parlamenti Pariſienſis Senatus-conſulta manifeſtè oſtendunt, Regaliam in Gallia non eſſe generalem.

1. NUllæ ante Concilium Lugdunenſe Conſtitutiones Regum Chriſtianiſſimorum de Regalia editæ reperiuntur, ut jam alibi obſervatum eſt. Scilicet ante id tempus Regaliæ jus ſola conſuetudine nixum malè audiebat, nec mediocri apud Eccleſiam invidia laborabat Quod cùm

cùm Reges minimè fugeret, ejus uſum in locis ubi jam invaluerat, retinere ſat habebant, à publicandis autem de eo edictis & conſtitutionibus ſibi temperabant. At poſt evulgatum Concilij Lugdunenſis Decretum, è re ſua arbitrati ſunt, jus iſtud in Eccleſijs, ubi ex antiqua conſuetudine receptum erat, publicis edictis ſancire & componere, prætermiſſis Eccleſijs, quæ ab eo liberæ permanſerant, quod eas, ſine aperta ejuſdem Decreti violatione, huic oneri ſubjici non poſſe probè intelligerent.

2. Edictorum verba lib. 1. c. 15. & 16. ubi de origine & progreſſu Regaliæ actum eſt, relata ſunt. Ex ijs autem conſtat, Philippum Pulchrum & Philippum Valeſium juris Regaliæ conſervandi ac promovendi inprimis ſtudioſos, palam agnoviſſe, illud tantum locum habere *in aliquibus Eccleſijs: in quibuſdam Eccleſijs:* id quod adhuc ibidem alijs verbis ſignificant. *In Eccleſijs*, inquiunt, *in quibus Regaliæ jus habemus.* Qua etiam reſtrictione uſi ſunt Carolus VI. Carolus VII. alijque deinceps Reges Chriſtianiſſimi in ſuis de Regalia Edictis, nec non in litteris, quibus Regaliæ reditus ſanctæ Palatij Capellæ donarunt. His autem verbis clarum eſt, eas ſolum Eccleſias deſignari, in quibus Regalia ex antiqua conſuetudine, ſecundum Concilij Lugdunenſis Decretum, recepta erat.

3. Id adhuc expreſſius atque enixius notavit Ludovicus XII. Rex optimus, ob juſti æquíque ſtudium *Pater populi* dictus, in Conſtitutione anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo nono edita, cujus verba jam ſupra citata iterum hic repono: *Inhibemus*, inquit, *omnibus miniſtris noſtris, ne in Archiepiſcopatus, Epiſcopatus aliáque regni noſtri Beneficia, in quibus jus Regaliæ non habemus, manus injiciant, ſub pænis contra ſacrilegos ſtatutis.* Quæ Conſtitutio alibi in veteri collectione regiarum Conſtitutionum, fuſius habetur his verbis: *Inhibemus*

omnibus

omnibus Miniſtris noſtris, ne in Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Abbatias, aliáque regni noſtri Beneficia, in quibus jus Regaliæ ſeu Guardiæ non habemus, ſeſe intromittant, exceptis ſolum Beneficijs aut caſtellis in confinio regni noſtri poſitis (quæ, republica ita poſtulante, occupare poterunt) *quo caſu pro ſervandis ac tuendis ejuſmodi caſtellis, nihil ex bonis & fructibus eorundem Beneficiorum, ratione ſumptuum, damnorum aut impendiorum ſument, ſed ad nos confugient, quò eis ſtipendium pro ejuſmodi cuſtodia, ſecundum quod juſtum fuerit, aſſignetur.*

4. Has Prædeceſſorum ſuorum Conſtitutiones Henricus Magnus anno milleſimo ſexcenteſimo ſexto, publico Edicto renovavit confirmavitque, ad poſtulationem Cleri Gallicani, qui Eccleſiarum à Regalia immunium libertatem ab Officialibus regijs, turbulentiſſimo bellorum civilium tempore imminutam, varijs adhuc modis, ab ijſdem Officialibus, reddita pace, violari conqueſtus fuerat. Huic malo ut occurreret Rex æquiſſimus, & Eccleſiarum à Regalia immunium libertatem illæſam conſervaret, hoc Edicto, quod poſtea à Parlamento Pariſienſi ſine ulla exceptione in acta relatum eſt, ſic ſtatuit: *Neque etiam intendimus jure Regaliæ uti, niſi prout nos Prædeceſſoréſque noſtri uſi ſunt, minimè illud in Eccleſiarum immunium detrimentum extendendo.* Idem pariter edixit Ludovicus XIII. ob juſtitiæ laudem Juſti cognomen adeptus, articulo decimo ſexto Conſtitutionis anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo nono editæ, quem tanquam ſupramemorato Henrici articulo conſentaneum Clariſſimus vir Dominus Marillacus regij ſigilli cuſtos, alijque regij Miniſtri iterum ſuæ Majeſtatis nomine confirmarunt, ut lib. 1. c. 19. n. 5. notatum eſt.

5. Neque verò audiendi ſunt, qui ut horum Edictorum auctoritatem declinent, ultro ſe fateri ajunt, Regaliam ad omnes regni Eccleſias non pertinere, tum quòd nonnullæ titulo

oneroſo & per contractus cum Chriſtianiſſimis Regibus initos ab ea liberatæ ſint, tum quod plures adhuc per Privilegia & gratuitas eorumdem Regum conceſſiones, eamdem immunitatem conſecutæ eſſent. Quis enim ſtatim hujus reſponſionis vanitatem non advertat? Nihilne amplius citata Edictorum verba ſeveræque Ludovici XII. ad ſuos Miniſtros interminationes ſignificant? Nonne ſatis apertè indicant, fuiſſe tunc temporis non aliquas tantum parvo numero Eccleſias, titulo oneroſo aut peculiaribus Privilegijs à Regalia immunes, ſed ingentem Eccleſiarum numerum integráſque Provincias, quæ naturali & canonica libertate, huic nunquam oneri ſubjacuiſſent? Videſis quæ lib. 1. cap. 17. num. 4. & cap. 19. num. 3. in eam rem dicta ſunt. Quam futile ſit iſtud effugium ex infra dicendis adhuc clarius patebit.

6. Ut ex regijs Edictis firma ducuntur argumenta ad probandum Regaliam non eſſe generalem; ita acta & enumerationes quæ in regeſtis Cameræ Computorum aſſervantur, itemque Arreſta Parlamenti Pariſienſis idem planè convincunt, & Eccleſiarum à Regalia immunium libertatem egregiè confirmant. Pleraque illa acta & Arreſta lib. 1. cap. 16. & cap. 17. retulimus, præſertímque celebrem illam Conſtitutionem ex tabularijs Cameræ computorum deſumptam, quæ incipit: *Dominus Rex*, in qua nominatim recenſentur Eccleſiæ, *in quibus Rex conſuevit capere Regaliam*, & in quibus *nihil habet*, quam non ita pridem poſt Concilium Lugdunenſe factam, tanquam ejus Decreti executionem habendam eſſe oſtendimus. Adjunctæ ſunt aliæ ſimilis notæ Conſtitutiones ſeu Eccleſiarum Regaliæ obnoxiarum vel non obnoxiarum enumerationes, quæ priorem illam vel explicant vel confirmant. Id unum hîc addimus, fieri non poſſe, ut quis antiqua hæc monumenta in ipſis regijs ſcrinijs publiciſque tabularijs aſſervata per-

Digitized by Google

perpendat, quin ſtatim agnoſcat, quod ſicut per ea jus Chriſtianiſſimorum Regum in Eccleſias Regaliæ jampridem obnoxias probari aſſerunt regij Officiales, ita potiori adhuc ratione Eccleſiarum ab eo onere immunium libertas manifeſtiſſimè confirmatur. Certè id ante hos ultimos annos Juriſconſultis & Scriptoribus Gallis perſuaſum fuiſſe patet, dum antiqua illa monumenta ad utrumque hoc caput probandum attulerunt, quos inter eruditiſſimus Paſquierius de celebri illa Conſtitutione quæ incipit: *Dominus Rex*, ſic loquitur: *Veluti fax eſt, cujus fulgore, quidquid obſcuritatis eſt in materia Regaliæ, fugatur.*

7. Quod ad Parlamentum Pariſienſe ſpectat, lib. 1. cap. 18. & 19. demonſtratum eſt, ejus juris-prudentiam in dijudicandis Regaliæ litibus per quadringentos fere annos obſervatam, omnino pugnare cum illa altera Juris-prudentia, quam à centum circiter annis univerſalis Regaliæ defenſores invehere conati ſunt. Inter alia adductum eſt celeberrimum Arreſtum, ſancto Ludovico rege, pro Eccleſia Anicienſi latum, cujus acta & probationes in regeſtis Parlamenti Pariſienſis etiamnum habentur: itémque aliud Arreſtum anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Philippo III. regnante, in cauſa Eccleſiæ Albienſis pronuntiatum, cujus etiam mentio fit in eiſdem regeſtis. Denique ibidem obſervatum eſt, quotquot per trecentos fere annos à Parlamento Pariſienſi de hac materia lata ſunt Arreſta, quæ quidem magno numero ſunt, ea omnia ad Eccleſias Provinciarum Senonenſis, Remenſis, Rothomagenſis, Turonenſis, Bituricenſis ſpectare; nullum verò de Eccleſijs Occitaniæ, Aquitaniæ, Provinciæ, Delphinatus, aut Diœceſi Ruthenenſi, Cathurcenſi aliiſque vicinis reperiri, ut fidem faciunt tum regeſta Parlamenti, tum manuſcripti Arreſtorum codices, tum etiam

Digitized by Google

Juris-conſulti & auctores Galli, qui de Regalia ſcripſerunt. Quod manifeſto indicio eſt, has ultimas Provincias ac finitimas ijs Diœceſes, toto hoc tempore priſtinam ſuam libertatem retinuiſſe. Sin verò aliquando eam Miniſtri regij, occupatis nonnullarum Eccleſiarum vacantium bonis, lædebant, conquerentibus Capitulis aut Epiſcopis ſucceſſoribus, eorum conatus reprimebantur, ſuáque Eccleſijs bona reddebantur, ita judicante regio Conſilio aut Parlamento Pariſienſi, quam in rem varia etiam ibidem exempla prolata ſunt.

CAPUT IV.

Quotquot ad hanc noſtram ætatem de Regalia ſcripſerunt, eam in Gallia generalem non eſſe, ſed ad certum Eccleſiarum numerum coarctari docuerunt.

1. EX Hiſtoriæ teſtimonio allatiſque hactenus monumentis & probationibus adeò clarum eſt, Regaliam in Gallia non eſſe generalem, ſed ad certas quaſdam Provincias ac Diœceſes coarctari, ut id quam plurimi Auctores Galli, qui ante hæc ultima tempora ſcripſerunt, ultro agnoverint palámque tenuerint; tametſi plerúmque juri Regaliæ faverent, & ad ejus amplificationem non parum propenderent. Cùm autem tot clariſſimorum atque eruditiſſimorum virorum minimè in hac cauſa ſuſpectorum ſumma conſenſio maximi ſit momenti, præcipua eorum loca, in quibus ſuam ea de re ſententiam aperuerunt, placet hic paulo diſtinctius exſcribere.

2. Ægidius *le Maiſtre* Parlamenti Pariſienſis Proto-præſes in ſuo de Regalia Tractatu, id non uno loco apertè docet. Capite quarto poſt allatam ex tabularijs Cameræ computorum Pariſienſis Conſtitutionem, quæ incipit: *Dum Epiſcopus*, hæc

hæc ſtatim addit: *In multis notatu digna eſt hæc Conſtitutio. Primum obſervanda ſunt hæc verba:* Ubi Dominus Rex habet Regalia, *quibus expreſſe ſignificatur, Regem non in omnibus Regni ſui Epiſcopatibus, ſed in aliquibus tantum Regaliam habere.* Paulo poſt allaturus celebrem illam Conſtitutionem ſeu enumerationem, quæ incipit: *Dominus Rex,* ſic præfatur: *Patet ex regeſtis Cameræ computorum libro cujus inſcriptio eſt:* Qui es in cœlis, *quòd Rex non habet Regaliam in omnibus Epiſcopatibus regni ſui.* Eodem loco poſt adducta nonnulla Arreſta, quæ idem probant, ſubjungit: *Hæc demonſtrant Regem non habere Regaliam in univerſo in omnibus Eccleſijs Cathedralibus regni ſui.* Obſervat quidem alibi eodem Tractatu, ſemel regium Advocatum perorantem in cauſa Epiſcopatus Convenarum Provinciæ Auſcitaniæ, dixiſſe Regem, haud levibus argumentis id ſibi juris in univerſas Regni Eccleſias aſſerere poſſe: at ſtatim addit Proto-præſes, in hoc eum à deceſſorum Advocatorum ſententia receſſiſſe, qui ſæpe contrarium in publico Parlamenti auditorio agnoverint ac tenuerint.

3. Renatus Choppinus celebris in Parlamento Pariſienſi cauſarum Patronus, Eccleſiæ juribus & immunitatibus, ut plurimum, non admodum favens, lib. 1. de ſacra Politia tit. 7. num. 11. ubi hanc quæſtionem tractat: an Reges Chriſtianiſſimi Regaliam aliquo privilegio à Romanis Pontificibus obtinuerint, hæc habet: *Si à Pontificia legum relaxatione penderet hoc Regaliorum genus, magis quam à poſſeſſione ſtrictis finibus ſepta, promiſcuus fuiſſet hic & indefinitus privilegij uſus in omnes Epiſcopatus Galliæ (ſalva rectius opinantium ſententia) nullóque diſcrimine Princeps in cunctas Diœceſes, ne dum in aliquas, ſuum jus exequeretur. Atqui Regalia iſta non ubique exercentur à Principe inter ſuos, multóque arctioribus quam regni limitibus circumſcribuntur & terminantur ..... Hæc igitur fundationis modo templorum*

rum quorumdam luculenta ſunt veſtigia ac longævæ poſſeſſionis; ut quatenus Regaliorum jus aliquot in Eccleſijs poſſeſſum, eatenus præſcriptum quæſitúmque intelligatur. Idem Choppinus lib. 2. Monaſticon tit. 3. num. 18. agens de Sacramento fidelitatis, quo Epiſcopi omnes Regi ſeſe obſtringere debent, poſtquam obſervavit multas eſſe Eccleſias, in quibus Regalia locum habet, ſtatim hæc addit: *In multis quidem alijs ſacrarum Diœceſeon finibus Galliæ ignota ſunt nec uſu trita Regaliorum jura. Sed tamen harum Diœceſeon Præfecti tenentur arctiſſimo in Reges fidelitatis Sacramento, ſicut de Auxitano Aquitaniæ Pontificatu fuit præjudicatum in vetere Parlamento Divalium anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo primo.* Item lib. 2. de Domanio Franciæ tit. 9. num. 5. *Haud omnes*, inquit, *tamen ſacræ Diœceſes ſunt Regalibus obnoxiæ, ſed eæ ſolæ, in quibus initio Reges uti illo jure conſueverunt.*

4. Rebuffus cujus in rebus Eccleſiaſticis & Beneficialibus tanta eſt exiſtimatio atque auctoritas, Tractatu in Concordata de regia ad Prælaturas nominatione. verbo, *ſed teneatur*, ubi obſervavit, Regem Beneficia, ſede vacante, ob Regaliam conferre, duo addit ad declarandam iſtius juris naturam & conditionem: Alterum quod in aliquibus tantum regni Eccleſijs locum habeat: Alterum quod in his ipſis Eccleſijs ſolo privilegio & Eccleſiæ conceſſione nitatur, non verò canonica auctoritate, aut jure communi, cùm potius Canonibus & juri communi adverſetur.

5. Philippus Probus in Academia Bituricenſi Anteceſſor & in Parlamento Pariſienſi Advocatus in ſuo de Regalia Tractatu Quæſtione ſexageſima, non ſolum Regaliam negat eſſe generalem, ſed nominatim enumerat Diœceſes ei juri obnoxias & non obnoxias: ſequenti verò quæſtione varias ejus differentiæ cauſas adducit.

6. Gloſſa

6. Gloſſa in Pragmaticam Sanctionem, quæ vulgo Guimerio in Parlamento Pariſienſi Inquiſitionum Præſidi tribuitur, tit. de Annatis §. item v. *Regalia*, jus quidem Regaliæ, quo Beneficiorum collatio, ſede vacante, continetur, Regum Franciæ & Angliæ eſſe ait, ſed in aliquibus tantum Eccleſijs. *Sicut*, inquit, *Rex Franciæ & Rex Angliæ vendicant ſibi in quibuſdam Eccleſijs Cathedralibus.*

7. Idem tradit Gloſſa in cap. *Generali de Electione in ſexto*, quam ſupra cap. 2. diſcuſſimus, dum ait: *Regalia accipiuntur pro juribus, quæ habet Princeps in aliquibus Eccleſijs.*

8. Guillelmus Durandus primum Eccleſiæ Carnotenſis Decanus ac deinde Epiſcopus Mimatenſis haud aliter loquitur in Commentario ſupra citato, ubi eadem hæc vocabula ſæpe repetit: *Regalia*, inquit, *vocantur jura Regi in quibuſdam Eccleſijs & Monaſterijs competentia ..... & etiam in quibuſdam Præbendas confert, ſicut patet in quibuſdam Eccleſijs Franciæ & Angliæ, & alij quidam in aliquibus Eccleſijs.* Similia habet in Speculo juris lib. 4. tit. ne ſede vacante aliquid innovetur num. 7. *Reges aliqui dicunt ſe habere Regalia in quibuſdam Eccleſijs, volentes percipere fructus vacantis Eccleſiæ, in aliquibus etiam conferendo Præbendas, ſicut Illuſtris Rex Franciæ in Eccleſia Carnotenſi, in qua nos Decanatum habemus.* In Commentario autem ſupra memorato nominatim obſervat de Aquitania, ex qua eum nonnulli oriundum putant, eam Regaliæ obnoxiam non eſſe, tametſi tunc aliqui illam Provinciam huic oneri ſubjicere tentarent.

9. Eodem modo loquitur Guido Baiſo Archidiaconus vulgo dictus, inter Canoniſtas celebris in *cap. Generali de Electione in ſexto. Vocantur*, inquit, *Regalia, jura Regi in quibuſdam Eccleſijs competentia.*

10. Joannes

Digitized by Google

10. Joannes Feraldus Juris-conſultus Gallus Tractatu de juribus & privilegijs Regni Franciæ §. *Quintum privilegium*, poſtquam obſervavit, privilegium eſſe Regum Chriſtianiſſimorum, ut, ſede Epiſcopali vacante, Regalia capiant, quod à Concilio Baſileenſi tit. de Annatis. v. *item quod*, approbatum ait, eóſque antiqua ſe conſuetudine in exercendo eo jure tueri juxta cap. *Generali de Elect. in ſexto*, in hujus rei confirmationem citat Speculatorem tit. de Legatis §. nunc tractemus: verb. ſed numquid Legatus, *qui ſpecialiter loquitur de Rege Franciæ & ejus jure vindicandi in quibuſdam Eccleſijs vacantibus collationem Beneficiorum ad illas ſpectantium, & quod in illo tempore etiam temporalia illarum recipit.* Quæ Durandi verba ponderans ſic proſequitur: *Et bene dicit Speculator, quibuſdam Eccleſijs: & ſunt illæ Eccleſiæ, ut ex regiſtris Parlamenti & compoſitorum accepi, ſcilicet in Archiepiſcopatu Remenſi, &c.* In qua Epiſcopatuum Regaliæ obnoxiorum enumeratione à Feraldo relata nulla mentio fit de Epiſcopatibus Occitaniæ, Aquitaniæ, Provinciæ, Delphinatus & viciniorum tractuum. Addit quidem poſtea: *Et in alijs Epiſcopatibus regni poteſt* (Rex) *habere jura Regaliæ & in his tuendus eſt, quia de novo non uſurpat, argumento dicti cap. Generali, ſed hic non enumeravi niſi ea, quæ declarata inveni.* Sed his verbis adhuc clarius confirmat, Regaliam ad certum quendam Eccleſiarum numerum contrahi, neque ad alias in quibus ex antiqua conſuetudine locum non habet, niſi per injuriam, & violato Lugdunenſis Concilij decreto, extendi poſſe.

11. Carolus de Graſſalio Juris-conſultus Toloſanus edidit duos libros, *Regalium Franciæ, jura omnia, & dignitates Chriſtianiſſimorum Galliæ Regum continentes*, qui anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto Lutetiæ Pariſiorum typis vulgati, & Illuſtriſſimo Franciæ Cancellario dedicati ſunt.

Digitized by Google

Poſterioris libri capite primo de Regalia tractat. Hanc autem in aliquibus tantum regni Eccleſijs, quas obiter juxta allatas ſupra à nobis enumerationes recenſet, ad Reges Chriſtianiſſimos pertinere agnoſcit. Deinde hujus juris fundamenta, ex varijs Auctorum, qui de eo tractarunt, ſententijs, examinat, tandémque concludit, melius ſibi videri id referre ad privilegium, quod Regibus Galliæ ab Apoſtolica Sede conceſſum creditur, etſi de eo, ob vetuſtatem, jam fidem facere non poſſint. Quam quidem defendendæ Regaliæ rationem alijs præfert, quòd aliter collatio Beneficiorum, quæ pars eſt ejus præcipua, ad Reges Chriſtianiſſimos jure pertinere nequeat, cùm ſit quid ſpirituale, quod Laicis nulla unquam vel longiſſimi temporis præſcriptione acquiri poſſit.

12. Franciſcus Duarenus in Academia Bituricenſi Anteceſſor & Juris conſultus doctiſſimus lib. 3. de ſacris Eccleſiæ Miniſterijs, capite ultimo, de Beneficiorum collationibus, quæ ob Regaliam fiunt, ita loquitur: *Quadam ſunt in Gallia Cathedrales ſeu Epiſcopales Eccleſia, quibus Rectore Paſtoréque deſtitutis, ſiqua Beneficia interim vacaverint, dum aliquis in demortui Pontificis locum ſuffectus fuerit, Rex noſter jure ſuo, ſed certo quodam modo, ea confert ac diſtribuit..... Tantum abeſt ut jus Regaliorum, quo nunc utitur* (Rex) *in quibuſdam tantum Eccleſijs, nulla auctoritate aut ratione in mores perductum dici debeat.*

13. Stephanus Paſquierius regius in Camera computorum Pariſienſi Advocatus, regiorúmque jurium ut peritiſſimus, ita etiam eorundem conſervandorum ſtudioſiſſimus, adeò perſuaſum habuit, Regaliam intra certum quemdam Eccleſiarum numerum concludendam, non verò ad omnes extendendam, ut poſtquam id lib. 3. Diſquiſitionum Franciæ cap. 37. fusè declaravit, eos qui contrarium ſentirent, potius

Digitized by Google

Aulæ adulatores, quam Juris-conſultos Gallos appellandos dixerit, ut jam alibi obſervatum eſt.

14. Idem tenuit Cardinalis *D'Oſſat* diu Romæ in procurandis Regis Chriſtianiſſimi negotijs cum magna prudentiæ laude verſatus. Is epiſtola ducenteſima nonageſima tertia validis rationibus probat, Canonicos ſanctæ Capellæ, ad quos tum Regalium uſusfructus pertinebat, nullo jure fructus Rhedonenſis Epiſcopatus, quem anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſexto adeptus fuerat, ſibi poſſe vindicare: *Quia*, inquit, *Epiſcopatus Britanniæ juri Regaliæ non ſunt obnoxij, ut teſtatur Dominus Le Maiſtre Parlamenti Proto præſes in ſuo de Regalia Tractatu, alijque omnes Auctores Galli, qui de hac materia tractarunt.* Quod ubi adductis adhuc alijs rationibus & auctoritatibus confirmavit, ita concludit: *En igitur, ut Regalia in Britannia locum non habet, neque etiam habere debet.*

15. Addit quidem vir conſultiſſimus aliam contra Canonicos ſanctæ Capellæ defenſionem, quod videlicet, tametſi Rex, his non obſtantibus & novis emergentibus occaſionibus, Britanniam Regaliæ ſubeſſe vellet, idque vel ipſe jam decreviſſet, vel per alios decerni curaſſet, nullo pacto inde ſequeretur, eis deberi fructus Rhedonenſis Eccleſiæ, qua de re lis vertebatur: neque enim Regaliorum donationes ſanctæ Capellæ factas à Regibus, extendi debere ad Epiſcopatus, qui tum Regaliæ non ſuberant, & ad quos de novo jus illud contra veterem conſuetudinem produceretur. Quibus deinde ſubjungit: *Et revera ſi Regalia ad omnes Galliæ Epiſcopatus extenderetur, quod perinde jure fieri poſſet, ac id jam tentatur in Epiſcopatibus Britanniæ, ſancta Capella, quæ ſolum eſt Eccleſia collegialis, ampliores haberet reditus, quam duo vel tria vel maxima Galliæ Capitula, imo quam duo aut tres vel opulentiſſimi Archiepiſcopatus, vel Epiſcopatus.* Ex his verbis poſſet forſan quis inferre, hunc

Cardi-

Cardinalem exiſtimaſſe, in arbitrio Regis Chriſtianiſſimi poſitum eſſe, ut quandocúmque ipſi liberet, Regaliam ad omnes Regni Eccleſias jure extenderet.

16. At primum notari velim, ex hac ejus ratiocinatione planum eſſe, majorem regni partem ad diem hujus epiſtolæ, hoc eſt ad annum milleſimum ſexcenteſimum primum, Regaliæ non ſubjacuiſſe, idque omnes ut certum atque exploratum habuiſſe. Deinde affirmare auſim, eos à mente ſapientiſſimi Cardinalis longè aberrare, qui hoc ſenſu ejus verba interpretantur, ac ſi abſolutè voluerit, in Regis arbitrio ac poteſtate fuiſſe, ut Regaliam ad univerſas regni Eccleſias, quando libuerit, extenderet. Loquitur hîc tantum ex hypotheſi, & quaſi gratis concedendo, quod meritò negare poſſet, ut adverſarios fortius urgeat, eorúmque petitionem nullo jure niti oſtendat. Quando itaque ait: *Si Regalia ad omnes Galliæ Epiſcopatus extenderetur, quòd perinde fieri jure poſſet, ac id jam tentatur in Epiſcopatibus Britanniæ*, non ſignificat id Regem, juſtè & illæſa Eccleſiæ libertate, facere poſſe; ſed tantum concedit, id pari jure ab eo introduci poſſe, ac tum in Epiſcopatibus Britanniæ introducebatur: quippe qui perſuaſum haberet, non potiori jure aut ratione hos Britanniæ Epiſcopatus Regaliæ ſubjici potuiſſe, quam ei ſubjicerentur quamplurimi alij Archiepiſcopatus & Epiſcopatus, videlicet Occitaniæ, Aquitaniæ, Provinciæ & Delphinatus, qui hactenus ſuam ea in re libertatem canonicam conſervabant.

17. Non igitur eo loco prudentiſſimus Præſul ſibi examinandum proponit, an Rex Chriſtianiſſimus jure poſſet Regaliam ad univerſas regni Eccleſias extendere, hoc eſt, an id ſalva juſtitia & ſine Eccleſiaſticæ libertatis offenſione præſtare poſſet. Non illi opus erat hanc quæſtionem expendere aut de ea judicium ferre. Sat habebat, ut, quacúmque ratione fie-

ret illa Regaliæ extenſio ad Eccleſias antea liberas, hoc eſt ſive juſtè, ſive injuſtè; earum fructus minimè Canonicis ſanctæ Capellæ adjudicandi eſſent. Id unum illi in hac cauſa probandum erat; neque aliud revera tota hac ſua ratiocinatione ſpectat. Quod ſi de altera illa generali quæſtione, an Regalia juſtè ad omnes regni Eccleſias extendi poſſet, judicium ſuum interponere debuiſſet, quid reſponſurus eſſet haud obſcurè ſignificavit, cùm principio hujus diſputationis non ſolum Regaliam in Britannia locum non habere, ſed neque etiam habere debere, abſolutè pronuntiavit.

18. Supra citatis Auctoribus addendus eſt Illuſtriſſimus Petrus de Marca, cujus judicium eo majoris momenti eſſe debet, quòd hanc quæſtionem diligentiſſimè excuſſerit, & pendentis ea de re in ſupremo Regis Conſilio litis Relator, antequam ad ſacras infulas evectus eſſet, conſtitutus fuerit. Videndum de hoc argumento Opuſculum anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quinto, ad poſtulationem Comitiorum generalium Cleri Gallicani, ab eo compoſitum; itémque octavus liber de Concordia Sacerdotij & Imperij, quibus in operibus, pro ea, qua pollebat, eruditione & facundia, clariſſimè oſtendit, Regaliam in aliquibus tantum regni Eccleſijs locum habere, nec poſſe, niſi violata juſtitia & Eccleſiaſtica libertate, ad omnes extendi.

19. Addendus etiam Illuſtriſſimus Franciſcus Boſquetus Epiſcopus Montiſpeſſulanus hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & juris canonici peritiſſimus, qui in ijſdem Comitijs generalibus anni milleſimi, ſexcenteſimi quinquageſimi quinti pro eadem ſententia egregiè peroravit, cujus oratio in Actis Cleri Gallicani habetur.

CAPUT V.

Digitized by Google

CAPUT V.

Occitania Regaliæ nunquam obnoxia fuit.

1. POſtquam ſuperiore capitulo generatim demonſtratum eſt, Regaliam per totum Galliæ regnum non patere, reſtat ut inquiramus, quænam ſint Provinciæ & Eccleſiæ, quæ huic oneri non ſubjacent, præcipuáſque probationes ad confirmandam hanc earum libertatem afferamus.

2. Has inter Provincias primo loco numeranda eſt Occitania, quæ tres hodie Metropoles continet, Narbonenſem, Toloſanam & Albienſem. Hæc primùm ſuos Comites privatóſque Dynaſtas habuit, & partim anno milleſimo ducenteſimo ſecundo, Ludovico VIII. rege, partim anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſexto, tempore ſancti Ludovici, regiæ coronæ adjuncta eſt: cui tandem anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo primo, Philippo III. regnante, tota accrevit, mortuo ſine liberis Alphonſo ſancti Ludovici germano, ejúſque uxore Joanna Toloſani Comitatus hærede. Teſtantur autem Hiſtorici variíque Scriptores, hanc Provinciam ea lege in Chriſtianiſſimorum Regum dominatum tranſiſſe, ut ſua jura ſuáſque immunitates conſervaret, nominatímque, ut legibus Romanis Juréque ſcripto, ſicut antea, uteretur, neque ei nova Rex tributa, niſi ex conſenſu Comitiorum, quos ſtatus vocant, imperaret, quod ſemper deinceps obſervatum eſt, & etiamnum obſervatur.

3. Jam verò inter præcipuas ejus immunitates hæc recenſetur, quòd Regaliæ obnoxia non ſit. Jus quippe Regaliæ quod Inveſtituris ſucceſſit, & in Provincias Juris conſuetudinarij occaſione feudorum introductum eſt, penitus ignotum fuit in Occitania, quæ Jus ſcriptum ſemper retinuit, atque ei feudorum uſum ita accommodavit, ut nullum introducendæ

Regaliæ aditum reliquerit, prout alibi explicatum eſt. Sin verò aliquando Comites Toloſani alijque Dynaſtæ mortuorum Epiſcoporum ſpolia & viduatarum Eccleſiarum bona occuparunt, id vi nullóque juris ordine factum eſt, ut ipſimet Principes agnoverunt, editis ea de re publicis declarationibus, quibus peſſimum hunc abuſum damnaverunt, ut Alphonſus Comes Toloſanus anno milleſimo centeſimo trigeſimo octavo, Ermengardis Vice-comitiſſa Narbonenſis anno milleſimo centeſimo quinquageſimo quinto, Raymundus Comes Toloſanus anno milleſimo ducenteſimo nono, alijque de quibus lib. 1. cap. 12. Hæc autem Eccleſiarum Occitaniæ libertas, quam jam ab ipſa origine hucuſque conſtanter retinuerunt, pluribus documentis probatur.

4. I. Cùm Philippi III. Galliæ Regis Miniſtri ſeu Officiales fructus Eccleſiæ Albienſis vacantis, jure Regaliæ occupaſſent, anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſecundo Parlamentum, ſolemni Arreſto, id perperam factum pronuntiavit, duobus annis ante conditum Lugdunenſis Concilij Decretum, uno autem poſt magnam Occitaniæ partem Chriſtianiſſimorum Regum coronæ quæſitam. Cui Arreſto conſentiens Philippus fructus tanquam malè & ſine cauſa occupatos Capitulo Albienſi reſtitui juſſit. Vide lib. 1. cap. 14. num. 1.

5. II. Philippus IV. cognomine Pulcher literis patentibus Nemauſi anno milleſimo trecenteſimo tertio datis ac denuo Lutetiæ Pariſiorum anno milleſimo trecenteſimo decimo renovatis varia Provinciæ Narbonenſis jura, immunitates ac libertates ibi enumeratas confirmavit: nominatim autem eam à Regalia liberam eſſe declaravit, inhibens omnibus regijs miniſtris, ne Eccleſiarum vacantium hujus Provinciæ Regalia occuparent. Hæ litteræ maximi ſunt ponderis, tum quòd

quòd pactorum conventorum in adjungenda regiæ coronæ Occitania initorum explicationem & confirmationem continere videantur; tum quòd Philippus Pulcher promovendæ Regaliæ ſtudioſiſſimus eſſet, eáque de cauſa tunc temporis cum Bonifacio VIII. Summo Pontifice acriter decertaret. Harum litterarum verba alibi jam adducta iterum hic repræſento. *Item nolumus, quòd Gentes noſtræ occupent Regalia Eccleſiarum vacantium Provinciæ Narbonenſis.*

6. Nonnulli, quos tam ingenua Philippi declaratio perſtrinxit, eam unius litterulæ immutatione in alium ſenſum detorquere conati ſunt. *Volumus* enim pro *Nolumus* legendum exhibuerunt, quæ revera lectio per errorem in aliquot libros typis editos, in quibus hæ litteræ referuntur, irrepſerat. Verùm præterquam, quòd hæ litteræ totæ ſunt in favorem Provinciæ Narbonenſis, ipſáque particula *Item*, qua hic articulus cum præcedentibus conjungitur, demonſtrat, Philippum jus in gratiam illarum Eccleſiarum confirmare, non ſibi in illas tribuere velle; hæc qualiſcumque difficultas penitus evanuit, prolato ex tabularijs Eccleſiæ Metropolitanæ Narbonenſis litterarum autographo, & ad ſupremum Regis Conſilium miſſo, in quo diſtinctè & ſine ulla litura ſcriptum habetur *Nolumus*.

7. III. Longè ante Philippum Pulchrum, anno videlicet milleſimo centeſimo ſexageſimo quinto, Ludovicus VII. dictus Junior in gratiam Eccleſiæ Metropolitanæ Narbonenſis diploma edidit, quod relatum & confirmatum eſt in litteris patentibus Philippi Valeſij anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo quarto datis, quas exhibet Spicilegium Dacherianum tom. XIII. pag. 315. Eo diplomate Ludovicus longum texit catalogum feudorum, prædiorum, aliarúmque poſſeſſionum Eccleſiæ Narbonenſis, quæ omnia in ejuſdem

Eccleſiæ

Eccleſiæ ditione ac poteſtate vult conſervari. Deinde addit: *Quidquid verò jus fiſci exinde in omnibus præfatis exigere poterat, hoc eſt omnia jura Regalia, totum nos pro æterna ejus remuneratione eidem concedimus Eccleſiæ.* Quæ quidem verba nequaquam de jure Regaliæ prout nunc accipitur, intelligenda ſunt, quod nunquam in Eccleſia Narbonenſi locum habuit, quódque vix circa ultimos Ludovici VII. annos in alijs regni Eccleſijs ubi poſtea receptum eſt, primis quaſi lineis informatum apparebat; ſed jurium omnium dominicorum ac feudalium, quæ tum vivente Archiepiſcopo, tum ſede vacante, Regi deberentur, plenam ac liberam donationem ſignificant. Ex qua Ludovici liberalitate conficitur, Regaliam imposterum in Eccleſiam Narbonenſem introducendam non fuiſſe, quantumvis concederes reliquam Occitaniam huic juri ſubjici potuiſſe.

8. IV. His ſuperiorum Regum declarationibus conſonant litteræ patentes Caroli V. anno milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo tertio ad Seneſchallum Bellicardi in Occitania miſſæ, & à Renato Choppino lib. 1. de Politia ſacra tit. 5. relatæ, quibus ſapientiſſimus Rex declarat, ſe in Epiſcopatibus & Abbatijs Occitaniæ jus Regaliæ non habere.

9. V. Denique non ſolum nulla extant Regaliæ veſtigia in Occitania, ſive cùm peculiares Dynaſtas haberet, ſive poſtquam Chriſtianiſſimorum Regum coronæ addita eſt; verum etiam, præter modo allatas Regum litteras & declarationes, innumera alia documenta in Eccleſiarum ejuſdem Provinciæ tabularijs aſſervantur, quibus patet, eas nunquam huic juri obnoxias fuiſſe, ſed ad Capitula pertinuiſſe bonorum Epiſcopalium, ſede vacante, adminiſtrationem, ut ſucceſſoribus Epiſcopis, ex præſcripto canonum, redderentur. Hæc autem documenta ſunt aut Bullæ Summorum Pontificum, aut Regum

gum litteræ & diplomata, aut Conſilij regij & Parlamentorum Pariſienſis & Toloſani Arreſta, Judicum Decreta, Arbitrorum ſententiæ, tranſactiones, concordata, Oeconomorum à Capitulis conſtitutorum rationes, munerum aut officiorum temporalis, ut vocant, Epiſcoporum juriſdictionis, Canonicatuum, Præbendarum, Capellarum aliorúmque Beneficiorum factæ à Capitulis, ex privilegio aut indulto Apoſtolico, collationes ſeu proviſiones. Complura ex illis documentis, pendente apud Regis Conſilium hoc Regaliæ negotio, exhibita ſunt, & in Arreſto ejuſdem Conſilij lato die duodecima Aprilis anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi primi enumerantur; ut videre licet in Actis Cleri Gallicani ultimæ editionis: quorum pleraque jam enunciata fuerant in Indice ſeu Inventario Procuratoris Provinciæ Narbonenſis edito typis Antonij *Vitray* Typographi Cleri Gallicani anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo nono. Ea omnia hîc recenſere longum eſſet ac ſupervacaneum: ſat erit nonnulla infra ſummatim apponere. Bulla Pauli III. 1. Januarij 1535. qua Capitulo Eccleſiæ Narbonenſis Beneficiorum ad collationem Archiepiſcopi pertinentium collatio, ſede vacante, conceditur. Alia Bulla ejuſdem Pauli III. an. 1548. qua ſuperior Bulla confirmatur, & ejuſdem Capituli Narbonenſis de ratione conferendorum, ſede vacante, Beneficiorum ſtatutum approbatur. Litteræ patentes Henrici II. menſe Majo an. 1532. datæ ad confirmationem & executionem præcedentium Bullarum: ſimiles litteræ patentes à Ludovico XIII. datæ menſe Septembri anno 1611. Arreſtum Parlamenti Toloſani 10. Septembris anno 1567. latum, quo Beneficiorum collationes à Capitulo Narbonenſi, ſede vacante, factæ, viſis prædictis Bullis & litteris patentibus, confirmantur. Vicariorum Generalium Capituli Narbonenſis, ſede vacante, Mandatum

Digitized by Google

die 21. Auguſti anno 1341. editum, ut prædia & poſſeſſiones Archiepiſcopatus luſtrentur & locentur. Litteræ Seneſchalli Carcaſſonenſis datæ 21. Decembris 1441. quibus declarat, occupatis à ſe nonnullis caſtellis Archiepiſcopatus Narbonenſis in confinio Regni poſitis, nihil juri Capituli detractum iri, nullúmque per hoc Regaliæ ſeu cuſtodiæ jus Regi acquiri. Sententia Prætoris Biterrenſis 2. Maij 1441. qua bonorum Archiepiſcopalium, ſede vacante adminiſtratio, Capitulo Narbonenſi adverſus regium Procuratorem adjudicatur. Bullæ Pij IV. & Clementis VIII. datæ altera anno 1560. altera anno 1591. quibus Capitulo Toloſano, Beneficiorum ad collationem Archiepiſcopi ſpectantium, ſive curam animarum habeant, ſive non habeant, collatio, ſede vacante, conceditur; quæ quidem in tabulas Parlamenti Tholoſani 11. Octobris anno 1494. relatæ ſunt, & Arreſto Magni Conſilij 30. Septembris 1611. confirmatæ. Arreſtum ſupremi Regis Conſilij 22. Octobris 1614. latum, quo collatio Canonicatus à Capitulo Toloſano, ſede vacante, facta, adverſus Regaliſtam, qui eundem Canonicatum à Rege obtinuerat, confirmatur. Simile Arreſtum Magni Conſilij latum 31. Martij 1615. in cauſa Præpoſituræ Capituli Toloſani. Varia acta vicariorum generalium Capituli Toloſani in adminiſtrandis anno 1328. rebus temporalibus Archiepiſcopatus, ſede vacante. Mandatum Præpoſiti, Canonicorum & Capituli Toloſani 21. Maij 1411. datum, quo jubentur Oeconomi alijque adminiſtratores bona Archiepiſcopalia novo Archiepiſcopo relinquere. Judicia ab Arbitris lata 19. Novembris 1414. & 1450. de fructibus Archiepiſcopatus Toloſani, à Capitulo, ſede vacante, perceptis, & de rationibus ab Oeconomis novo Archiepiſcopo reddendis. Bullæ Innocentij VIII. anno 1491. & Clementis VII. 1537. quibus Capitulo Carcaſſonenſi Beneficiorum ad collationem Epiſcopi ſpectantium, collatio,

Digitized by Google

tio, ſede vacante, permittitur & confirmatur. Mandatum Philippi Valeſij ad Seneſchallum Carcaſſonenſem anno 1327. quo jubetur occupata ab eo Epiſcopatus Carcaſſonenſis bona, ſede vacante, Capitulo ejuſdem Eccleſiæ reddere, poſtquam probatum eſſet, nunquam in hoc Epiſcopatu Regaliæ locum fuiſſe. Arreſtum Parlamenti Toloſani latum 16. Septembris 1435. quo Capitulo Nemauſenſi jus adminiſtrandorum bonorum Epiſcopalium & conferendorum Beneficiorum, ſede vacante, adverſus Alanum Cardinalem Vice-legatum Avenionenſem, vindicatur. Acta, Arreſta, litteræ patentes Philippi Valeſij anno 1334. quibus bona Albienſis Epiſcopatus, à regijs Miniſtris obtentu Regaliæ occupata, Procuratori Capituli Albienſis reſtituuntur, poſtquam probatum fuit, Regaliam in eo Epiſcopatu nunquam locum habuiſſe. Bulla qua Capitulum Magalaunenſe ſeu Montiſpeſſulanum religioſa diſciplina exſolvitur, eique ut, vacante ſede, Beneficia ad collationem Epiſcopi ſpectantia, conferat, indulgetur: litteræ patentes Franciſci I. in confirmationem prædictæ Bullæ. Similis Bulla anno 1612. pro Capitulo ſancti Pontij Tomeriarum, litteris patentibus Ludovici XIII. anno 1612. & Arreſto Parlamenti Toloſani 12. Maij 1630. confirmata. Omittuntur innumeræ collationes Beneficiorum, variáque acta de adminiſtratione bonorum, ſede vacante, à Capitulis facta, quòd hæc enumeratio & ſupervacua eſſet & nimis prolixa. Illuſtriora autem, & quæ ad rem maximè faciunt, ea ſunt quæ ad Archiepiſcopatus Narbonenſem & Toloſanum, & ad Epiſcopatus Carcaſſonenſem, Albienſem, Convenarum, Nemauſenſem ſpectant: itémque ad Epiſcopatus Mimatenſem, Ruthenenſem, Cathurcenſem, & Lemovicenſem, qui etſi antequam ſedes Albienſis ad Metropolitanam dignitatem eveheretur, Archiepiſcopatus Bituricenſis ſuffraganei eſſent,

 eodem

Digitized by Google

eodem tamen jure iiſdemque immunitatibus, maximè quod ad Regaliam attinet, ac Epiſcopatus Provinciæ Narbonenſis, potiebantur.

CAPUT VI.

De Aquitania, Provincia, Delphinatu, aliiſque Provincijs Regalia non obnoxijs.

I. PRæter Occitaniam aliæ ſunt in Gallia Provinciæ, quæ uſum Regaliæ nunquam admiſerunt, retenta uſque ad hanc noſtram ætatem priſtina ſua & canonica libertate. Has inter numeranda Aquitania vulgo Guienna, cujus Metropolis Burdigala, tametſi ab ea miniſtri regij extendendæ in Eccleſias liberas Regaliæ initium fecerint. Hæc Provincia jam à principio legibus Romanis ſeu jure ſcripto uſa eſt, & ineunte duodecimo ſæculo ſuos Duces privatóſque Dynaſtas habebat, qui eam ut feudum regiæ Francorum coronæ poſſidebant, quo tempore, poſt ſedatam Inveſtiturarum controverſiam, in multas Galliæ Eccleſias Regalia irrepſit. Reverſa eſt ad Chriſtianiſſimos Reges, eorúmque coronæ adjuncta anno milleſimo centeſimo trigeſimo ſeptimo, Eleonora filia & hærede Guillelmi Ducis Aquitaniæ Ludovico Juniori nupta. Unde ſequenti anno milleſimo centeſimo trigeſimo octavo Ludovicus Craſſus Rex Franciæ ejúſque filius Ludovicus Junior ad regiam etiam dignitatem evectus, publico ac ſolemni diplomate, Eccleſiæ Metropolitanæ Burdigalenſis, cæterarúmque Aquitaniæ Eccleſiarum, jura, privilegia, dignitates & canonicam in omnibus libertatem confirmarunt. *Regia*, inquiunt, *Majeſtatis eſt, Eccleſiarum quieti pia ſolicitudine providere, & ex officio ſuſcepta à Domino poteſtatis, earum libertates tueri .... Ea propter petitionibus veſtris ... duximus*

mus annuendum, & in ſede Burdigalenſi & in prædictis Epiſcopalibus ſedibus & Abbatijs ejuſdem Provinciæ... in Epiſcoporum & Abbatum ſuorum electionibus canonicam omnino concedimus libertatem, abſque hominij, juramenti ſeu fidei per manum data obligatione. Porro decedentis Archiepiſcopi & Suffraganeorum ipſius Epiſcoporum ſive Abbatum decedentium res univerſas, ſucceſſorum uſibus, regia auctoritate, ſervari volumus, & concedendo præcipimus illæſas. Hoc quoque adjicientes, ut omnes Eccleſiæ infra denominatam Provinciam conſtitutæ prædia, poſſeſſiones & univerſa ad ipſas jure pertinentia, ſecundum privilegia, juſtitias & bonas conſuetudines ſuas habeant & poſſideant illibata. Quinimo Eccleſijs ipſis univerſis & earum Miniſtris cum poſſeſſionibus ſuis canonicam in omnibus concedimus libertatem.

2. Obſervandum autem cum Illuſtriſſimo ac eruditiſſimo Petro de Marca, hoc diploma nequaquam ita intelligendum eſſe, ac ſi per illud Eccleſiæ Aquitanicæ à Regalia liberarentur, aut ab ea immunes declararentur, cùm id juris, regnante Ludovico Craſſo, nondum cæpiſſet, ne quidem in alijs Provincijs, ubi poſtea uſurpatum eſt; ſed in illo tantum declarari & confirmari ſingula jura, dignitates & libertates, quibus Eccleſiæ illæ, dum Aquitania Ducibus ac privatis Dynaſtis parebat, potitæ erant, quæ illis ſarta tecta impoſterum ſe conſervaturos Chriſtianiſſimi Reges pollicentur. Quod quidem, ut notat idem Illuſtriſſimus Præſul, poſtea obſtitit, quo minus Regalia in eam Provinciam introduceretur, non ſolum quandiu Ludovicus Junior illam penes ſe retinuit; ſed etiam poſtquam anno milleſimo centeſimo quinquageſimo ſecundo eam, repudiata uxore Eleonora, dimiſit, atque ad Anglos tranſire paſſus eſt, nupta Eleonora Henrico Normaniæ Duci mox futuro Angliæ Regi ejus nominis ſecundo.

3. Hanc Eccleſiarum Aquitaniæ libertatem egregiè confirmat Arreſtum Parlamenti anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo latum in cauſa Capituli Eccleſiæ Metropolitanæ Burdigalenſis contra Eduardum I. Angliæ Regem & Aquitaniæ Ducem, cujus meminit Chopinus lib. 2. de Domanio Gallico tit. 9. num. 5. & quod refertur à D. de Marca lib. 8. de Concordia Sac. & Imp. cap. 27. Eo Arreſto judicatum eſt, cuſtodiam & adminiſtrationem bonorum Archiepiſcopalium, ſede vacante, ad Capitulum, non ad Eduardum, pertinere, cùm in ea Eccleſia Regaliæ locus non eſſet. Notandum autem, ex eodem Arreſto haberi, quòd pendente lite exhibita fuerit à Procuratore Capituli Burdigalenſis epiſtola, qua Henricus III. Eduardi Pater una cum Eduardo ad Capitulum ſcribens, nullum ſibi Regaliæ jus in ea Eccleſia competere declarabat: cujus cùm tranſcriptum Procuratores Eduardi ad ſuam Majeſtatem miſiſſent, nihil ſe contradicere reſpondit; qua reſponſione habita, Parlamentum ſupra memoratum Arreſtum tulit, Eccleſiámque Burdigalenſem in priſtina ſua libertate conſervandam decrevit. Hæc verò Henrici III. Epiſtola & Eduardi I. judicialis declaratio eò majoris ponderis ad confirmandam Burdigalenſis Provinciæ immunitatem exiſtimanda eſt, quòd conſtet, jam tum Regaliam non in Anglia tantum uſu receptam fuiſſe, verum etiam in Normania, quæ perinde atque Aquitania, Regibus Angliæ diu paruit, nullúſque ignoret, quanto ſtudio Henricus II. ejuſque ſucceſſores jura Regalia defenderint ac propagarint.

4. Hinc conficitur, Aquitaniam tempore Concilij Lugdunenſis anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quarto celebrati, id eſt tribus ante ſupra memoratum Arreſtum annis, à Regalia omnino liberam fuiſſe; tametſi Miniſtri Regis Angliæ, in cujus ditione erat, jam tum hanc ei libertatem

inviderent,

inviderent, ut ex hac Capituli Burdigalenſis cum Eduardo I. controverſia manifeſtum eſt. Quam controverſiam ſpectaſſe videtur Durandus Mimatenſis Epiſcopus in ſuo ad idem Concilium Commentario hoc eodem tempore edito, ubi queritur, Eccleſiam modicum adhuc ex Concilij Decreto fructum cepiſſe: *Sicut*, inquit, *patet in Eccleſijs Aquitaniæ, in quibus hodie Regalia uſurpantur.* Cæterum poſtea hæc Provincia, uſque ad hanc ætatem libertatem ſuam conſtanter retinuit. Id inprimis probatur ex facto Philippi IV. regis Chriſtianiſſimi jam alibi memorato, cùm anno milleſimo trecenteſimo ſexto Capitulo Pictavienſi reditus Epiſcopatus, ſede vacante, à ſuis Miniſtris, Regaliæ nomine, occupatos, reddi juſſit, eo ipſo declarans, Regaliæ locum non eſſe in Eccleſia Pictavienſi, quæ illi libertas communis erat cum reliquis Burdigalenſis Provinciæ Eccleſijs, tametſi Comitatus Pictonicus jam à tempore ſancti Ludovici regiæ coronæ additus fuiſſet, atque ab Aquitania, quod ad civilem adminiſtrationem ſpectat, à prima uſque Monarchiæ ætate ſemper ſejunctus fuerit.

5. Reliquo tempore in Eccleſijs Provinciæ Burdigalenſis non ſolum nullum Regaliæ veſtigium apparet, ſive cùm à Regibus Angliæ Aquitania poſſideretur, ſive poſtquam ad Chriſtianiſſimorum Regum poteſtatem redijt, quod regibus Carolo VII. & Ludovico XI. factum eſt; ſed in earum tabularijs varia ſunt judicia, Senatus-conſulta, aliáque acta, quibus manifeſtè probatur, huic juri in ea Provincia minimè locum fuiſſe, bonorúmque Epiſcopalium, ſede vacante, adminiſtrationem ad Eccleſiarum Cathedralium Capitula ſpectaſſe, ut fructus, deductis impenſis, ex præſcripto canonum futuro Epiſcopo redderentur. Horum actorum nonnulla ab ipſis auctoribus Gallis, qni de Regalia ſcripſerunt, ut

Ægidio

Ægidio *le Maiſtre* Proto-præſide, Stephano Paſquierio, Renato Chopino & alijs referuntur.

6. Idem ſtatuendum de Metropoli Auſcorum & Eccleſijs ei ſubjectis, quæ cùm in antiqua Galliarum diſtributione Aquitanicis jungerentur, eodem quoque jure ijsdémque legibus regebantur. Accedit quòd cùm Auſcitanæ Provinciæ pars non modica Toloſanis Comitibus pareret, & etiamnum Juriſdictioni Parlamenti Toloſani ſubſit, non minus à Regalia immunis & libera fuit, quam ipſa Occitania. Hinc ea Provincia expreſsè continetur in declaratione, qua Raymundus Comes Toloſanus anno milleſimo ducenteſimo nono, peſſimum uſum occupandi tum ſpolia Præſulum defunctorum, tum fructus vacantium Eccleſiarum, repudiavit, cunctíſque ditionum ſuarum Eccleſijs veterem & canonicam libertatem reſtituit. Hinc etiam in celebri illa enumeratione Cameræ computorum, quæ incipit: *Dominus Rex*, inter eas nominatur, in quibus *Rex nihil habet.*

7. Contigit tamen, ut anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſecundo Miniſtri Eduardi I. Regis Angliæ & Aquitaniæ Ducis, Eccleſiæ Aquenſis in Auſcitana Provincia fructus, ſede Epiſcopali vacante, ob Regaliam occuparent, quemadmodum ſexennio poſt in Burdigalenſi Archiepiſcopatu, cui Aquenſis ager finitimus eſt, eos feciſſe ſuperiori articulo narratum eſt. Verum eorum conatibus occurrit Aquenſe Capitulum, & ad Philippum III. Regem Chriſtianiſſimum tanquam ſupremum Dominum querelas ſuas detulit, per epiſtolam, quam edidit Stephanus Baluzius in additione ad cap. 28. libri VIII. D. de Marca de Concordia Sac. & Imp. Neque dubitandum, quin auctoritate Philippi repreſſa fuerit Miniſtrorum Regis Angliæ cupiditas, & Aquenſis Eccleſiæ libertas vindicata,

Digitized by Google

vindicata, uti poſtmodum factum eſt erga Metropolim Burdigalenſem ſolemni illo Arreſto à nobis ſupra memorato.

8. Denique in tabularijs Metropolitanæ Auſcorum Eccleſiæ aliarúmque Eccleſiarum ejuſdem Provinciæ, varia extant monumenta, quibus liquidò conſtat, eam Provinciam Regaliæ obnoxiam non fuiſſe, Capituláque Eccleſiarum Cathedralium bona Epiſcopalia, ſede vacante, adminiſtraſſe, & Beneficia, facultate ſibi per Apoſtolicum Indultum conceſſa, donaſſe. Pleraque illa monumenta ſupremo Regis Conſilio, pendente adhuc lite de extenſione Regaliæ, exhibita ſunt, & in Arreſto die duodecima Aprilis anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi primi lato, quod extat in Actis Cleri Gallicani, enumerantur.

9. Quod ſpectat ad Provinciam & Delphinatum, in quibus quatuor Archiepiſcopatus, Arelatenſis videlicet, Aquenſis, Ebredunenſis & Viennenſis continentur, certiſſimum eſt eas Provincias Regaliæ nunquam ſubjacuiſſe. Arelate primum Burgundiæ Regum fuit: deinde proprios Reges ſeu Dynaſtas & Comites habuit. Anno autem milleſimo ducenteſimo nono Raymundo Comiti Toloſano parebat, cùm is declarationem illam edidit, qua omnibus ditionum ſuarum Eccleſijs canonicam libertatem reſtituit. Unde etiam in ſupra citata enumeratione Cameræ computorum Arelatenſis Provincia nominatim inter eas refertur, in quibus Rex *nihil habet.*

10. Aquas-ſextias, Ebredunum & Viennam tanquam Imperij feuda diu tenuerunt Comites Provinciæ & Delphini Viennenſes. Nec dubium, quin ad has Metropoles pertinuerint Conſtitutiones Frederici II. Imperatoris, quibus cunctis toto Imperio Eccleſijs, canonica in peragendis electionibus & adminiſtrandis vacantium Eccleſiarum bonis libertas

reſtituta eſt. Cum hac ſua libertate ſub imperium ditionémque Regum Chriſtianiſſimorum redactæ ſunt, videlicet Vienna cum toto Delphinatu anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo nono, Philippo VI. Rege, per donationem Huberti Viennenſis Delphini; & Provincia anno milleſimo quadringenteſimo octuageſimo primo, Ludovico X. Rege, per ceſſionem Caroli Cenomanenſis, ultimi Provinciæ Comitis. Unde facile quis intelliget, quid cauſæ ſit, cur in ſupra citata Cameræ computorum enumeratione nulla horum trium Archiepiſcopatuum mentio fiat. Nondum enim ad Francorum ſceptrum attinebant, neque de ijs quidquam in regeſtis Cameræ computorum, unde hæc enumeratio excerpta eſt, ſcriptum continebatur.

11. Idem potiori adhuc ratione dicendum de tribus Epiſcopatibus, Metenſi, Tullenſi & Virdunenſi. Ij Archiepiſcopo Trevirenſi ſubjecti ſunt, Romaníque Imperij ditiones fuerunt, donec ſuperiori ſæculo ſub poteſtatem Henrici II. Regis Galliæ, redacti, hacce noſtra ætate, pactis conventis Monaſterij de pace initis, Chriſtianiſſimorum Regum coronæ quæſiti ſunt. Ad illum diem nobiliſſimi Epiſcopatus partam omnibus Eccleſijs Imperij per Conſtitutionem Frederici II. Imperatoris libertatem retinuerunt: Præſulum quoque electiones ex Concordato, ut vocant, germanico in ijs peragi ſolebant, nec niſi ultimis his annis Regaliæ jugum ſubire coacti ſunt.

12. Non debeo hic omittere ſeptem Britanniæ minoris Epiſcopatus. Etſi enim jamdiu in ea Provincia cognitum Regaliæ nomen, ex vetuſtis tamen certíſque monumentis planum eſt, Regaliam Ducibus Britanniæ id ſolum juris tribuiſſe, ut bona Epiſcopalia, ſede vacante, per ſuos Miniſtros curarent, eorum fructibus non in fiſcum redactis, ſed Epiſcopis ſucceſ-

ſoribus,

ſoribus, ex præſcripto canonum reſervatis; eúmque morem perſeveraſſe, poſtquam illa Provincia Chriſtianiſſimorum Regum coronæ adjuncta, id quod anno demum milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſecundo, Franciſco I. rege, contigit. Hinc Eccleſiæ Britanniæ in ſupra laudata enumeratione Cameræ computorum, nominatim tanquam à Regalia immunes excipiuntur, eáſque Philippus Probus quæſt. 60. etiam inter liberas reponit. Haud multo poſt tamen Miniſtri regij Metropolitanæ Turonenſis aliarúmque vicinarum Eccleſiarum, quæ jampridem Regaliæ jugo aſſueverant, opportunitatem ſecuti, Epiſcopatus Britanniæ antiqua ſua libertate ſpoliare cæperunt. Id nondum anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo quarto perfecerant, ut patet ex celebri cauſa pro Eccleſia Nannetenſi, de qua Parlamentum Pariſienſe, auditis Advocatis, amplius deliberandum pronuntiavit, ut legitur apud Choppinum lib. 1. de ſacra Politia tit. 7. num. 21. & apud Ægidium *Le Maiſtre* in ſuo de Regalia Tractatu. Quin & idem Choppinus de Domanio Franc. tit. 19. aliud Arreſtum citat pro Eccleſia Venetenſi latum decima quinta die Maij anni milleſimi ſexcenteſimi tertij, quo rei diſceptatio in conſilium ſeu ampliorem deliberationem miſſa eſt. Certè Cardinalis *D'Oſſat* ineunte hoc ſæculo adhuc abſolutè pronuntiabat, *Regaliam in Britannia locum non habere, neque etiam habere debere*, ut ſupra relatum eſt cap. 4. num. 14.

CAPUT VII.

De mutuo iure Eccleſiæ Lugdunenſis in Auguſtodunenſem, & Auguſtodunenſis in Lugdunenſem, dum alterutra Paſtore orbatur. De Eccleſijs per contractus, aut per privilegia à Regalia liberatis.

1. Lugdunenſis Eccleſia & Heduenſis ſeu Auguſtodunenſis hoc antiquiſſimo jure inter ſe utuntur, ut Archiepiſcopus Lugdunenſis Eccleſiam Auguſtodunenſem, ſede vacante, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus adminiſtret, Beneficia vacantia conferens, & bonorum Epiſcopalium fructus, deductis annuis oneribus, ſuos faciens: viciſsímque Auguſtodunenſis Epiſcopus, ijſdem conditionibus, plenam vacantis Eccleſiæ Lugdunenſis procurationem habeat. Quibuſdam regijs Miniſtris viſum eſt, id juris referre ad privilegium & liberalitatem Chriſtianiſſimorum Regum, qui ſuo Regaliæ jure in favorem utriúſque Eccleſiæ ceſſerint. At nihil afferunt, quo hanc ſuam opinationem probent, multóque veriſimilius eſt, Regaliæ nunquam locum fuiſſe in his Eccleſijs, quæ Delphinatui alijſque Provincijs à Regalia liberis finitimæ ſunt, & eo ferè loci poſitæ, ubi jus civile Romanum, quod ſcriptum vocant, ſemper viguit & etiamnum viget.

2. Conjicere licet, id initio fuiſſe tantum jus quoddam fiduciarium ex antiqua Canonum diſciplina ortum, quo Metropolitæ vacantium in ſua Provincia Eccleſiarum curam, viciſsímque viciniores Epiſcopi, Eccleſiæ Metropolitanæ, defuncto Metropolita, gerebant, ut lib. 1. cap. 3. declaratum eſt. Videtur autem Antiſtes Auguſtodunenſis paulatim ad ſe hanc in Eccleſiam Lugdunenſem curam & inſpectionem,

excluſis

excluſis comprovincialibus Epiſcopis, traxiſſe, ſive ob peculiarem ambarum Eccleſiarum confœderationem, ſive ob ſedis antiquitatem, aliámve ſingularem quandam prærogativam. Cúmque prius id unum circa bona Archiepiſcopalia ageret, ut in bono ſtatu conſervarentur, iiſque adminiſtrandis Oeconomos præficeret, qui fructuum rationem futuro mox Archiepiſcopo redderent; poſtea, interveniente tempore, factum eſt, ut quod fructuum ſupererat, deductis expenſis, ob curam & cuſtodiam ſibi tribueret: id quod potiori jure Archiepiſcopus Lugdunenſis in Eccleſiam Auguſtodunenſem ſibi licere arbitratus eſt. Quæ quidem immutatio in his Eccleſijs eo circiter tempore accidiſſe videtur, quo Reges Chriſtianiſſimi poſt finitam Inveſtiturarum controverſiam, nonnullarum Eccleſiarum vacantium fructus, titulo Regaliæ, ſibi vindicare cæperunt.

3. Utut ſit, vetuſtiſſimus eſt hic uſus in Eccleſia Lugdunenſi & Auguſtodunenſi, jámque ab anno milleſimo centeſimo octuageſimo nono litteris patentibus Philippi II. confirmatus eſt, quibus Rex Auguſtus Regaliorum fructus, quos Miniſtri regij in Epiſcopatu Auguſtodunenſi occuparant, Joanni Archiepiſcopo Lugdunenſi reſtitui juſſit, poſtquam, inquiſitione facta, compertum eſt, id juris jampridem ad Archiepiſcopos Lugdunenſes pertinere. Extat etiam Decretum anno milleſimo ducenteſimo octuageſimo ſecundo ab Aimerico Lugdunenſi Archiepiſcopo factum, itémque aliud à Rodulpho ejus ſucceſſore quinquennio poſt publicatum, quibus mutuum illud ambarum Eccleſiarum jus diſertè explicatur, & tanquam diuturno uſu roboratum confirmatur. Utrúmque illud Decretum refertur tom. 8. Spicilegij D'Acheriani pag. 253. 255. Idem jus commemoratur & approbatur in ſcriptis pro defenſione Philippi Pulchri adverſus Bonifacium

cium VIII. Summum Pontificem publicatis, ubi inter alia Philippo ſuprema in Lugdunum Juriſdictio vindicatur. Habentur in Hiſtoria diſceptationis Bonifacij VIII. Papæ cum Philippo Pulchro Rege, Gallicè ſcripta, pag. 317.

4. Conſtat itaque has duas antiquiſſimas Eccleſias hoc jure uſas eſſe longè ante Concilium Lugdunenſe II. à quo Reges ac Principes Regaliam in Eccleſias ab ea liberas extendere prohibiti ſunt: nec minus certum eſt, eas poſtea in hoc eodem uſu perſeveraſſe. Sin verò aliquam eis perturbationem regij Miniſtri attulerunt, publica judiciorum auctoritate repreſſi ſunt, vetuſtáque harum Eccleſiarum poſſeſſio confirmata, præſertim celebri Arreſto Parlamenti Pariſienſis lato die undecima Maij anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi, quod habetur in Actis Cleri Gallicani.

5. Præter Provincias Eccleſiaſticas privatáſque Diœceſes, de quibus hactenus egimus, quæ nunquam Regaliæ obnoxiæ fueruut, non privilegio aliquo aut conceſſione Regum, ſed naturali & canonica libertate, quam hucúſque retinuerant, aliæ ſunt nonnullæ Diœceſes, quæ cùm in Provincijs huic juri jampridem ſubjectis poſitæ ſint, ejus oneris immunitatem vel per contractus cum Regibus initos, vel per privilegia & gratuitas Principum conceſſiones, conſecutæ ſunt. Ejuſmodi ſunt Eccleſiæ Autiſſiodorenſis, Cameracenſis, Atrebatenſis, Ambianenſis, Andegavenſis, Nivernenſis, & forſan quædam aliæ, de quibus videſis Ægidium *Le Maiſtre* Proto-præſidem in Tractatu de Regalia, Renatum Choppinum lib. 1. de ſacra Politia tit. 6. num. 5. & lib. 2. de Domanio Franc. tit. 9. num. 6. Stephanum Paſquierium in Diſquiſitionibus rerum Francicarum, Philippum Probum q. 60. alióſque Auctores, qui de Regalia tractarunt. Supervacaneum eſſet harum Eccleſiarum jus, & privilegia, quibus ſuam immunitatem tuentur,

longa

longa hic oratione perpendere. Id unum obſervo, ſcriptores Gallos, qui vel impenſius Regaliæ favent, agnoviſſe, eam à Regibus remitti & condonari poſſe, taléſque conceſſiones non odio reſtringendas, ſed potius gratia & favore amplificandas: *Quia res*, inquit Ruſæus Tract. de Regalia, Privileg. XI. num. 12. *de facili revertuntur ad naturam ſuam .... Unde quando remittit jus Regaliæ in Eccleſia ipſi Epiſcopo*, (verba ſunt ejuſdem Ruſæi) *nihil de ſuo videtur donare, ſed in primordialem naturam reducit, & quod Eccleſiæ eſt, reddit Eccleſiæ.*

6. Deinde cùm æqui boníque ratio poſtulet, ut rebus politicis & temporalibus, beneficia Regum, collatáque in urbes aut Societates privilegia immota maneant; longè adhuc juſtius æquiúſque videtur, ut hoc eodem jure utatur Eccleſia, præſertim in ijs, quæ non ſolum ſacrorum adminiſtrationem bonorum, ſed etiam ſpiritualem ejus auctoritatem ſpectant, in quibus privilegia Regum non aliud ei præſtant, niſi ut naturalem ac priſtinam ſuam libertatem recuperet. Hinc Parlamentum Pariſienſe hanc æquitatis ac pietatis regulam in ſuis judicijs, plurium ſæculorum ſpatio, adhibuit, ſicut ex innumeris ejus Arreſtis patet, quibus ejuſmodi Eccleſiarum privilegia & immunitates confirmavit, regióſque Miniſtros, qui eas denuo Regaliæ ſubjicere conabantur, repreſſit. At poſtrema Regis Declaratio veterem hanc Juris-prudentiam invertit, dum Regaliam ſtatuit, *neque alienationi, neque præſcriptioni ſubjacere*, unde ibidem infertur, condonationes ejus à Regibus factas, aut nullas fuiſſe, aut ſaltem non niſi durante eorum vita, valuiſſe, atque adeò non obſtare, quominus Reges ſucceſſores ſuum in Eccleſias jus recuperare potuerint, ijs ſolum exceptis, quæ ſuam immunitatem, *titulo oneroſo* obtinuerunt.

CAPUT VIII.

CAPUT VIII.

Ex Regaliæ extenſione haud magnum Rex emolumentum capit. Hac extenſione non ſolum juſtitia & Eccleſiæ libertas violatur, ſed ex ea multa graviáque incommoda ſequuntur.

1. QUiſquis ea, quæ hactenus pro defenſione Eccleſiarum à Regalia immunium dicta ſunt, attenderit, is non poterit vehementer non mirari, tum regios Miniſtros juris iſtius fines longè latéque, qua patet regnum, proferre voluiſſe, tum verò Regi ſuaſiſſe, ut rem ita ſe habere publico Edicto & abſoluta ſua auctoritate, nullo requiſito Eccleſiæ conſenſu, declararet. At magis magíſque admiratione afficietur, ubi perſpexerit, hanc Regaliæ extenſionem haud magno ſuæ Majeſtati emolumento eſſe, nec ſolum ſummam habere iniquitatem, ſed magnis difficultatibus atque incommodis implicari.

2. Nam ut à bonorum Epiſcopalium uſufructu, quæ pars eſt prima Regaliæ, ordiar, num Chriſtianiſſimorum Regum, quibus Deus tam amplum támque opulentum regnum contulit, Majeſtate ac munificentia dignum videtur, ut vacantium Eccleſiarum ſpolijs reditus ſuos augeant? Quantum id eorum pietatem regiámque magnificentiam dedeceat, ipſimet præjudicaverunt, dum jamdiu à percipiendis ejuſmodi fructibus, etiam in locis, ubi ex antiqua conſuetudine id juris ſibi, Eccleſia non repugnante, tribuere potuiſſent, penitus abſtinuerunt. Aut enim eos Canonicis ſanctæ Capellæ largiti ſunt, aut ſucceſſoribus Epiſcopis peculiari dono conceſſerunt, aut in opera pia impenderunt, ut lib. 1. cap. 17. num. 3. obſervatum eſt. Cæterum quantumvis, ſuadente religione & æquitate, nihil apud ſe ejuſmodi redituum reſidere patiantur,

eorum

Digitized by Google

eorum ſe tamen dominos exhibent, dum eos arbitratu ſuo, tametſi in opera pia diſtribuunt. Et ut demus ea opera ad publicum aliquod & generale bonum ſpectare, ut cùm hodie à Ludovico XIV. feliciter regnante tertia horum redituum pars ijs, qui ex Calviniana hæreſi ad fidem Catholicam redeunt, aſſignatur, negari tamen non poteſt, quin eo ipſo naturalis ac legitimus eorum uſus immutetur; cùm ea ſit Eccleſiaſticorum proventuum lex & conditio, ut deductis alijs oneribus, in unaquaque Diœceſi, ad pauperum alimoniam, aliáque pia opera impendi oporteat.

3. Præterea quis recipere aut polliceri poteſt, Chriſtianiſſimos Reges in diſpenſandis ejuſmodi bonis, ea ſemper æquitate ac moderatione uſuros, quam in Ludovico XIV. omnes meritò ſuſpiciunt? Quis ſcit annon aliquando cujuſpiam Miniſtri avari impulſu, ea in fiſcum deferri jubebunt, atque in uſus minimè ſacros impendent? Jam verò nemini dubium, quin ij qui Regaliæ in Eccleſias antea liberas extendendæ auctores fuerunt, non ea ſolum mala, quæ ejuſmodi extenſionem jamjam comitantur, ſed & ea quæ poſthac, ſi fortè Reges Eccleſiarum vacantium reditus aliter atque hactenus factum eſt, diſpenſent, ſubſequentur, coram ſupremo omnium Judice præſtituri ſint.

4. Quod alteram Regaliæ partem ſpectat, collationem videlicet Beneficiorum, non diffitendum, eam à nonnullis, ut rem magni momenti, & cum Regibus valde utilem, tum etiam perhonorificam, venditari. Hoſpes ſit & peregrinus, qui ignoret eſſe in aula Miniſtros, qui magnam ſe apud Regem gratiam, amplificandis in dies regijs ad Beneficia nominationibus, inire exiſtimant, quique Majeſtatis ſuæ in ea parte progreſſus, victorijs alijſque proſperis eventibus, quibus imperij fines adjectis novis urbibus ac Provincijs, dilatat, æqui-

parant. At planum eſt ejuſmodi politicæ & carnalis ſapientiæ conſilia injuſta eſſe ac pernitioſa; tantúmque abeſt, ut ſolidam verámque gloriam Majeſtati ſuæ parere nata ſint, ut potius nomini ejus ac virtutum ſplendori non mediocriter detrahant, imo & injectis conſcientiæ laqueis, æternam ejus ſalutem in magnum diſcrimen adducant.

5. Certè hæc diſtribuendorum, quam plurimorum Beneficiorum cupiditas, qua nonnulli Regis animum inflammant, mirum quantum abhorreat à moribus & inſtituto ſancti Ludovici, quem ſua Majeſtas glorioſiſſimum generis auctorem habet. Id patet ex quodam facto, quod Genebrardus in Chronologia ex Broymaro ejus Cancellario refert. *Cum ei*, inquit, *inſtituendi Paſtores à Pontifice poteſtas facta fuiſſet, ad idque diploma Legatus Roma rediens attuliſſet; quòd mea, inquit, Romæ negotia ſtrenuè obieris, laudo: quòd mihi à Pontifice munus hoc retuleris, non probo. Intelligo enim quanto cum periculo animæ meæ & regni id ſuſciperem: ac protinus diploma in ignem projecit.*

6. Qua in re ſanctiſſimo Regi præiverat proavus ejus Ludovicus VII. de quo Thomas Walſighan in Hypodigmate Neuſtriæ narrat, quòd *reverſus de Hieroſolymitana contra Saracenos expeditione, cùm quidam Clericus Roma Papale quoddam privilegium attuliſſet, quo in omni Eccleſia Cathedrali ſui regni jus conferendi, cui vellet, primam vacaturam, cum cunctis fructibus medio tempore provenientibus, conſequebatur, confeſtim combuſſit litteras, dicens: Malo illas hic comburere, quam ſi propter illas in inferno comburerer.*

7. Liquet etiam ex conſilijs & mandatis, quæ idem ſanctus Rex filio ſuo Philippo III. morti jam proximus dedit, quam magnum quámque difficile exiſtimaret ad Dignitates & Beneficia Eccleſiaſtica nominare. Quin & ejus vitæ ſcriptores expreſsè notant, eum ſummam in ejuſmodi nominationibus

tionibus faciendis cautionem ac diligentiam adhibuiſſe, ſolitúmque dicere : *Nolle ſe immiſcere in collationibus Sacerdotiorum: ſi quidem*, ajebat, *ſat mihi eſt coram Deo de temporalibus rationem reddere.* Ex eodem Genebrardo in Chronologia.

8. Quæ etſi veriſſima ſint, mirum tamen videri non debet, Philippum Pulchrum, Philippum Valeſium alióſque Reges Chriſtianiſſimos, tanto ſtudio, collationes Præbendarum, jure Regaliæ, in Eccleſijs Cathedralibus, ubi id juris ex antiqua conſuetudine inductum erat, ſibi vindicaſſe. Ea erant fere tunc temporis unica, aut ſaltem præcipua Beneficia, quæ ad Regiam nominationem ſpectarent, quibúſque Clericos in aula degentes aut de ſua Majeſtate bene meritos munerarentur. Deinde erant veluti quidam gradus ad Epiſcopalem Dignitatem, vigentibus tum electionibus, & Capitulis vix alios quam Canonicos & de ſuo Collegio eligentibus. At cùm jam Reges Chriſtianiſſimi, ex Concordatorum lege, ad Prælaturas, hoc eſt Epiſcopatus & Abbatias jus nominandi habeant, aliáque penè innumera Beneficia, ut Patroni, aut alijs ex titulis, jure minimè dubio, diſtribuant; meritò quis miretur, reperiri homines, qui Regi ſuadeant, ut ſuas Beneficiorum nominationes magis magíſque multiplicet; quaſi verò tanti interſit ſuæ Majeſtatis, aliquos Canonicatus aliáque Beneficia in quibuſdam Eccleſijs vacantibus conferre, ut eam ob cauſam poſitos à majoribus terminos ac perpetua religione conſervatos refigere, & Oecumenicorum Conciliorum Decreta, Prædeceſſorúmque Regum Edicta abrogare debuerit.

9. Quamvis autem in ſumma illa Francici Imperij gloria & amplitudine, Chriſtianiſſimis Regibus nova hæc aliquarum collationum acceſſio vix aliquo numero habenda videatur, præſertim cùm jam tot alijs cumulati ſint; graviſſimo tamen

lædendæ conſcientiæ periculo hac novitate objicientur, multáque inde ac magna Eccleſijs inferentur detrimenta. Cùm enim plerúmque Reges in providendo Epiſcopatibus alijſque primarijs Dignitatibus aliorum opera non utantur, ſed per ſeipſos eligant, quos Summo Pontifici aut alijs Eccleſiæ Præpoſitis nominandos duxerint, facilius eſt, ut dignos boníſque dotibus ornatos proponant; quia illos regia magnanimitas in eo delectu faciendo, privatis, ut alij homines ſolent, rationibus duci, alieníſve occupationibus præventos in tranſverſum agi non ſinit. At verò Canonicatuum aliorúmque minutiorum Beneficiorum collationes uni, aut alteri ex ſuis Miniſtris permittere ſolent, qui pro libitu & ad privatas potius rationes, quam ad publicum Eccleſiæ bonum ea plerúmque diſtribuunt. Unde fit, ut Eccleſiarum Cathedralium & Collegialium Dignitates ac Beneficia in homines ineptos aut indignos conferantur, qui vel in ijs non reſident, vel, ſi reſideant, ſuis pravis moribus alios offendunt, cùm cæteris virtutum exempla præbere, atque Epiſcoporum in adminiſtranda Diœceſi adjutores & conſiliarij eſſe deberent. Quod quidem malum tunc adhuc difficilius cavetur, cùm ea beneficia in remotioribus Provincijs ac Diœceſibus poſita ſunt, quales ſunt fere omnes illæ, ad quas modo Regalia producta eſt. Tunc enim Rex ejuſque Miniſtri, quinam idonei & capaces ſint ad ea Beneficia obtinenda, difficilius ſcire poſſunt; & qui ea obtinent, ut plurimum ſunt Clerici aulæ aſſueti, qui cùm à reſidentia & Eccleſiaſticis functionibus abhorreant, ea ſtatim cum alijs Beneficijs permutant, aut in favorem cujuſpiam, ſervata majori fructuum parte quotannis ſibi penſionis titulo ſolvenda, ijs ſe abdicant.

10. Jus Regaliæ, eo quo nunc exercetur modo, alia adhuc habet incommoda, maximè, quod ſpectat ad Provincias, in quas

quas recens inductum eſt. Nam ſi, ut paucis ante annis Parlamento Pariſienſi placuit, Rex non ea ſolum Beneficia ob Regaliam conferat, quæ ad plenam Epiſcoporum collationem ſpectant, ſed ea quoque, quæ Patronatus ſunt vel Eccleſiaſtici vel laici, atque etiam Patronos, ſaltem Eccleſiaſticos præveniat; quis non advertat, quantum impedimenti quantámque perturbationem Regalia in illis Provincijs allatura ſit? Nulllum ſiquidem Beneficium, exceptis Parochijs, ſive per obitum, ſive per reſignationem, vel permutationem, vel alio quocumque modo vacabit, quin ſtatim Regem, ut de illo provideat, adire neceſſe ſit. Sin verò Beneficia Patronatui aut Eccleſiaſtico, aut Laico obnoxia ſint, præſentati à Patronis, qui ante à Vicarijs Generalibus Capituli, ſede vacante, examinati titulum ſeu inſtitutionem Beneficij obtinebant, vel ex remotiſſimis partibus Regi ſe ſiſtent, inſtitutionem ſeu collationem ab eo accepturi: aut ſaltem litteras præſentationis ad regium comitatum mittent; quo caſu, ſine ulla prævia probatione, inſtitutio ſeu titulus Beneficij eis concedetur; quod omnino abſurdum, atque ab Eccleſiaſtica regula alienum videtur. Sic Miniſtrorum, qui Regi à ſecretioribus ſunt, aut eorum Amanuenſium, in expediendis diplomatibus ſeu litteris Beneficiorum ob Regaliam vacantium, magna & pene continua erit occupatio: cúmque gratuitò id ab ijs non fiat, ut omnes norunt, haud ſcio an brevi futurum ſit, ut peculiaria officia, & quoddam velut Cancellarij munus ad ejuſmodi diplomatum expeditiones, quæ diffuſa per totum regnum Regalia, mirum in modum creverunt, inſtituantur.

11. Præterea cùm frequentes ſint lites tum de adminiſtrandis, ſede vacante, bonis Epiſcopalibus, tum de Beneficijs, quæ ob Regaliam vacaſſe dicuntur, quarum omnium

cognitio primaria Parlamenti Pariſienſis Cameræ, etiam in prima, ut loquuntur, inſtantia attribuitur: hinc facile eſt animadvertere, quantum incommodi, quantúmque perturbationis in illis Provincijs Regalia, tum litibus multiplicandis, tum ſumptibus ad eas inſtruendas faciendis, allatura ſit. Unde etiam ſæpe accidet, ut qui Beneficia legitimo & canonico cum titulo habuerint, ea Regaliſtis malint in prædam relinquere, quam cum tanto diſpendio procul à patria, in primario Regni Parlamento, Regaliſtis, ut plurimum faventе, litigare.

12. Ante regiam Declarationem anni millеſimi ſexcenteſimi ſeptuageſimi tertij facilius ferri poterat, ut ſolius Parlamenti Pariſienſis eſſet de cauſis Regaliæ cognoſcere, cùm tunc jus Regaliæ non longè extra hujus Parlamenti territorium excurreret. At poſtquam ea Declaratione ad omnes regni Provincias productum fuit, grave eſt omnino ac vix ferendum, ut vel ex remotiſſimis Galliæ partibus, pro quacumque Regaliæ lite omnes Juriſdictionem Parlamenti Pariſienſis ſubire cogantur. Sed ſi id populis moleſtum, Magiſtratibus & Advocatis Parlamenti Pariſienſis è contrario commodum eſt, atque acceptum, cùm ea ratione eorum juriſdictio & emolumenta creſcant, magnúſque primariæ ejus Cameræ litium, quibus jam nimium plus premitur, cumulus accedat. Unde etiam manifeſtum fit, quid cauſæ fuerit, cur ijdem Magiſtratus huic Regaliæ extenſioni tantopere faverint, & quo loco habenda ſint Arreſta à centum circiter annis ea de re ab ijs lata; cùm planum ſit, eos in promovenda ejuſmodi extenſione, ex qua tantum capturi eſſent emolumentum, litem ſuam feciſſe. Quocirca illos poſtea Clerus Gallicanus potius ut adverſarios, quam ut æquos judices hac in parte habuit, adeóque univerſas de Regalia lites ad ſupremum

mum

Digitized by Google

mum Regis Conſilium evocari atque earum cognitione Parlamento interdici obtinuit.

13. Ex ſupra allatis conſiderationibus conficitur, extenſionem Regaliæ Regi exiguo reipſa emolumento eſſe, minorémque ex ea fructum provenire, quam ut tot malis & incommodis, quæ illam ſequuntur, ullo modo æquiparari poſſit. Unde etſi in ea cauſa jus ſuæ Majeſtatis tam certum ac manifeſt. m foret, quam nullum atque inane eſſe hactenus demonſtratum eſt, pro ſua tamen æquitate ac bonitate eo cedere deberet, rémque in priſtino ſtatu relinquere, ſecundum hoc ſapientis effatum: *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui.* Quod graviter etiam monuit Illuſtriſſimus D. de Marca, in fine præclari de hac controverſia Commentarij, ubi ait: *Hanc Præbendarum collationem* (quæ extenſionis Regaliæ fructus eſt) *Regi longè minoris eſſe momenti, quam ut ejus conſequendæ gratia antiquas Regni leges, ſacróſque Conciliorum canones everti oportuerit, quo videlicet jus illud in ea loca introduceretur, ubi poſt conditam Religionem Chriſtianam nunquam cognitum fuit.*

CAPUT IX.

Epiſcopi minimè aſſentiri poſſunt, ut Regalia in eorum Eccleſias ab eo onere hactenus liberas inducatur: ſed quantum in ipſis eſt, huic uſurpationi debent obſiſtere.

1. QUo major eſt Regaliæ per totum regnum diffuſæ injuſtitia, majúſque damnum, quod inde Eccleſijs hactenus liberis infertur; eò certius videtur, Epiſcopos non ſolum aſſentiri non poſſe, ut ejuſmodi onus Eccleſijs imponatur, verum etiam quantum in ipſis eſt, quocumque legitimo modo, quominus id fiat, prohibere oportere. Quis enim

Digitized by Google

enim dicere audeat, licitum eis eſſe in re adeò gravi Eccleſiarum jus ac ſalutem prodere, ſuóque aſſenſu, quod contra jus tum divinum, tum humanum, in earum perniciem factum eſt, comprobare? Quis neſciat non fidem ſolum Eccleſiæ, ſed etiam diſciplinam, jura immunitatéſque eis à Chriſto commendatas; ut cujus doctrinam adverſus Novatores, damnatis eorum erroribus, illibatam ſemper ſervare debent, ejus etiam libertatem & diſciplinam, pari ſolicitudine ac vigilantia, contra injuſtos Potentum & Principum conatus tueantur? Quis autem negaverit, eam eſſe Regaliæ cauſam, in qua meritò id ab Epiſcopis exigatur: cùm videlicet in ea agatur non tantum de bonis Eccleſiæ conſervandis, quæ, ut perhibent canones, ipſius Dei bona ſunt, & quorum Epiſcopi non proprietatem aut dominium, ſed ſolam adminiſtrationem habent; verum etiam de retinenda facultate diſpenſandi miniſteria, officia & dignitates Eccleſiaſticas, quod jus omnino ſpirituale eſt, atque ejuſmodi, ut eo vel maximè diſciplina, atque auctoritas Eccleſiaſtica contineatur?

2. Sin verò aliquis id adhuc in dubium vocaret, conſulat Lugdunenſis Concilij decretum, quo quid Epiſcopis in hac cauſa agendum ſit, tam diſertè præſcribitur. Neque enim minoris hodie auctoritatis aut ponderis eſt, iſtud decretum, quòd ante quadringentos annos conditum ſit. Hoc potius ei vim ac robur addit, cùm tandiu ſervatum fuerit, ejúſque vi & auctoritate, tot annorum ſpatio, naturalem & canonicam ſuam libertatem Eccleſiæ retinuerint. Cenſuræ adverſus eos, qui de novo jus iſtud uſurparent, aut in Eccleſias ab eo liberas induci procurarent, intentatæ, non minus nunc extimeſcendæ ſunt, quam cùm illud decretum promulgatum eſt: & quæ ibidem lex adverſus Clericos Eccleſiarum ſeu Beneficiarios ſtatuta eſt, ut, niſi talia facientibus, quantum potuerint, obſiſtant,

ſiſtant, de fructibus ſeu proventibus earum Eccleſiarum, pro tempore, quo præmiſſa ſine debita contradictione permiſerint, nihil percipere valeant, adhuc vigere debet. Quin etiam hac ipſa lege Epiſcopi adhuc fortius, quam Canonici aliíque Eccleſiarum Beneficiarij obligantur. Clarum eſt enim, ea tantum de cauſa Epiſcopos hic à Concilio nominatos non eſſe, quòd futurum non putaverit, ut quis Regaliam in Eccleſijs ab ea liberis, niſi dum Paſtoribus viduatæ eſſent, uſurpare tentaret, neque Patribus in mentem venerit, id etiam fieri poſſe, ſuperſtite adhuc Epiſcopo, ac velut in anteceſſum hanc uſurpationem ſua approbatione confirmare coacto.

3. Ut autem alias in eam rem veterum Patrum & Conciliorum auctoritates omittam, Oecumenica Synodus Tridentina, quodnam ſit Epiſcoporum in ſimilibus cauſis officium, manifeſtè tradit. Nam ſeſſ. 25. cap. 20. de reform. generaliter decernit ac præcipit: *Sacros canones & Concilia generalia omnia, nec non alias Apoſtolicas ſanctiones in favorem Eccleſiaſticarum perſonarum, libertatis Eccleſiaſticæ, & contra ejus violatores editas, quæ omnia etiam præſenti decreto innovat, exactè ab omnibus obſervari debere.* Et magis adhuc ſpeciatim ſeſſ. 22. cap. 11. de ref. contra ſacrorum bonorum uſurpatores ac libertatis Eccleſiaſticæ violatores, aut eorum pravis conſilijs aſſentientes hæc ſancit: *Si quem Clericorum vel Laicorum, quacumque is dignitate, etiam Imperiali aut Regali præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus Eccleſiæ ſeu cujusvis ſæcularis, vel regularis Beneficij, Montium pietatis, aliorúmque locorum piorum juriſdictiones, bona, cenſus ac jura, etiam feudalia & emphyteutica, fructus, emolumenta, ſeu quaſcumque obventiones, quæ in Miniſtrorum & pauperum neceſſitates converti debent, per ſe vel per alios, vi vel timore incuſſo, ſeu etiam per ſuppoſitas perſonas Clericorum, aut Laicorum, ſeu quacumque arte aut quæſito colore*

Digitized by Google

in proprios uſus convertere, illóſque uſurpare præſumpſerit, ſeu impedire ne ab ijs, ad quos jure pertinent, percipiantur: is anathemati tandiu ſubjaceat...... Clericus verò, qui nefandæ fraudis & uſurpationis hujuſmodi fabricator ſeu conſentiens fuerit, eiſdem pænis ſubjaceat, nec non quibuſcumque Beneficijs privatus ſit, & ad quæcumque alia Beneficia inhabilis efficiatur. Quod ſi ex his Tridentinæ Synodi decretis ſinguli Clerici conſervandis Beneficiorum ſuorum juribus & immunitatibus advigilare debent, potiori adhuc ratione ea cura ad Epiſcopos ſpectat, cùm Dei atque Eccleſiæ ordinatione Eccleſiarum Patres, Paſtores & Sponſi, proindéque earumdem jurium, & immunitatum, legitimi tutores ac defenſores conſtituti ſint.

4. Cæterum is eſt cauſæ, de qua agitur, ſtatus, ut Epiſcopi Eccleſiarum ſuarum defenſioni, ſalvo officio, deeſſe non poſſint. Si enim, ipſis tacentibus, Regalia in eas ſemel inducta fuerit, fruſtra quis ſperet, fore ut poſthac ei longa poſſeſſione ac diuturno uſu jam roboratæ, reſiſti queat: id quod jampridem ipſa experientia in alijs Eccleſijs docuit, quas olim occaſione feudorum & Cuſtodiæ fructuum, Regaliæ ſubjectas fuiſſe oſtendimus, in quibus eam Concilium Lugdunenſe, quòd antiqua conſuetudine niteretur, tolerare quodammodo coactum fuit. Itaque ſingulis Epiſcopis maximè conſiderandum eſt, quòd ſi contra officium ſuum, defenſionem Eccleſiarum hocce tempore prætermiſerint, malorum omnium, quæ ex hac Regaliæ introductione ad finem uſque ſæculi, accident, culpam in æquiſſimo Dei judicio ſuſtinebunt.

5. Nam obſervandum eſt, plurimum differre, an quis inveteratos abuſus, ipſa diuturnitate vim legis quodammodo adeptos, toleret; an verò novos introduci ſinat. Nemo quidem ad miniſterium Eccleſiaſticum, præcipuè verò ad ſummum

mum ejus gradum, hoc eſt, Epiſcopatum accedere debet, niſi ita affectus ſit, ut toto animo ad tollendos veteres diſciplinæ abuſus, adeóque ad priſtinum verúmque ordinem, quoad fieri poteſt, reſtituendum incumbere velit. Quid igitur de abuſibus naſcentibus, aut etiam nondum introductis: Nonne potiori adhuc ratione jis reſiſtere, atque ut opprimantur vel excludantur totis viribus conniti oportet? Unde colligere licet, Epiſcopos, quorum ætate Regalia primum in eas Diœceſes introducta eſt, in quibus illam poſtea conſuetudine roboratam Lugdunenſe Concilium tolerandam duxit, minimè culpa vacaſſe, niſi ejus introductioni, quantum in ipſis fuit, obſtiterint; cùm tamen in iiſdem Diœceſibus jam planè toleranda ſit, neque aliud ab Epiſcopis exigatur, niſi ut ſecundum Concilij Lugdunenſis præſcriptum ejus abuſus improbent, atque etiam, ſi fieri poteſt, impediant.

6. At ſecus ſe res habet in Eccleſijs, quæ Regaliæ nunquam obnoxiæ fuerunt, & quas haud pridem Miniſtri regij huic jugo ſubmittere conati ſunt. Earum enim Antiſtites regiorum Miniſtrorum cupiditati & conatibus cedere non debent, ſed potius ſtrenuè, quantum in ipſis eſt, reſiſtere, ſi Eccleſiam in Concilio Lugdunenſi præcipientem audire velint: præſertim cùm hujuſmodi Miniſtris ſat non ſit, ſilere Epiſcopos, & Regaliæ non obſiſtere, niſi etiam eam expreſsè probent, impetratis à Rege litteris abſolutorijs, & in tabulas Cameræ computorum Pariſienſis, una cum fidelitatis Sacramento ab eis præſtito, relatis; tametſi hoc Sacramentum ante viginti, triginta, aut quadraginta & amplius annos præſtiterint, ac per totum illud temporis ſpatium in Epiſcopatus poſſeſſione & adminiſtratione tam in ſpiritualibus, quam temporalibus permanſerint.

7. Præterea ſi his in rebus Edicto regio Epiſcopi paruerint, non ſolum Eccleſiæ ſibi commiſſæ jus libertatémque produnt, ſed ne aliquando ex his malis emergere queat, quantum in ipſis eſt, efficiunt, validam regijs Miniſtris exceptionem ſubminiſtrando ad repellendos tum Eccleſiæ Cathedralis Canonicos, tum ſucceſſores in Epiſcopatum, qui ea de re adhuc litem movere vellent. Ponamus enim, fore aliquot Cathedralium, aut Collegialium Eccleſiarum Capitula, quæ, mortuis Epiſcopis, cùm primum Regalia in uſum inducenda eſt, regijs Magiſtratibus regióque Edicto adhuc contradicant; quod certè hiſce temporibus vix ſperandum eſt: nonne ſtatim oppoſito defuncti Antiſtitis conſenſu rejicerentur? Quod verò ad Succeſſores Epiſcopos ſpectat, certum quidem eſt, eos ſemper ad tuendam Eccleſiæ ſuæ libertatem obligatos fore, tametſi deceſſor Epiſcopus Regaliæ aſſenſum præbuerit. Si quis itaque exiſtat, qui officio ſuo ſatisfacturus litteras Regaliæ abſolutorias obtinere, ac fidelitatis Sacramentum in tabulas Cameræ computorum Pariſienſis referre abnuat; nonne ſtatim regij Miniſtri inclamabunt, jamdiu finitum eſſe negotium, eúmque inurbanè & imprudenter omnino agere, qui quæſitum ſuæ Majeſtati jus, & à deceſſore Epiſcopo jam agnitum fruſtra in dubium revocare tentet: quamquam, ut nunc ſe res habent poſt inita Concordata, quibus Epiſcoporum nominatio ad reges delata eſt, quis credat fore, ut qui recens Epiſcopatu à Rege donatus eſt, regiæ voluntati atque ordinationi in hac Regaliæ cauſa contradicat? Certè facilius reperias, qui ne in iſtud offendendi Regis diſcrimen veniant, oblatum Epiſcopatum recuſent, quam qui poſt ſemel admiſſum, regiæ voluntati obſiſtere parati ſint. Conſtat itaque ad Epiſcopos, qui hocce tempore Eccleſijs præſunt, cùm de mittendo in executionem regio Edicto agitur, maximè ſpe-

ctare

ſtare ut ſe declarent, ac naturalem & canonicam Eccleſiarum ſuarum libertatem debito quocumque modo tueantur.

8. Quæ autem de Epiſcopis dicta ſunt, proportione ſervata, de Clericis ſecundi Ordinis intelligi debent, præſertímque de Eccleſiarum Cathedralium Capitulis, quæ cum Epiſcopo unum quoddam corpus conſtituunt, ejúſque ſenatus à Tridentino Concilio appellantur. Scilicet hodie Collegia Canonicorum præcipuam fere Cleri partem in unaquaque Diœceſi faciunt. Quin & pluribus locis ſpiritualem juriſdictionem, & auctoritatem quaſi Epiſcopalem exercent: in Eccleſijs autem Cathedralibus primariæ Dignitates, Archidiaconi, imo & reliqui Canonici, ex ſua inſtitutione, Epiſcoporum ſunt in regenda Diœceſi adjutores, conſiliarij ac præcipui adminiſtri. Deinde ad eos auctoritas ſpiritualis júſque adminiſtrandæ Diœceſeos poſt obitum Epiſcopi, quo tempore Regalia locum habet, devolvitur. Patet itaque illos, proportione habita, non ſecus atque Epiſcopos, ad tuendum jus & libertatem Eccleſiæ obligari, maximè in hac Regaliæ cauſa, in qua eorum res & dignitas ſpeciatim agitur. Unde etiam id eis oneris in Decreto Concilij Lugdunenſis, adjuncta quoque in negligentes pæna, nominatim imponitur.

Digitized by Google

CAPUT X.

Epiſcopi fidelitatis Sacramentum in tabulas Cameræ computorum Pariſienſis, ex Edicto regio referre non poſſunt, quin Regaliam agnoſcant, eique expreſsè aſſentiantur. De Epiſcopis, qui poſt Edictum promulgatum, ſuum fidelitatis Sacramentum, præmiſſa conteſtatione, in tabulas Cameræ computorum referri curarunt. Item de iis, qui ante Edicti promulgationem id præſtiterunt. Quid cenſendum de iis, quorum Diœceſes per Privilegia à Regalia immunes ſunt.

1. NOn deſunt, qui cùm hanc cauſam leviter tantum attigerint, mirentur, eſſe Epiſcopos, qui præſtitum fidelitatis Sacramentum in tabulas Cameræ computorum Pariſienſis, prout regio jubentur Edicto, referre abnuant. Cùm enim, inquiunt, hujus nuncupatione Sacramenti, debito ſe erga ſuam Majeſtatem officio perfunctos agnoſcant; quid cauſæ eſt, quamobrem tantopere iſtud Sacramentum in publicas tabulas referre graventur, quandoquidem id tantum, pro recepto more, ad conſervandam ejus memoriam fieri videatur? Nonne, ajunt, ſatius eſſet Regi in tantula re obſequi, quam Eccleſias ſuas perturbationi, & ſeipſos multiplici incommodo hac ſua moroſitate objicere?

2. Hæc ratio quorundam oculos perſtrinxit, pluréſque Epiſcopos impulit, ut ſuum fidelitatis Sacramentum, nondum publicato Regis Edicto, in tabulas Cameræ computorum Pariſienſis referrent. Cæterum quam infirma ſit ac futilis, ex ſupra dictis facile colligitur. Quod ut adhuc clarius pateat, obſervandum eſt, omnes quidem Galliæ Epiſcopos, pro ſummo gradu ac ſingulari, quâ etiam in rebus civilibus pollent auctoritate, fidelitatem Regi, poſtquam inaugurati ſunt, ſolemni

ſolemni Sacramento promittere, ſed eos ſolos ejuſmodi Sacramentum in acta Cameræ computorum Pariſienſis referre ſolitos, quorum Diœceſes Regaliæ juri obnoxiæ ſunt. Neque enim, quod falsò in objectione ſupponitur, hæc Sacramenti in acta publica relatio, eò propriè tendit, ut poſterorum memoriæ commendetur, ſed idcirco adhibetur, ut Regaliæ finis imponatur, & novus Epiſcopus temporalia bona, quæ, durante Regalia, in manu & poteſtate Regis erant, recipiat, atque eorum plenam & liberam poſſeſſionem adipiſcatur. Hinc poſt præſtitum fidelitatis Sacramentum litteras Regaliæ abſolutorias à Rege obtinere debet, eáſque Cameræ computorum Pariſienſi, in qua olim Regaliarum, ut & aliorum regij Domanij redituum rationes reddebantur, præſentari, & in ejus tabulas referri oportet. Quapropter Edicto regio nihil propriè de fidelitatis Sacramento, ſed de hujuſmodi litteris Regaliæ abſolutorijs cavetur his verbis: *Jubemus proinde, ut ſinguli Archiepiſcopi & Epiſcopi intra duos menſes poſt exhibitum fidelitatis Sacramentum adſtringantur ad litteras patentes* (Regaliæ) *abſolutorias impetrandas, eáſque in Acta Cameræ computorum Pariſienſis referendas. Qui autem præſtito antea fidelitatis Sacramento ejuſmodi litteras nondum impetrarint, eas impetrent, atque intra duos primos menſes in Acta ſupradictæ Cameræ referri curent.*

3. Imò ad claudendam, ut ajunt, Regaliam, non ſufficit ejuſmodi litteras abſolutorias à Rege obtentas, & in Acta Cameræ computorum Pariſienſis relatas eſſe, niſi etiam Regaliæ Oeconomo in ipſa Diœceſi reditus Epiſcopatus procuranti, cum ejuſdem Cameræ Arreſto, quo ei mandatur, ut Epiſcopalium bonorum poſſeſſionem novo Epiſcopo relinquat, denuntientur: quæ ſingula niſi ad unguem peracta ſint, Regalia ſemper aperta eſſe cenſetur.

4. Ex

4. Ex his planum fit, quid ſit, cur Eccleſiarum Regaliæ non obnoxiarum Antiſtites, fidelitatis Sacramentum in acta Cameræ computorum Pariſienſis referre non poſſint. Certè quantumvis Epiſcopi in Occitania, Aquitania, Provincia, Delphinatu alijſque tractibus vicinis, ubi Regalia nunquam locum habuit, jampridem id Sacramenti, perinde ac reliqui regni Epiſcopi, præſtarent, ejuſmodi tamen litteras abſolutorias non obtinebant, neque illis quicquam negotij cum Camera computorum Pariſienſi erat; ut non ante de imponendo eis hoc onore, quam de extendenda ad eorum Eccleſias Regalia actum fuerit. Hinc cùm Rex Edicto ſuo Regaliam ubique in Regno locum habere decrevit, conſequenter etiam juſſit, ut omnes Archiepiſcopi & Epiſcopi ejuſmodi litteras abſolutorias impetrarent, & in acta ſupradictæ Cameræ referrent. Quin & altero Edicto eodem tempore promulgato, ſua Majeſtas, poſt confectum Archiepiſcopatuum & Epiſcopatuum Occitaniæ, Aquitaniæ, Provinciæ & Delphinatus cenſum, quid pecuniæ à ſingulis harum Provinciarum Archiepiſcopis & Epiſcopis, pro ejuſmodi litteris in acta Cameræ computorum Pariſienſis referendis ſolvi oporteat, præſcripſit: eo ipſo ſatis ſignificans, illos antea ab eo onere fuiſſe liberos, nec ea de re quidquam à primis uſque temporibus in tabularijs Cameræ computorum Pariſienſis reperiri. Dum itaque iſti Antiſtites eo modo ijſque conditionibus ad ejuſmodi litteras obtinendas, & in acta Cameræ computorum Pariſienſis referendas adiguntur, clarum eſt, perinde eſſe, ac ſi disertè ab eis poſtuletur, ut Regaliam agnoſcant, atque ei expreſsè aſſentiantur.

5. Hæc haud ſcio an ſatis adverterint complures in Occitania viciniſque Provincijs Antiſtites, qui hac in re Edicto regio paruerunt. Id unum ſcio, duplex inde eos emolumentum

tum

tum percepiſſe: primum, quòd relatis intra tempus præſcriptum in acta Cameræ computorum Pariſienſis litteris Regaliæ abſolutorijs, id illis gratis conſtitit, ex auctoritate regij Edicti, eos pro hac vice ab omni pecuniæ ſolutione liberos pronuntiantis: Alterum, quòd ea ratione, Regalia in eorum Diœceſibus clauſa, (quæ tamen nunquam reipſa ibi aperta fuerat) Beneficia ad eorum collationem ſpectantia, ſine ullo Regaliſtarum impedimento jam eis diſtribuere licebit. At privatam hanc & temporariam utilitatem, illato gravi ac perpetuo Eccleſijs ſuis damno, compararunt, dum eas antiqua ſua libertate ſpoliari, & Regaliæ jugo impoſterum, quoties Sedes Epiſcopalis vacaverit, ſubjacere, ſuo aſſenſu probarunt.

6. Aliquot fuerunt Antiſtites, quos ingens iſtud incommodum non fugit. At ſe ei mederi poſſe arbitrati ſunt, ſi litteras Regaliæ abſolutorias non niſi præmiſſa hac conteſtatione, in acta Cameræ computorum Pariſienſis referrent, ſe videlicet ſola Edicti regij reverentia adactos, & ne majoribus adhuc malis Eccleſias objicerent, id præſtare; cæterum non eſſe ſuæ mentis Regaliam approbare, ejúſve introductioni aſſenſum præbere. Verum quis ejuſmodi cautionem vanam atque inutilem eſſe non agnoſcat, cùm id unum ea aſſecuti ſint, ut ne quis eos inſcios, atque imprudentes peccaſſe credat? Nonne quod verbis negant, facto adſtruunt; cùm ſimul & ſe nolle Regaliæ aſſentiri conteſtentur, & reipſa huic vel maximè aſſentiantur, obtentis litteris Regaliæ abſolutorijs, cæteríſque peractis, quæ ad eam claudendam requiruntur? Quid enim ab ea abſolvi poſtulant, niſi quia ſe ei obnoxios profitentur? Quid eam claudere neceſſe eſſet, niſi prius apertam agnoſcerent? Deinde facile aſſeveraverint, hanc qualemcumque eorum conteſtationem, quam, ut par eſt credere, in

ſyngrapho Lutetiam ad eorum Procuratorem miſſo, appoſuerunt, minimè in acta Cameræ computorum relatum fuiſſe, ſed de ſolo fidelitatis Sacramento litteriſque Regaliæ abſolutorijs mentionem factam; ut perinde ſit, ac ſi nulla contestatione addita, ſimpliciter & abſolutè Edicto regio paruiſſent.

7. Idem potiori adhuc ratione cenſendum eſt, de quibuſdam alijs Epiſcopis, qui cùm regio Edicto hac in re apertè paruerint, ſimilem conteſtationem coram tabellione emiſerunt, cujus prototypum apud ſe retentum in tabulario ſuæ Diœceſeos repoſuerunt. Cùm enim ejuſmodi conteſtatio in lucem non prodierit, perinde eſt, ac ſi facta non fuiſſet, neque obſtare poteſt, quominuus litteras Regaliæ abſolutorias obtinendo, eáſque in acta Cameræ computorum Pariſienſis referendo, jus Regaliæ expreſsè agnoverint, eíque Eccleſias ſuas obnoxias eſſe profeſſi ſint: ut omittam quantum hæc agendi ratio ab antiquis Epiſcoporum moribus & Sanctorum exemplis, qui ſæpe in ſimilibus caſibus Eccleſiæ jus ac libertatem palam magnóque animo defenderunt, abhorreat.

8. Poſtremò plures earundem Provinciarum Epiſcopi regium Edictum, obtentis litteris Regaliæ abſolutorijs & in tabulas Cameræ computorum Pariſienſis relatis, anteverterant, quò Regaliſtarum fraudibus, qui Beneficia ad eorum collationem ſpectantia paſſim obtinebant, veróſque poſſeſſores litigando divexabant, occurrerent: idque nonnulli invitè, nec niſi efflagitantibus Canonicorum Capitulis, quos ejuſmodi Regaliſtarum vexationis tædebat, præſtiterunt. Qua in re facile adducor, ut credam, hos Epiſcopos bona fide egiſſe, & præſentium malorum ſolicitos, non ſatis attendiſſe, ſe hoc facto Eccleſiarum ſuarum jus libertatémque minuere, & introducendæ jamjam Regaliæ viam patefacere. Cæterum

quo

quo pacto hæc bona fides poſt promulgatum Regis Edictum adhuc perſeveret, quáve ratione jam excuſari poſſint, quaſi præſtitum prius Regaliæ aſſenſum ſuo ſilentio non confirment, planè non video.

9. Quod hactenus dictum eſt, de Epiſcopis, quorum Diœceſes Regaliæ nunquam obnoxiæ fuerunt, de ijs etiam, proportione habita, intelligi debet, quorum Diœceſes à Regaliæ jugo per privilegia & conceſſiones Regum liberatæ ſunt. Cùm enim Eccleſiæ per ejuſmodi privilegia & conceſſiones priſtinam ſuam libertatem recuperaverint, eámque diuturna poſſeſſione, & Parlamenti Pariſienſis Arreſtis confirmatam in hanc uſque ætatem retinuerint, non poſſunt Epiſcopi permittere, aut aſſenſu ſuo probare, ut ea excidant, & iterum Regaliæ jugo per Edictum regium ſubjiciantur. Quamvis enim ex hoc Edicto ad litteras Regaliæ abſolutorias impetrandas, & in acta Cameræ computorum Pariſienſis referendas, ut Occitaniæ aliarúmque ſimilium Provinciarum Epiſcopi, non adſtringantur, non idcirco injuriam ſuis Eccleſijs factam taciti præterire poſſunt, ſed potius ei, quantum in ipſis eſt, contradicere, & ne denuo Regalia in eorum Diœceſes inducatur, adlaborare debent.

CAPUT XI.

Epiſcopi Edicto de Regalia recuſantes parere, in regiam Majeſtatem nequaquam peccant, ſed potius eo ipſo ſuam Regi fidelitatem egregiè teſtantur. Quid in ſimilibus factis ſenſerint veteres ſanctique Epiſcopi.

1. Epiſcoporum vel maximè eſt, ut populis ad fidelitatem & obedientiam Regibus præſtandam exemplo ſuo præeant. Id enim ordinationi divinæ à duobus Apoſto-

lis promulgatæ omnino conſentaneum eſt: *Subjecti*, inquit Petrus epiſt. 1. v. 13. *eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi quaſi præcellenti.* Et Paulus ad Rom. 13. v. 1. generatim ſancit, ut *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*; quia, inquit, *non eſt poteſtas niſi à Deo*; *quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt.* Verum etſi Regi æquè omnes ſubditi obedire, ejuſque Majeſtatem pari honore ac reverentia proſequi debent, fatendum tamen eſt, id non eodem modo, ſed variè pro cujúſque ſtatu, diverſíſque Ordinum gradibus, ab unoquoque præſtari oportere. Sunt, qui juſſa Regis, nulla prævia inquiſitione, exequi debent, niſi forte divinæ legi apertè repugnarent. Tales ſunt duces ac milites in bello. Sunt, quibus jus eſt adeundi Regem, & ſuaſoria oratione, quid cauſæ ſit, cur ejus mandata exequi non poſſint, exponere, ut Parlamenta, aliæque, quas ſupremas vocant, Curiæ. At id ſingulare in Epiſcopis, quòd cùm ſubditi Regum ſint, primúmque Chriſtianiſſimi Galliæ regni ordinem conſtituant, ordinatione tamen divina ac delegatione Chriſti, cujus in terris vicem obtinent, ipſis Regibus Patrum ac Paſtorum loco ſunt. Quapropter tantum abeſt, ut quidquid Regis nomen præfert, aut ejus auctoritate ad eos mittitur, maximè ubi res Eccleſiaſticæ, aut quæ aliquatenus ad religionem ſpectant, aguntur, ſine ulla inquiſitione excipere debeant; ut tales interdum caſus incidant, in quibus tum demum ſuam Regibus fidelitatem atque obſervantiam optimè probant, ſi eos, quantum poſſunt, ab errore ad veritatem traducere conantur, ac de regio officio pari modeſtia atque animi firmitate admonent.

2. Id præclarè oſtendit S. Ambroſius, qui unus vel maximè, tum fideliſſimi atque obſervantiſſimi erga Imperatores ſubditi, tum fortiſſimi ac religioſiſſimi Antiſtitis partes egit. Is lib. 5. Epiſt. 29. à Theodoſio Imperatore petens, ut unum aliquid

aliquid, quod præter fas & non ſine gravi Eccleſiæ dedecore fieri juſſerat, reſcinderet, ſic eum alloquitur: *Peto ut patienter ſermonem meum audias. Nam ſi indignus ſum, qui à te audiar, indignus ſum, qui pro te offeram, cui tua vota, tuas preces committas .... Sed neque imperiale eſt, libertatem dicendi denegare, neque Sacerdotale quod ſentiat non dicere. Nihil enim in vobis Imperatoribus tam populare & tam amabile eſt, quam libertatem etiam in ijs diligere, qui obſequio militiæ vobis ſubditi ſunt. Si quidem hoc intereſt inter bonos & malos Principes, quòd boni libertatem amant, ſervitutem improbi. Nihil etiam in Sacerdote tam periculoſum apud Deum, tam turpe apud homines, quam quod ſentias, non liberè pronuntiare. Siquidem ſcriptum eſt:* Loquebar de teſtimonijs tuis in conſpectu regum, & non confundebar: *Cùm etiam Imperatoribus non diſpliceat, ſuo quemque fungi munere, & patienter audiatis unumquemque pro ſuo ſuggerentem officio; imo corripiatis, ſi non utatur militiæ ſuæ ordine. Quod ergo libenter in ijs accipitis, qui vobis militant, num hoc in Sacerdotibus poteſt moleſtum videri, cùm id loquamur, non quod volumus, ſed quod jubemur? In cauſa Dei quem audies, ſi Sacerdotem non audias? Cujus majore peccatur periculo? Quis tibi audebit verum dicere, ſi Sacerdos non audeat?*

3. Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis inter ſuæ ætatis Antiſtites doctiſſimus, quíque ſæpius quatuor Franciæ Regibus, tuendis regni juribus, tum conſilijs ſuis, tum auctoritate magno præſidio fuit, cum uno ex illis, Ludovico videlicet hujus nominis tertio, ita ſe aliquando geſſit, ut facile quivis intelligat, ei perſuaſum fuiſſe, Epiſcopos interdum ſuam Regibus fidelitatem melius teſtari non poſſe, quàm ſi eis præter fas, aut contra Eccleſiæ regulas aliquid molientibus non obtemperent. Effecerat Ludovicus vi & auctoritate ſua, ut vacante Eccleſia Belluacenſi, eligeretur à Clero & populo Aulicus quidam Epiſcopali munere prorſus indignus, quam

electionem ab Hincmaro Metropolita, pro ejus conſtanti totiéſque probata in ſe ac prædeceſſores ſuos Reges fidelitate & obſervantia, confirmari enixè poſtulabat: cui magno animo Hincmarus, tum ſuo, tum comprovincialium Epiſcoporum nomine in hæc verba reſcripſit: *Quod ſcripſiſti, ut ſicut ſemper Regibus prædeceſſoribus veſtris in omni utilitate regni proficuus & devotus fui, ita vobis fidelis & devotus exiſtam; quod & hactenus obſervavi & obſervare cupio. Vos autem ſanctæ Eccleſiæ & ejus rectoribus atque mihi ſervate, quod illi conſervaverunt: & pro devotionis fidelitate, quam vobis cum cæteris fidelibus veſtris, non ſine magno labore ad provectionem regiminis, quo jam nomine dei Dominus etiam virtute, potiti eſtis, nolite mihi retribuere mala pro bonis: ſuadentes, non tamen, auxiliante Domino, perſuadentes, ut in ſenecta mea declinem à ſacris regulis, quod nec pro cupiditate mundi, nec pro amore vel timore hactenus feci, ut à gradu Epiſcopali, quo per triginta & ſex annos, gratia Dei, uſque modo functus ſum, meritò decidam. Non enim excidit mihi à mente ſententia Salvatoris, qua dicitur:* Quid enim proficit homo, ſi lucretur univerſum mundum, ſe autem ipſum perdat & animæ ſuæ detrimentum faciat.... *Et ſi vobis conſenſero, ut contra divinas & humanas leges, & contra veſtram & meam coram pluribus in ſynodo Epiſcopis profeſſionem faciatis, me perdam & vos non ſalvabo, dicente Apoſtolo:* Non ſolum qui faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus, digni ſunt morte. *Epiſt. 12. ad Ludovicum Regem tom. 2. pag. 193.*

4. Hincmaro conſonant Canonici Carnotenſes apud Fulbertum Epiſt. 132. qua Epiſcopos Belluacenſem & Aurelianenſem, & Archiepiſcopum Turonenſem rogant, ut Regi ſuadeant, ne excluſo Epiſcopo ab ipſis Canonicis electo, alium eo munere prorſus indignum intrudat: *Nec*, inquiunt, *propter Regis reverentiam hoc agere pigritemini, quaſi hoc pertineat*

ad

ad fidelitatem ejus. Verè etenim illi fideliores eritis, ſi quæ ſunt corrigenda in regno ejus, correxeritis, & animum ejus ad eandem correctionem compuleritis.

5. Ivo quoque Carnotenſis eruditione & pietate clariſſimus, epiſt. 15. ſcribens ad Philippum I. Regem Chriſtianiſſimum, poſtquam eum de re, quæ ad æternam ejus ſalutem, totiúſque regni bonum pertinebat, graviter ac liberè monuiſſet, hæc ſtatim addit: *Nec iſta contra fidelitatem veſtram, ſed pro ſumma fidelitate dicere arbitror; cùm hoc & animæ veſtræ magnum credo fore detrimentum, & Coronæ regni veſtri ſummum periculum.* Quin & idem religioſiſſimus Antiſtes in epiſt. 35. ad Richerium Senonenſem Archiepiſcopum, plerorúmque Epiſcoporum regiæ libidini in hoc ipſo negotio obſequentium mollitiem atque ignaviam arguens, ſibi ratum fixúmque eſſe declarat, Regi ſe, eo, quo cæperat, modo, fidelem exhibere, ejus videlicet Majeſtati ſalutaria dando monita, libentérque extrema quæque pati malle, quam regium animum indignis ac pernitioſis aſſentationibus delinire: *Quantum*, inquit, *ex intentatis minis intelligo, non licet mihi in conventu veſtro impune dicere veritatem, qui pro jam dicta veritate, tantam ſentio ſeveritatem, ut perjurium arguar incurriſſe & Majeſtatem regiam minuiſſe. Quod, ut pace veſtra dicam, rectius in eos retorqueri poteſt, qui vulnus fomentis incurabile, tanquam pij medici cauterijs competentibus diſſimulant urere.*

6. Jam verò quis ea, quæ hactenus de toto hoc Regaliæ negotio dicta ſunt, attendens, non ſtatim agnoſcat eam eſſe cauſam, in qua vel maximè Epiſcopos hanc libertatem, quæ & eorum Ordini inprimis convenit, & regiam Majeſtatem adeò non minuit, ut potius ipſis Principibus ſummo uſui eſſe poſſit, retinere oporteat? Agitur de inducenda in quamplurimas Eccleſias Regalia, hoc eſt de earum reditibus, quos divino

divino cultui pauperúmque neceſſitatibus deſtinatos eſſe conſtat, regiæ poteſtati, quandiu ſedes vacaverit, addicendis. Agitur de plena ac libera ſacrorum Miniſteriorum, atque Eccleſiaſticorum Beneficiorum diſtributione, quæ res omnino ſpiritualis & hierarchica eſt, Regibus, toto illo vacationis tempore, attribuenda: ídque contra expreſſam Concilij generalis prohibitionem, per quadringentos fere annos hucúſque obſervatam; contra publica ſuperiorum omnium Regum Edicta, & contra perpetuam, & conſtantem earumdem Eccleſiarum poſſeſſionem. Quis in tali caſu dubitet, Epiſcoporum partes eſſe, non ſolum tam atrocem támque manifeſtam Eccleſiârum injuriam, qua earum jus ac libertas peſſumdatur, aſſenſu ſuo non probare, verum etiam ei, pro virili & debito quocumque modo, obſiſtere?

CAPUT XII.

Quid reſpondendum ijs, qui idcirco parendum Edicto ajunt, quòd ſecus agendo nulla ſpes ſit quidquam proficiendi. Ejuſmodi conſideratio ſanctiſſimos quóſq. Epiſcopos nequaquam prohibuit, quominus ſuo officio in ſimilibus caſibus fungerentur: & quo pacto eos nunc imitari oporteat.

1. NOnnulli fortaſſe opponent, ſe quidem pedibus in ſententiam ſuperiori capite declaratam ituros, ſi ſperare poſſent, fore ut hoc modo ſuam Eccleſijs libertatem conſervarent: ſed cùm nulla id obtinendi ſpes affulgeat, conſultius eſſe tempori cedere, atque id prudenti Oeconomia tolerare, quod fruſtra impedire tentes: ſua oppoſitione nihil aliud conſecuturos, niſi ut Regem regióſque Miniſtros offendant, variíſque difficultatibus ſeipſos implicent, quibus Eccleſiarum ſtatus perturbetur, & quidquid

quid aliunde boni efficere poſſent, evertatur: ſatius eſſe, hac rerum conditione, huic ſapientis oraculo auſcultare: *Noli reſiſtere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluvij. Eccleſiaſtici 4. v. 32.*

2. Hæc vel maximè plauſibilis eſt excuſatio eorum, qui in hac cauſa jus libertatémque Eccleſiæ defendere detrectant. At quis non ſtatim advertat ejus excuſationis vanitatem, qua fere utuntur, quotquot timiditate, atque ignavia juſtitiæ & veritatis patrocinium repudiant? Quis præſtare poteſt, prudentiam illam, quam obtendunt, non eſſe fallacem & fucatam, atque ex cupiditate carnis & ſæculi ambitu potius, quam ex ſpiritus ſeu charitatis radice prognatam? Nullúſne ſuſpicandi locus, eos id conſilij cepiſſe ſtudio propriæ quietis, ne ſibi negotia arceſſerent, néve Regis gratia exciderent, eaque omnia incurrerent mala, quibus obnoxij ſunt, qui regiam ſemel benevolentiam amiſerunt? Viderint ipſi, ne in eos quadrent, quæ olim Joannes Sariſberienſis acerrimus libertatis Eccleſiaſticæ defenſor, in cauſa non diſſimili, dixit epiſt. 231. ad Albertum Cardinalem: *Apoſtolus in quo loquitur Chriſtus*, Argue, *inquit*, obſecra, increpa; *& omnem punire inobedientiam promptus, ipſi Angelo, qui in cælis eſt anathema denuntiat, ſi ſe erigat contra Chriſtum & doceat contra Evangelij veritatem. Et audet homuncio monere & conſulere Sacerdoti, ut taceat & diſſimulet injuriam Chriſti, mala faciens, ut veniant bona?*

3. Monet quidem ſapiens contra torrentis impetum non conari, neque Potentium offenſione negotia ſibi arceſſere: at huic monito hanc veluti exceptionem ſtatim ſubjungit: *Pro juſtitia agoniſare pro anima tua, & uſque ad mortem certa pro juſtitia; & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Eccleſiaſtici 4. v. 35.* Quaſi apertius diceret: cùm tua res tuúmque commodum ſolum agetur, potentioribus cede, ne obſiſtendo id unum

conſequaris, ut eorum in te offenſionem & invidiam concites. At ſi periclitantis juſtitiæ & veritatis patrocinium ſuſcipiendum eſt, maximè ubi id ex officio ad te ſpectat, quodvis periculum adi, etiamſi mors oppetenda ſit, próque certo habeas, tunc verè tuis te commodis inſervire, quia Deus adverſus inimicos tuos tibi præſto erit, tuóſque labores ipſe remunerabit.

4. Hanc ſemper regulam ſancti Antiſtites ſervaverunt. Nibil æquè eos commendat, quam quod forti & invicto animo pro juſtitia & veritate certaverint. Ab hoc eos officio nulla pericula nullæ minæ deterruerunt. Se ſuáſque Eccleſias Deo commiſerunt, in hoc unum intenti, ne iniquis de ſubverſione diſciplinæ, & libertatis Eccleſiaſticæ oppreſſione aſſentirentur. Vel unus Epiſcopus, qui ea pietate, ea animi magnitudine, eo divitarum contemptu, denique ijs virtutibus præditus ſit, quas Epiſcopalis ſtatus perfectio poſtulat, ſuffecerit ad ſiſtendam potentium hominum Eccleſiæ juribus imminentium vim & audaciam, ut innumera omnium retro ſæculorum exempla teſtantur.

5. Sin verò pleríque hodie Principes, Eccleſiarum jura tam facile invadentes, neminem ſibi repugnantem offendunt; quis ſcit annon id contingat, quod vix unquam in Epiſcopum incidant, quemadmodum olim ſanctus Baſilicus Præfecto Cappadociæ ejus conſtantiam ac loquendi libertatem demiranti reſpondit: Οὐδὲ γὰρ ἐπισκόπῳ, φησὶν, ἴσως ἐνέτυχες, ἢ πάντως ἂν τοῦτον διειλέχθη τὸν τρόπον ὑπὲρ τοιούτων ἀγωνιζόμενος. Τἄλλα μὲν γὰρ ἐπιεικεῖς ἡμεῖς ὑπάρχομεν, καὶ παντὸς ἄλλου ταπεινότεροι, τοῦτο τῆς ἐντολῆς κελευούσης, καὶ μὴ ὅτι τοσούτῳ κράτει, ἀλλὰ μηδὲ τῶν τυχόντων τινὶ τὴν ὀφρὺν αἴροντες. Οὗ δὲ Θεὸς τὸ κινδυνευόμενον καὶ προκείμενον, τἄλλα περιφρονοῦντες πρὸς αὐτὸν μόνον βλέπομεν. [*Neque enim*, inquit, *fortaſſe in Epiſcopum incidiſti.*

Digitized by Google

diſti. Alioquin hoc prorſus modo diſſeruiſſet pro hujuſmodi rebus in certamen veniens. Nam cæteris quidem in rebus, ô Præfecte, manſueti & placidi ſumus atque omnium abjectiſſimi, quemadmodum hoc nobis lege præſcriptum eſt; ac non dicam adverſus Imperatorem tantum, ſed ne adverſus plebeium quidem quemquam, & infimi ordinis hominem ſupercilium attollimus. Verum ubi Deus nobis periclitatur ac proponitur, tum demum alia omnia pro nihilo putantes, ipſum ſolum intuemur. Gregor. Nazianz. orat. 20. in laud. Baſilij.

6. Annon cùm de Eccleſijs à graviſſimo Regaliæ jugo defendendis agatur, hæc Proverbiorum verba merito quis uſurparit: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne ceſſes. Si dixeris: vires non ſuppetunt, qui inſpector eſt cordis, ipſe intelligit, & ſervatorem animæ tuæ nihil fallit, redditque homini juxta opera ſua. Prov. 24. v. 11. 12.* Hîc Epiſcopos oportet ſperare contra ſpem; cúmque noverint corda Regum in manu Dei eſſe, de illis ad juſtitiam flectendis deſperare non debent, quandocumque eos Dei nomine compellabunt, ejuſque cauſam, quæ ab Eccleſiæ cauſa non disjungitur, apud eorum Majeſtatem agent. Meminerint olim veriſſimè ac ſapientiſſimè dictum, ubi Antiſtites conſtantiæ ac libertatis Ambroſijs æmuli fuerint, non defuturos quoque Principes, qui Theodoſium pietate & religioſa in Sacerdotes obſervantia imitentur. Cùm econtra nulla alia res magis Principum aliorúmque Magnatum vim & audaciam inflammet, eíſque ad quidvis audendum ſtimulos addat, quam ubi vident, ea quæ ab ipſis contra juſtitiam perpetrata ſunt, cum publico applauſu excipi, non ab aulicis modo & inferioris ordinis hominibus, ſed ab ipſis etiam Epiſcopis, penes quos legis divinæ rerúmque ad ſalutem ſpectantium ſcientia; qui & hujuſmodi facinora ſuo aſſenſu confirment, &, quod adhuc

indignius eſt, eos reprehendere & condemnare non vereantur, qui tam injuſtis potentium, atque aulicorum conatibus reſiſtere ſui officij eſſe putaverint.

7. Verum nihil eſt, quod Epiſcopos ad cauſam Eccleſiæ in hoc Regaliæ negotio ſuſcipiendam æquè excitare debeat, ac Innocentij XI. Sanctiſſimi Pontificis exemplum, atque auctoritas, utpote qui ea de re litteras flagrantiſſima charitate & Zelo verè Apoſtolico refertas ad Regem Chriſtianiſſimum, pro ea, quam omnium Eccleſiarum gerit, ſolicitudine, ſcripſit. Quis enim jam de hujus cauſæ exitu non bene ſperet, præſertim ſi Galliarum Epiſcopi ſuo ſe Capiti adjungant, ut uno ore conjunctiſque animis Regi oſtendant, quantum ſuæ Majeſtati in hoc negotio obreptum fuerit, & quam pernitioſum, atque ab ejus pietate, & juſtitia alienum ei datum ſit conſilium? Quid verò eos prohibere debet, quo minus id exequantur? An verentur, ne Regi diſpliceant, ſi quæ ſunt veritatis & juſtitiæ, ei indicaverint? Næ potius, ſi ita ſentiant, valde in ejus Majeſtatem injurioſi ſint. Quid enim odioſius, quam exiſtimare Regem ita affectum eſſe, ut agnitam veritatem ſit repudiaturus, & optimos quóſque Epiſcopos, quod ei injuſtè adulari noluerint, regia, quam eis debet, benevolentia & tutela privaturus, aut etiam tanquam læſæ Majeſtatis reos puniturus? Quis neſciat, vel optimos ac ſapientiſſimos Principes, miniſtrorum aliorúmque hominum, qui gratia & auctoritate apud eos pollent, malitia & adulationibus, nonnunquam in fraudem impelli? Quis melior aut ſapientior Davide, quem ſcriptura *virum ſecundum cor Dei* appellat, quique dono prophetiæ excelluit? Falſa tamen delatione deceptus iniquiſſimam ſententiam tulit, inſontis viri bona importuniſſimo nebuloni adjudicans. Quid mirum igitur ſi Rex Chriſtianiſſimus tot curis in florentiſſimi imperij gubernatione

natione diſtentus, minus æquis quorundam ſuorum Officialium conſilijs aures præbuit; ídque in rebus, quas, ut plurimum, Reges per ſeipſos perſpectas habere non ſolent, quales ſunt res Eccleſiaſticæ; præſertim cùm in hac cauſa ijdem Officiales ſtudium conſervandi jura coronæ præ ſe ferrent?

8. Quid non de hoc negotio ſperandum eſſet, ſi, cùm duo tantum hactenus Antiſtites, Nicolaus videlicet *Pavillon* felicis memoriæ Epiſcopus Alectenſis, & Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Franciſcus *Caulet* Epiſcopus Appamienſis jus ac libertatem Eccleſiæ palam defenderint; cæteri omnes, quorum etiam cauſa agitur, ad Regem, ea, qua par eſt, reverentia, ab incæptis dehortandum concurrerent? Quid non merito ſibi tum ab ejus juſtitia & æquitate, tum etiam à ſingulari illa ingenij vi & perſpicacia, quâ, præter alias præclaras dotes, à Deo donatus eſt, polliceri poſſent; ſi una omnes cum debito honore, nihil privatorum ſtudiorum præ ſe ferentes, ſed quiete, modeſtè & cum pari animi magnitudinis & ſapientiæ teſtificatione, ad ſuam Majeſtatem accederent, cauſas expoſituri, cur, ſalva conſcientia, ejus Edicto parere non poſſint? Quid, illa ejus benignitas, qua vel infimos ſubditos excipit, quantum animi ac fiduciæ ijs, quos Patrum & Paſtorum loco habet, injicere deberet, maximè in cauſa adeò gravi, juſta, & ſpeciali favore digna, quæ unicè ad Eccleſiæ bonum & dignitatem ſpectet, & de qua, ſola officij neceſſitate compulſi, ad ſuam Majeſtatem verba facerent? Quam facile ejus animum permoverent, dum ei in memoriam revocarent ſolemnem illam promiſſionem, quâ Deo in ipſa inauguratione pollicitus eſt, ſe Epiſcopis eorúmque Eccleſijs *Canonicum Privilegium debitámque legem atque juſtitiam* ſervaturum, hoc eſt jura, immunitates & prærogativas à ſacris Canonibus, aut per regia Edicta eis attributas: dum illi exponerent, quid ſanctus

Ludovicus morti proximus Philippo filio dixerit, quando eum admonuit, ut inprimis caveret, *ne unquam Clerici ſuis juribus ac reditibus, aut eleemoſynis, quas Prædeceſſores Reges eis reliquerant, ſpoliarentur; utque ſingulis ſubditis, immunitates, quas hucuſque retinuerant, conſervaret:* Poſtremo dum ei explicarent, quod ſicut hactenus florentiſſimi regni proſperitas eximiæ Chriſtianiſſimorum Regum pietati, & propenſo in Eccleſiam ſtudio accepta referri debet; ita nihil regnis infeſtius ſit, quódque magis benignos cœli influxus ab eis avertat Deique iram provocet, quam ſi bona Eccleſiæ diripiantur, ejuſque jura & immunitates violentur.

CAPUT XIII.

Epiſcoporum eſt, malle extremâ quæque pati, quam ſinere Eccleſias juribus ac libertatibus ſuis ſpoliari. Sanctorum Patrum, ea de reſenſus.

1. NOn ſufficit, ut Epiſcopi apud Reges alióſque ſæculi Magnates Eccleſiæ cauſam liberè agant, niſi etiam parati ſint graviſſima quæque ſubire pericula, antequam eam ſua libertate ac juribus ſpoliari patiantur: idque maximè ubi de re gravi agitur, quam Chriſtiana Prudentia diſſimulare non ſinit, cúmque ab eis non tantum exigitur, ut factam Eccleſiæ injuriam ſilentio prætereant, ſed expreſſo aſſenſu comprobent. Tunc enim ad omnia paratos, & forti atque invicto animo eſſe oportet, memoria repetentes, monuiſſe Chriſtum, temporaria hominum mala nihil habenda, præ metu æternorum, quæ ſacra Pagina nominatim timidis minatur. Tunc eis iſtud Apoſtolorum, quorum in locum ſucceſſerunt, uſurpandum eſt: *Si juſtum eſt, in conſpectu Dei vos potius audire, quam Deum, judicate. Act. 4. v. 19.* Itémque illud

illud: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. Act. 5. v. 29.* Tunc denique hanc Principis Apoſtolorum regulam debent attendere: *Deum timete, Regem honorificate 1. Pet. 2. v. 17.* Qua præcipitur, Reges quidem & eos, qui in ſublimitate ſunt, debito honore proſequendos, ſed primo loco Deum optimum Maximum habendum; ita ut nulla unquam nos ratio pertrahat ad eum offendendum, qui æquè Regum, ac cæterorum hominum ſupremus eſt Dominus.

2. Hinc conſtantia & animi magnitudo propriæ Epiſcoporum dotes ſemper habitæ ſunt. Eorum perſonam geſſit Jeremias, eiſque officio quodammodo præivit, dum illum Deus his verbis affatus eſt: *Accinge lumbos tuos, & ſurge, & loquere ad eos omnia, quæ ego præcipio tibi: ne formides à facie eorum; nec enim timere te faciam vultum eorum. Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum, ſuper omnem terram.... Et bellabunt adverſum te, & non prævalebunt; quia ego tecum ſum, ait Dominus, ut liberem te. Jer. 1. v. 17. 18. 19.*

3. Neque verò hoc invicti animi robur, quo Chriſtus Epiſcopos armavit, dum in eos Sacerdotij ſui ac poteſtatis plenitudinem contulit, prioribus duntaxat Eccleſiæ ſæculis opus fuit, cùm eam Ethnici Imperatores incredibili furore perſequerentur, ac præcipuè Epiſcopos tanquam gregis duces è medio tollerent. Eadem hæc conſtantia atque animi fortitudo, reddita Eccleſiæ pace, poſtquam Imperatores & Reges Chriſto nomen dederunt, ſæpe haud minus ex uſu fuit; ſive cùm aliqui Principes hæreticorum fraudibus decepti, aut erroribus depravati, fidem oppugnarunt, & præclaros quoſque ejus defenſores exilijs alijſque pœnis mulctarunt: ſive cùm alij, illæſa Eccleſiæ fide, ejus libertati & juriſdictioni adverſati ſunt, vel Epiſcopos cæteróſque ſacros Miniſtros ad

ea

Digitized by Google

ea quæ juſtitiæ & legi divinæ apertè repugnabant, cogere voluerunt.

4. Id præclarè oſtendit S. Joannes Chryſoſtomus, qui eo tempore vixit, quo jampridem Eccleſia Imperatores Chriſtianos & religionis amantes habebat, Epiſcopos docens ita ſemper affectos eſſe oportere, ut libenti animo gradus & dignitatis jacturam faciant, potius quam proprio in defendenda veritate & juſtitia officio deſint. Οὐ δεδοικὼς γὰρ ταύτης καθαίρεσιν τῆς ἐξουσίας, μετὰ τῆς προσηκούσης χριστιανοῖς ἐλευθερίας πάντα πράττειν δύναιτ' ἄν. Ὡς οἵγε φοβούμενοι καὶ τρέμοντες κατενεχθῆναι ἐκεῖθεν, πικρὰν ὑπομένουσι δουλείαν, καὶ πολλῶν γέμουσαν τῶν κακῶν, καὶ ἀνθρώποις καὶ Θεῷ προσκρούειν ἀναγκάζονται πολλάκις. Δεῖ δὲ οὐχ οὕτως διακεῖσθαι τὴν ψυχήν, ἀλλ' ὥσπερ ἐν τοῖς πολέμοις τοὺς γενναίους τῶν στρατιωτῶν ὁρῶμεν καὶ πολεμοῦντας προθύμως καὶ πίπτοντας ἀνδρείως, οὕτω καὶ τοὺς ἐπὶ ταύτην ἥκοντας τὴν οἰκονομίαν, καὶ ἱερᾶσθαι χρὴ καὶ παραλύεσθαι τῆς ἀρχῆς, ὡς χριστιανοῖς ἐστι προσῆκον ἀνδράσιν, εἰδότας ὡς ἡ τοιαύτη καθαίρεσις οὐκ ἐλάττονα φέρει τῆς ἀρχῆς τὸν στέφανον. [*Qui enim*, inquit, *de ſolio deturbari non formidat, hic cum ea libertate, qua Chriſtianas mentes decet, omnia exequi potuerit. Dura autem & acerba, atque adeo multis referta incommodis illorum eſt ſervitus, qui honoris hujuſmodi caſum reformidant; ob quem ſæpenumero fit, ut & hominum & Dei optimi maximi offenſionem ſubire cogantur. Decet autem affectus noſtros tales non eſſe: ſed quemadmodum in prælijs videmus generoſiſſimos quoſque milites alacriter manum cum hoſte conſerere, tum ſi ita res ferat, fortiter occumbere; ita oportere puto animatos eſſe, qui ad miniſterij hujus functionem ſe conferunt, ut quod verè Chriſtianos viros decet, & conſecrari & ſummoveri juxta parati ſint, cùm intelligant ſummotionem privationémque hujuſmodi non inferius præmium afferre ſolere, quam honor ipſe afferat. Lib. 3. de Sacerdotio cap. 11.*

5. Similiter

5. Similiter ſanctus Hilarius Eccleſiæ Gallicanæ clariſſimum decus, Imperatorem Chriſtianum, tametſi Arrianorum fautorem deſignabat, dum mollem plerorúmque Epiſcoporum erga Principes obſequentiam ita coarguit: *Plerúmque nos tanquam pro debita officij religione piè adulari Regibus exiſtimamus, quia in corpus noſtrum ſit his aliquid poteſtatis .... & propter brevem dolorem, libertatem Eccleſiæ, ſpei noſtræ fiduciam, confeſſionem Dei addicimus; punitorem perditorémque in igne judicij & corporis & animæ noſtræ Deum non timentes. In Pſalm. 52.*

6. Facundus Hermianenſis in Africa Epiſcopus, qui ſexto poſt Chriſtum ſæculo eruditione celebris fuit, in egregio opere pro defenſione trium Capitulorum, quod ipſi Imperatori Juſtiniano inſcripſit, præclarè docet, quænam ſint in hujuſmodi cauſis Epiſcoporum partes, ubi ad eos reſpondens, qui quibuslibet Principum Edictis etiam circa res Eccleſiaſticas promulgatis, omnino parendum contendebant, ſic loquitur: *Quaſi verò propter hoc tantum ordinati ſimus Epiſcopi, ut ditemur Principum donis, & cum eis inter maximas poteſtates conſedeamus, tanquam divini Sacerdotij privilegijs fulti: ſicubi autem fallacijs malignorum, quæ nullis temporibus defuerunt, aliquid eis inter tantas Reipublicæ ſuæ curas, ſubreptum fuerit, quod Eccleſiæ Dei præjudicet vel Eccleſiæ pacem turbet, non eis debeamus pro ipſorum ſalute, quæ ſunt vera ſuggerere, & ſi neceſſe fuerit, religionis auctoritate reſiſtere, ac patienter quoque offenſionem quoque illorum, ſi acciderit, ſuſtinere: & ubi erit illud propheticum:* Et loquebar de teſtimonijs tuis in conſpectu regum, & non confundebar? *Niſi forte Paſtores quidem ad lac & vellera, ad avertendas verò luporum inſidias & tuenda ovilia, deſertores. Lib. 4. cap. ult.*

7. At cùm ea in re Sanctorum facta plus adhuc ad perſuadendum ponderis habeant, quam verba, nonnulla hîc Sanctorum Antiſtitum exempla proferemus, qui magno

Digitized by Google

animo atque Apoſtolico pectore, Principibus alijſque ſæculi Magnatibus injuſta & legi divinæ contraria molientibus, reſtiterunt. Et ne extra argumenti metas excurramus, ea tantum ſeligemus, quæ ad ſacrorum locorum, aut Eccleſiæ jurium & immunitatum defenſionem ſpectant. Ex quibus etiam exemplis planum fiet, quam verè Chriſtus, juxta promiſſa ſua Epiſcopis aſſiſtat, eóſque invictos reddat, quoties ejus partes cauſámque ſuſcipiunt. Facile enim quivis advertet, eorum, quos adducturi ſumus, Antiſtitum fidem & conſtantiam ſecundos, ut plurimum, exitus habuiſſe, Deo corda Principum in eos ſævientium mitigante, atque ab ira & crudelitate, in manſuetudinem ac benevolentiam convertente.

CAPUT XIV.

Sanctorum Epiſcoporum exempla, qui ius & immunitatem Eccleſiæ contra vim & uſurpationem Principum aliorúmve hominum præpotentium defenderunt.

1. CLariſſimum Sacerdotalis conſtantiæ in vindicandis Eccleſiæ juribus exemplum edidit ſanctus Ambroſius, quando Mediolani Eccleſiam Arrianis tradere invicto animo recuſavit, atque adeò Valentiniani Imperatoris à Juſtina matre Arriana concitati Edicto, ea de re promulgato, nequaquam parendum judicavit. Quid in hac contentione acciderit, ipſemet narrans teſtatur, ſe ad quodlibet periculum adeundum ipſámque mortem oppetendam paratum fuiſſe, potiuſquam ea in re Imperatoris mandato obtemperaret. Tribuno alijſque Officialibus Imperatoris juſſa ei in Eccleſia, adſtante populo, denuntiantibus, reſpondit: *Se plus Dominum mundi, quam ſæculi hujus Imperatorem timere. Deinde* (verba ſunt ſancti

Digitized by Google

ſancti Antiſtitis) *me conſulere etiam Imperatoris ſaluti, quia nec mihi expedit tradere, nec illi accipere. Accipiat enim vocem liberi Sacerdotis: ſi vult ſibi eſſe conſultum, recedat à Chriſti injuria. Hæc plena humilitatis ſunt, &, ut arbitror, plena affectus ejus, quem Imperatori debet Sacerdos.* Cúmque illi inſtarent, ſolitaque Aulicorum adulatione dicerent: *Imperatorem ſuo jure uti, eo quòd in poteſtate ejus eſſent omnia*; reſpondit his verbis: *Si à me peteret* (Imperator) *quod meum eſſet, id eſt, fundum meum, argentum meum, me non refragaturum ſciat; quamquam omnia, quæ mea ſunt, eſſent pauperum. Verum ea, quæ divina, Imperatoria poteſtati ſubjecta non eſſe. Noli te gravare, Imperator, ut putes te in ea, quæ divina ſunt, Imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere; ſed ſi vis diutius imperare, eſto Deo ſubditus. Scriptum eſt: quæ Dei, Deo; quæ Cæſaris, Cæſari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Eccleſiæ. Publicorum tibi mœnium jus commiſſum eſt, non ſacrorum.* Denique cùm vim ſe facturos minitarentur, ait: *Si patrimonium petitur, invadite: ſi corpus, occurram. Vultis in vincula rapere, vultis in mortem? Voluptati eſt mihi. Non ego me vallabo circumfuſione populorum, nec altaria tenebo, vitam obſecrans, ſed pro altaribus gratius immolabor. Orat. in Auxentium de Baſil. trad. & epiſt. 33. ad Marcellinam ſororem ſuam.* Tres ſolidos dies duravit hic conflictus, quibus ſanctus Ambroſius in Eccleſia permanſit innumera fidelis populi multitudine circumfuſus, quæ ne quidem per noctem ab eo feceſſit. Neque hæc generoſa ejus perſeverantia optato fine caruit. Valentinianus ſiquidem ab inceptis deſtitit, mutatóque conſilio nullam amplius ſancto Archiepiſcopo atque Eccleſiæ moleſtiam exhibuit.

2. In ſimili facto ſanctus Joannes Chryſoſtomus Arcadio Imperatori, qui Arrianis, ad poſtulationem Gainæ Gothorum Ducis Arriani, Eccleſiam Conſtantinopoli promiſerat, minimè

minimè obſequendum putavit. Quin potius ſuæ Majeſtati apertè declaravit, ſe nunquam aſſenſurum, ut in qua æde Catholici Filium Dei coluiſſent, in eam inducerentur Hæretici, qui illum ſacrilega ſua impietate offenderent; petivitque, ut ſibi coram ſua Majeſtate in Gainæ congreſſum venire permitteretur. Quod ubi conceſſum fuit, ea libertate, atque eloquentia barbarum Ducem confutavit, ut ne hiſcere quidem auſus fuerit; atque ita Imperator animum recipiens meliúſque conſultus, quod Hæretici poſtulabant, conſtanter recuſavit. Idem ſanctus Archiepiſcopus in cauſa publica cujuſdam præpotentis Aulici, qui gratia Imperatoris exciderat, & læſæ Majeſtatis poſtulatus ad Eccleſiam confugerat, officij ſui eſſe duxit, jus aſyli & ſacrorum locorum immunitatem ſolita ſua conſtantia propugnare: quod ejus factum cùm pleríque Aulici & optimates valde improbarent, eorum accuſationem incredibili animi magnitudine, atque auctoritate depulit.

3. De ſancto Injurioſo Archiepiſcopo Turonenſi jam actum eſt libro 1. cap. 3. Publico Edicto juſſerat Clotarius Rex, ut omnes Eccleſiæ tertiam redituum partem fiſco deferrent. Reliqui Epiſcopi, etſi inviti, juſſa Regis ſe facturos promiſerunt. Solus Injurioſus Edicto ſubſcribere recuſavit. Clotarium adijt, eaque ſapientia, atque animi magnitudine illum allocutus eſt, ut ejus oratione commotus Rex, peccatum agnoverit, atque Edicto reſciſſo, etiam munera ſancto Archiepiſcopo dederit, humiliter ab eo petens, ut precibus ſanctum ſibi Martinum propitium redderet, quò facilius errati veniam à Deo conſequeretur.

4. Plura hujus ſacerdotalis conſtantiæ exempla ſuppeditat Anglia, cùm nullibi frequentius Reges jus libertatémque Eccleſiæ imminuerint. Guillelmus Nothus Normaniæ Dux, qui

qui ob partam armis Angliam *Victor* appellatus eſt, multa in Eccleſiarum damnum molitus eſt, atque Epiſcopos, Abbates alióſque Beneficiarios, qui feuda poſſidebant, inſolitis & extraordinarijs ſervitijs oneravit. Multi, quòd regio Edicto parere nollent, regno excedere, & in exilium abire juſſi ſunt. Stigandus Cantuarienſis Archiepiſcopus, & Alexander Epiſcopus Lincolnienſis violentiam Regis metuentes, ultro in Scotiam ſeceſſerunt. Solus Eghelvvinus Dulmenſis Epiſcopus tametſi exilio pulſus, excommunicationis gladium in eos, qui Eccleſias ſuæ Diœceſis, earumque bona & poſſeſſiones invadebant, Zelo Dei accenſus, vibravit. Hæc fusè narrantur à Matthæo Pariſ. ad annum *1070*.

5. Ex tot Epiſcopis, qui Eccleſiæ libertatem per Italiam, Germaniam, Franciam, Angliam in celebri Inveſtiturarum controverſia, magna animi conſtantia defenderunt, ſufficiat hic commemorare Beatum Anſelmum è Gallia oriundum, & in Anglia Cantuarienſem Archiepiſcopum totiúſque regni Primatem. Is pari doctrinæ ac pietatis laude inſignis, ubi primum in Cantuarienſi ſede collocatus eſt, certam pecuniæ ſummam ratione ſuæ promotionis, Guillelmo II. Angliæ regi ſolvere, prout prædeceſſorum Archiepiſcoporum mos fuerat, recuſavit. Deinde verò eidem Regi magno animo reſtitit, quòd occaſione Inveſtiturarum multa in Eccleſiarum oppreſſionem perpetraret; quippe qui earum reditus, quandiu ſedes vacaret, ad fiſcum deferri juberet, abſolutámque Epiſcoporum & Abbatum nominationem, ſublata electionum libertate, ad ſe traheret. Eam ob cauſam ſanctus Archiepiſcopus non ſecus habitus eſt, quam ſi læſæ Majeſtatis reus peractus fuiſſet, eóque derelicto, omnes fere Epiſcopi Regi ſeſe adjunxerunt. Hinc conſultius judicavit, relicta Anglia, Romam pergere, ubi ab Urbano II. Summo Pontifice huma-

niſſimè, atque honorificentiſſimè acceptus eſt. Inde Lugdunum ad Joannem Archiepiſcopum ſibi amiciſſimum ſeceſſit, apud quem toto triennio commoratus eſt, ejus interea bonis ac reditibus in Anglia, Regis juſſu, occupatis, & fiſco addictis. Mortuo Guillemo II. ab Henrico I. ejus ſucceſſore revocatus eſt Anſelmus. Sed paulo poſt nova in eum exorta eſt tempeſtas, ob eaſdem Inveſtituras, quas ſibi Henricus, perinde ac Prædeceſſor, vindicabat, tametſi noviſſimè in varijs Concilijs à Romanis Pontificibus damnatæ fuiſſent. Iterum igitur Anſelmus exulare cogitur, & Romam confugere, unde in Galliam digreſſus, totos fere quatuor annos in ea hæſit, ejus bonis ac reditibus in Anglia, iterum fiſco addictis. Tandem Henricus ad ſe redijt, & Eccleſiæ Romanorúmque Pontificum decretis morem gerens, priſtinum Antiſtites inveſtiendi modum dimiſit, ſanctúmque Anſelmum in Angliam revocavit, qui redux Cantuarienſem Eccleſiam tres adhuc annos liberè & ſumma cum pace adminiſtravit.

6. Illuſtre verò, & præſenti cauſæ imprimis aptum eſt, exemplum ſancti Thomæ, qui poſt aliquot annos in Archiepiſcopatu Cantuarienſi ſancto Anſelmo ſucceſſit, ejuſque in defendendis Eccleſiæ juribus, & immunitatibus conſtantiæ ex aſſe heres ac perfectus æmulator fuit. Neminem fugit, quanta quámque diuturna mala eam ob cauſam ſubire coactus ſit, tandémque eum in hoc certamine glorioſam Martyrij coronam adeptum eſſe. Ex Cancellarij munere ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem nominatione Henrici II. Angliæ Regis aſſumptus erat. Brevi in ea dignitate Henrici gratia excidit, quòd regiorum officialium in Eccleſiaſticam juriſdictionem molitiones, varióſque uſus Eccleſiæ libertati infeſtos diſſimulare non poſſet. Inter alia ſolebat Rex univerſos Epiſcopatuum, atque Abbatiarum vacantium fructus, tanquam domini-

dominicos ſeu feudales ſibi ſumere, atque etiam ſæpe dedita opera electiones differre, quò diutius Eccleſiarum ſpolijs potiretur. Id ſanctus Thomas ferendum non putavit, eaque potiſſimum cauſa fuit, quæ Henricum in eum concitavit, ut vetus Hiſtoricus teſtatur his verbis:

Itaque cauſa fuit, aliјs ſpecialior, ob quam
Enſe trucidavit Thomam trux ille beatum,
Qui tam perverſos ritus abolere volebat.
Willelmus Briton. lib. 8. Philippid. apud
Ducheſnium tom. 5. pag. 187.

PRimùm haſce regias conſuetudines, ut eas Henricus appellabat, in conventu Epiſcoporum aliorúmque Magnatum ſanctus Antiſtes ſubſcriptione ſua noluit comprobare. Poſtea tamen in altero conventu, tum precibus amicorum ac plurimorum Epiſcoporum, tum etiam lachrymis victus, eas ſe bona fide obſervaturum, adhibito jurejurando, promiſit. Sed vix è loco conventus receſſerat, cùm peccatum agnovit, cujus adeò eum pœnituit, ut vim lachrymarum profundens, ſtatim ad Summum Pontificem tunc in Gallia commorantem miſerit, qui errati abſolutionem ſuo nomine peteret, interim ab altari ſacriſque functionibus, quibus ſe indignum reputabat, abſtinens. Ex hoc lapſu cautior ac fortior evaſit, & incredibili poſtea animi firmitate jus libertatémque Eccleſiæ, tametſi ab omnibus deſertus, propugnavit, cæteris pene Epiſcopis adverſus eum cum Rege conſpirantibus. Ex Anglia clam excedens, in Galliam ſe recepit, ubi à Ludovico VII. Rege Chriſtianiſſimo ſumma benignitate exceptus eſt, qui ei pacem & ſecuritatem in regno ſuo conceſſit, præclara hæc verba adjungens: *Hoc de priſtina dignitate diadematis*

diadematis Regum Francorum eſſe, ut exules perſonæ Eccleſiaſticæ, Regum & regni ſecuritate & pace fruantur, & à perſecutorum injuria defendantur. Deinde Senonas ad Alexandrum III. Pontificem Maximum, qui tunc in ea civitate morabatur, contendit, & in publico ejus auditorio, aſſidentibus S. R. E. Cardinalibus, ſuæ profectionis cauſas totiúſque negotij ſummam expoſuit. A Pontifice laudatus, & Abbati Pontiniacenſi, qui præſens aderat, commendatus, Pontiniacum ſeceſſit: unde biennio poſt, minacibus Henrici regis ad Ciſtercienſis Ordinis Præpoſitos litteris exturbatus, Senonas redijt, ubi Ludovici regis favore, & munificentia ſuſtentatus eſt, ejus bonis & facultatibus jam inde ab initio exilij, Henrici juſſu, fiſco addictis, cunctiſque amicis & cognatis ex Anglia ejectis. In tanta afflictione & calamitate ſanctus Archiepiſcopus, editis magna cum auctoritate ordinationibus ſcriptiſque egregijs epiſtolis, ſuæ Eccleſiæ libertatem tueri non deſtitit. Quin etiam aliquot Epiſcopos, alióſque tum Clericos, tum Laicos, malorum, quibus Cantuarienſis Eccleſia vexabatur, præcipuos auctores, vel miniſtros, excommunicavit. Tandem poſt ſeptem annos in exilio exactos, cum Henrico, opera Ludovici Regis Chriſtianiſſimi, in gratiam redijt, & ad propriam Eccleſiam reverſus eſt; ubi paulo poſt, cùm paſtorale munus ſolita ſua pietate & conſtantia obire pergeret, in ipſa Cathedrali Eccleſia à quatuor militibus, qui hoc pacto ſe Regis gratiam inituros ſperabant, trucidatus eſt. Eum mox tota Eccleſia, ut Martyrem venerata eſt, variáque ad ejus ſepulchrum, aut per ejus implorationem edita ſunt miracula, inter quæ non infimum locum tenet ipſa Henrici regis converſio, cui ſummè doluit, quòd vel imprudens impijs ſatellitibus tam immanis ſceleris admittendi occaſionem dediſſet. Quapropter facti pœnitens ad ſancti Thomæ tumulum, nudis

pedibus

pedibus vilique tunica amictus, magna cum humilitate venerabundus acceſſit, impoſitámque ſibi à Summo Pontifice per Legatos pœnitentiam ſubmiſſo animo excepit, atque inprimis ſe conſuetudines illas, quæ ſanctiſſimi Præſulis neci occaſionem præbuerant, abrogaturum promiſit.

7. Sanctus Hugo Epiſcopus Lincolnienſis ex ſacro Carthuſianorum Ordine aſſumptus, cum ejuſdem Henrici II. Regis Angliæ Officialibus Eccleſiæ Lincolnienſis jura imminuentibus acriter contendit, eaque de cauſa regiarum Sylvarum Magiſtrum excommunicatione percellit, à qua, etſi Rege cauſam ſuſcipiente, non ante abſolutus eſt, quam peccatum agnoſcens, ex Epiſcopi præſcripto ſatisfacturum ſe promiſiſſet. Idem Epiſcopus. Richardo I. Henrici II. filio & hærede, injuſtis regiorum Miniſtrorum vexationibus, quibus Diœceſis ſuæ homines premebantur, obſtitit, Apparitores, qui cum militum manu ad ejus domum expilandam venerant, excom̄unicavit, ac deinde, trajecto mari, ad Richardum regem tunc in Normania morantem, perrexit. Is tametſi natura ferox, & ob ea, quæ acciderant, non mediocriter offenſus, ſanctum Epiſcopum, præter omnium opinionem, benignè excepit, cujus ſapientiſſimis verbis, & rationum pondere placatus, poſtquam eum cum pace ac debito honore dimiſit, ad aſtantes aulicos converſus hoc memorabile dictum adjecit: *Si omnes Epiſcopi tales eſſent, nihil adverſum eos poſſent, ſive Reges, ſive Principes.* Apud Surium ad diem 17. Novembris.

8. Sanctus Anthelmus Bellicenſis apud Sebuſianos Epiſcopus, ex Ordine Carthuſianorum pariter aſſumptus, haud diſſimilem in tuendis Eccleſiæ immunitatibus conſtantiam præ ſe tulit. Nam Hubertum Comitem, Cleri facultates ac jura invadentem, anathemate percuſſit, qui cùm per fraudem à Summo Pontifice abſolutus eſſet, Anthelmus Epiſcopatu ſe

abdicans, in magnam ſe Carthuſiam, uni Deo poſthac vacaturus, abdidit. Poſtmodum, efflagitante populo Bellicenſi, à Summo Pontifice revocatus, in obeundo munere paſtorali nihil de priſtino fervore remiſit; nec Hubertum Comitem, qui culpæ conſcius obtentæ à Romano Pontifice abſolutioni diffidebat, Eccleſiæ prius reconciliavit, quàm præſcriptam publicè pœnitentiam, fideliter ſe peracturum promiſiſſet.

9. Bartholomæus à Martyribus Bracharenſis Archiepiſcopus, & ſanctus Carolus Borromæus S. R. E. Presbyter Cardinalis ac Mediolanenſis Archiepiſcopus, qui ſuperiore ſæculo virtutum, & doctrinæ ſplendore toti Eccleſiæ præluxerunt, magno etiam animo, & ſacerdotali conſtantia Eccleſiaſticam juriſdictionem, & Cleri immunitatem tutati ſunt, ut in eorum vitis, quæ omnium manibus teruntur, videre licet.

10. His poſſent adjungi exempla Sanctorum Antiſtitum Præjecti Claromontenſis, apud Bollandum 25. Januarij, Wilfridi Eboracenſis, apud Surium 12. Octobris, Guillelmi Bituricenſis, apud Surium 10. Januarij, Joannis Vicentinenſis apud Bollandum 10. Martij, Alberti Leodienſis ex geſtis Pontificum Leodienſium tom. 1. Engelberti Colonienſis apud Surium 7. Novembris, Antonini Florentini apud Surium 2. Maij, aliorúmque plurium, quæ apud Scriptores Annalium Eccleſiaſticorum leguntur. Sed lectorum tædio parcendum; cùm ex ſupra memoratis abunde probatum ſit, varijs Eccleſiæ temporibus, ſanctiſſimos quóſque Epiſcopos, cum ſcriptis, tum verò adhuc clarius factis docuiſſe, præpoſitorum Eccleſiæ munus eſſe, ut pro tuenda ejus libertate, quodvis periculum adire, ac, ſi res ita tulerit, etiam vitam profundere, parati ſint.

Finis Libri Tertij.

LIBER

Digitized by Google

LIBER QVARTVS.

In quo reſpondetur ad ea, quæ contra doctrinam ſuperiorum Librorum opponuntur, & expenduntur Argumenta, quibus nonnulli Regaliæ ad omnes Regni Eccleſias extenſionem, aliáque in hac materia contra priſtinum jus ac libertatem Eccleſiæ inducta, defendere conantur.

CAPUT PRIMUM.

Huius libri argumentum. Falſitas duarum propoſitionum, quibus Regaliæ extenſio ad omnes Galliæ Eccleſias nititur.

1. QUæ ſuperioribus libris pro aſſerenda Eccleſiarum libertate dicta ſunt, rationbus tam firmis, támque inconcuſſis nituntur, ut quiſquis ea paulo attentius legerit, vix de jure Eccleſiæ dubitare, aut quidquam, quod ad illud infirmandum alicujus ſit momenti, proferre poſſe videatur. Ut tamen totum hoc argumentum adhuc clarius explicetur, operæ pretium duxi, quarto hoc libro nonnullas regiorum Officialium oppoſitiones diluere, ac præcipuas refellere rationes, quibus ſententiæ ſuæ, atque incæptis aliquam veritatis, & juſtitiæ ſpeciem conciliare conantur. Ex his autem, ea maximè expendam, quibus Re-

Digitized by Google

galia generalis eſſe aſſeritur, ejúſque ad omnes Regni Eccleſias regio Edicto facta extenſio defenditur, quod præcipuum ac fere unicum eſt hujus controverſiæ caput. Ex qua tractatione Eccleſiarum à Regalia immunium jus ac libertas magis magiſque declarabitur, omnibúſque planum fiet, quantum Chriſtianiſſimi Regis religioni in hujuſce Edicti promulgatione obreptum fuerit.

2. Qui ſuam Majeſtatem ad extendendam per totum regnum Regaliam induxerunt, duo ſibi tanquam certa & explorata ſumpſiſſe videntur: Alterum, Regaliam eſſe jus Coronæ; Alterum jus iſtud neque alienationi, neque præſcriptioni, ſubjacere. Id vel ipſa Edicti lectione patet, quod apertè his duabus propoſitionibus, tanquam ſuis fundamentis innititur. Ut itaque planum fiat, ab iſtis Officialibus Regi obreptum eſſe, ſat erit, utrámque hanc propoſitionem, prout ab illis traditur, falſam omnino ac inanem oſtendere, quod quidem ex ijs, quæ ſuperioribus libris demonſtrata ſunt, facilè confici poteſt.

3. Quod ad priorem propoſitionem ſpectat, qua Regalia jus Coronæ eſſe dicitur, obſervandum id non ita ab eis intelligi, quaſi jus Regaliæ, Chriſtianiſſimis Regibus eorúmque Coronæ, per Eccleſiæ conceſſionem vel antiquam poſſeſſionem legitimè quæſitum ſit. Alioquin inde non inferrent, illud generale eſſe oportere; tum quia probè norunt, Reges Franciæ in omnibus regni Eccleſijs eo nequaquam uſos fuiſſe; tum quia nullam aliam Eccleſiæ conceſſionem proferre poſſunt, præter Decretum Concilij Lugdunenſis, quo tantum abeſt, ut Regalia generalis declaretur, ut potius ejus ad Eccleſias liberas extenſio ſub graviſſimis pœnis interdicatur. Reſtat itaque, ut hoc dicto ſignificent, Regaliam eſſe jus coronæ proprium, & naturale, quod Regi-

bus

bus ſola vi regiæ dignitatis, ſine ullo reſpectu ad Eccleſiæ conceſſionem, aut antiquam poſſeſſionem, competat. Rurſus non id de quibuslibet Regibus intelligunt. Alioquin Regalia jam à principio in omnibus orbis Chriſtiani regnis locum habere debuiſſet, & etiamnum ubique exerceretur, cùm tamen nuſquam hodie niſi in Gallia uſurpetur. Neceſſe eſt igitur hujus propoſitionis ſenſum eſſe, quòd Regalia Chriſtianiſſimorum Regum propria ſit, eorúmque Coronæ peculiaris dos & prærogativa. Id quod reipſa aſſerere non dubitant, dum apertè ajunt: *Regaliam Francorum Monarchiæ coævam aut penè coævam eſſe: eidem Coronæ inſitam eſſe: peculiare eſſe Chriſtianiſſimorum Regum privilegium eis cælitus immiſſum: eorum coronæ jam ab initio inſtar pretioſiſſimæ gemmæ inſertam eſſe: eorum oſſibus infixam hærere; qua non magis privari poſſint, quam ſol carere lumine, cùm ſit quid eis maximè proprium, & quaſi naturale.* Hæc videri poſſunt apud Ludovicum Servinum in forenſibus actionibus; apud Guillelmum Benedicti in cap. *Raynutius* v. *uxorem* num. 365. In probationibus libertatum Eccleſiæ Gallicanæ cap. 17. num. 59. In Tractatu de Regalia nuper edito ab Advocato nomine *Auberi.*

4. Jam verò hæc propoſitio eo ſenſu accepta, purum putum figmentum eſt. Quid enim in ejus confirmationem afferunt iſti Officiales? Ecqua vel tenuiſſima veri ſpecie dici poteſt, id Regibus Chriſtianiſſimis vi ſolius dignitatis regiæ deberi, quod ſi abſolutè & remota Eccleſiæ conceſſione conſideretur, tum divino, tum humano juri contrarium eſſe convincitur? Quid rationis habet, ut Reges quatenus Reges, univerſos vacantium Eccleſiarum fructus percipere, & Eccleſiaſticas dignitates ac miniſteria conferre dicantur? Quid ſæculari poteſtati cum re adeò ſpirituali & hierarchica commune? An hic opponent, Reges Franciæ præ omnibus Re-

 gibus,

gibus, Chriſtianiſſimos, atque Eccleſiæ Primogenitos appellari? At præclara hæc nomina, quæ avita eorum pietas & Religionis amor peperit, eos potius admonent, ut à re tam ſacris canonibus contraria, & Hierarchico Ordini infeſta ſibi temperent.

5. Verùm quid in arguenda & confutanda hac propoſitione diutius immoramur, cùm ex ijs, quæ Libro primo hujus Tractatus de natura, origine & progreſſu Regaliæ dicta ſunt, penitus profligata ſit? Tria enim ibi demonſtrata ſunt. Primum, Regaliam non ſolum Francorum Monarchiæ coævam non eſſe, ſed tardius incæpiſſe, cùm ne minimum quidem ejus veſtigium in prima & ſecunda Regum dynaſtia, imo imperantibus primis tertiæ dynaſtiæ Regibus reperiatur, nec niſi circa medium duodecimi ſæculi, Ludovico Juniore & Philippo Auguſto Regibus, exorta ſit: Alterum, ſemper, ex quo Regalia incæpit, fuiſſe integras Franciæ Provincias, aliáſque particulares Eccleſias, in quibus locum non habuit: tertium denique, diu Regaliam Regum propriam non fuiſſe, ſed ad Duces quoque, Comites alióſque privatos dynaſtas in eorum ditionibus pertinuiſſe. Deinde quis neſciat Reges Angliæ hoc eodem jure in regno ſuo, non ſecus ac Reges Chriſtianiſſimos in aliquibus Galliæ Provincijs potitos eſſe? Poſtremò tantum abeſt, ut Concilium Lugdunenſe Oecumenicum Regaliam Principibus aut etiam Galliæ Regibus, ſolo regiæ coronæ titulo, vindicari poſſe exiſtimaverit, ut ſolemni ea de re conſtitutione vetuerit, ne quis quantæcúmque dignitatis honore præfulgeat, eam in Eccleſias ab ea liberas de novo introducat: in ijs verò ubi vel à fundatione, vel antiqua conſuetudine recepta erat, eam ita permiſerit, ut abuſus illius tolli juberet; quam Conſtitutionem Philippus III. Rex Chriſtianiſſimus, atque alij deinceps Reges ſervaverunt. Hæc libro primo fusè explicata

plicata ſunt, ex quibùs prior illa regiorum Officialium propoſitio funditus ruit.

6. Nec minus falſa, atque æquivocationis plena eſt altera propoſitio, qua male fundatam conſiliorum ſuorum molem fulcire conati ſunt, aſſerentes *Regaliam alienationi aut præſcriptioni non ſubjacere.* Qui primi inter Gallos ſcriptores hanc propoſitionem protulerunt, id ſolum volebant, Regaliam ita Regum Chriſtianiſſimorum propriam eſſe, ut eam in alios transferre, aut cujuſcùmque alterius operâ, quod ad Beneficiorum collationem ſpectat, exercere non valerent. Etſi enim primis temporibus Reges in hac parte liberiores fuerint, cùm nonnulli in ſubditos ac vaſallos ſuos aliquando jus Regaliæ contulerint, alij verò ut Philippus Auguſtus & S. Ludovicus ad ſacram militiam profecturi, poteſtatem conferendi Beneficia ob regaliam, Reginæ, Delphino alijſque viris in dignitate conſtitutis dederint: poſtea tamen Parlamento Pariſienſi, & juris-conſultis Gallis viſum eſt, quò jus illud auguſtius & ſanctius redderent, hæc veluti axiomata ſtatuere: Regaliam nulli omnino, neque ceſſione, neque delegatione, communicari poſſe; in uſufructuaria Urbium aut ditionum, quæ liberis Regum dantur, aſſignatione, aliiſve Domanij alienationibus ſeu oppignorationibus Regaliam nequaquam comprehendi: neque alium omnino præter Regem, ubi de conferendis Beneficijs agitur, non Delphinum, non ipſos, quos vocant, Regni Regentes, jus illud exercere poſſe. At poſtquam de extendenda per totum regnum Regalia conſilium initum eſt, hanc propoſitionem regij Officiales aliò detorſerunt. Ex ea enim, duo ſequi contenderunt: Alterum, quòd Reges jus Regaliæ, Eccleſijs quæ ſemel ei ſubjacuerant, perpetuò remittere aut condonare non potuiſſent:

Alterum

Digitized by Google

Alterum, quòd Eccleſiæ, hactenus à Regalia liberæ, ei de novo regia auctoritate ſubjici poſſent.

7. Ut autem ab Eccleſijs hactenus à Regalia liberis ordiar, quis non ſtatim advertit hanc propoſitionem in eas non quadrare? Ut Regalia alicubi alienationi, & præſcriptioni non ſubjacere dicatur, nonne prius oportet eam ibi aliquando receptam, & uſitatam fuiſſe? Quì enim à Regibus alienari potuit, quod ipſi nunquam habuerunt? Quo pacto dimitterent, quod in eorum poteſtate nunquam fuiſſet? Quis præſcriptioni locus, ubi res in præſcribentis dominio & poſſeſſione, nunquam non fuit? Patet itaque hanc regiorum Officialium ratiocinationem omnino fallacem eſſe, cùm id ſupponat, quod probandum erat, ſcilicet Regaliam aliquando in his Eccleſijs locum habuiſſe.

8. Fatendum quidem, quòd ſi Regalia eſſet jus Coronæ, eo ſenſu quem ſupra refellimus, non malè inferrent, illud alienationi aut præſcriptioni nequaquam ſubjacere, cùm neceſſariò regiæ dignitati cohæreret: unde etiam ultra conſequeretur, Regibus licere illud in omnes ditionum ſuarum Eccleſias introducere, nec ulla temporis præſcriptione, quominus id facerent, prohiberi poſſe. Tunc enim eodem loco habenda eſſet Regalia, ac fides quam vaſallus Domino, aut obedientia, quam Regibus ſubditi debent, quæ ejus ſunt conditionis, ut nulla vel longiſſimi temporis præſcriptione tolli queant. Quippe ſunt inſtar correlativorum, quæ mutuò ſeſe reſpiciunt, atque hinc vaſallum & ſubditum, inde verò Dominum feudi ac ſupremum Principem tam neceſſariò afficiunt, ut unum ſine altero ne quidem intelligi poſſit. Tunc de Regalia non ſecus judicandum eſſet, ac de ſummorum Principum poteſtate in adminiſtrando ſubditis ſuis jure, in denuntiando hoſtibus bello, in exigendis vectigalibus alijſque ſimili-

ſimilibus juribus, quæ à ſupremo dominio non ſeparantur, & quibus Reges non ante privantur, quam regno excidant. At ſi quis ita de Regalia cenſeat, jam ſupra demonſtratum eſt, eum planè hallucinari, atque ea in medium proferre, quæ omnino abſurda ſint, & à communi omnium ſenſu aliena. Id videntur animadvertiſſe regij Officiales, qui operam ſuam in componendo regio Edicto adhibuerunt. Non enim auſi ſunt Regaliam ſupra memorato ſenſu jus regium apertè nuncupare, ſed verba ſua ita temperarunt, ut ſolum dicerent; *Regaliam unum eſſe ex antiquiſſimis Coronæ juribus, eámque alienationi, aut præſcriptioni non ſubjacere.* At ſi ambæ iſtæ propoſitiones ſimul connectantur, & attendatur concluſio, quæ inde ſtatim infertur, Regaliam videlicet *univerſim ad Regem in omnibus Archiepiſcopatibus & Epiſcopatibus regni ſui, nec non ditionum ac Provinciarum ſibi ſubditarum pertinere*, nemini dubium erit, quin utraque hæc propoſitio ad alteram illam tam abſurdam támque à ſenſu communi abhorrentem, qua Regalia jus Regiæ Coronæ inſitum & naturale dicitur, revocanda ſit.

9. Hac eadem propoſitione tam abſurda niti oportet regios Officiales, dum aſſerunt, Regaliam ad Provincias, & ditiones recens partas, aut quæ poſtea regiæ Coronæ adjungentur, etiamſi ad eam nunquam antea pertinuerint, extendendam eſſe, id quod ſatis apertè ex regio Edicto ſequitur. *Quia*, inquit novellus quidam Scriptor, *ſtatim atque aliqua Provincia alijs Provincijs Francicis adjungitur, ac præcipui totius Orbis Imperij membrum fit, illius juris & excellentiæ, atque adeò Auguſtæ Monarchiæ amplitudinis particeps evadit: quò fit, ut Regni nomine generatim ditiones & principatus, eáque omnia, quæ ſacro Coronæ Domanio Regum noſtrorum, vel fortuna, vel fortitudo addit, comprehendantur.* Hæc univerſalis Regaliæ defenſoribus ſolida,

lida, & rationi conſentanea videntur, cùm nihil levius aut ineptius dici queat. Hoc pacto ſe Francorum Monarchiam ad cœlum ferre exiſtimant, cùm revera ei graviſſimam imponant contumeliam. Hæc enim vel maxima eſt Regum Chriſtianiſſimorum laus, quod præ omnibus Orbis regibus, coronam libertatis portent, ut loquitur Baldus; propriúmque regni Franciæ eſt, ita ſervitutis inimicum eſſe, ut nullos patiatur ſervos, qui ſi aliunde ad illud quocúmque caſu devenerint, ubi primum fines ejus attingunt, continuò ſervitute ſoluti, libertatem adipiſcuntur. At ſi his ſcriptoribus fides habeatur, alia eſt prorſus in hoc regno Eccleſiarum ratio. Nulla, ex eorum ſententia, Regaliæ non ſervit. Si quæ autem ex vicinis regionibus, ubi Regaliæ uſus incognitus, Chriſtianiſſimorum Regum ditioni adjiciatur, ſtatim ſine ullo temporis intervallo Regaliæ ſubjici intelligitur. Quin etiam affirmare non verentur, ea mutatione meliorem fieri harum Eccleſiarum conditionem, cùm in eas hoc pacto Francici ſceptri gloria & amplitudo derivetur. Æquus lector judicet, an hæc ab ijs aptè dicantur, an Franciam ornent, an Chriſtianiſſimorum Regum Eccleſiæ Primogenitorum pietati reſpondeant; quos palam eſſet ea agendi ratione non Eccleſiam, ut Matrem præcipuo honore proſequi, ſed potius injuriâ afficere; neque ejus libertati ſtudere, ſed quærere ſervitutem.

CAPUT II.

De Eccleſiis, quæ per privilegia & Regum conceſſiones à Regalia liberatæ ſunt: an in eis verum ſit, Regaliam alienationi aut præſcriptioni non ſubjacere.

1. QUi contra fas aliquid moliuntur, ſolent ad invidiam declinandam generale aliquod dictum pro ſe afferre, quod

re, quod cùm certo quodam ſenſu verum ſit, alio illo ſenſu, quem obtrudunt, falſiſſimum eſſe comperitur. Hujus fallaciæ exemplum hic habemus. Regij Officiales, qui extendendæ per totum regnum Regaliæ Chriſtianiſſimo Regi auctores fuerunt, id ab eo jure factum contendunt, quod regium patrimonium ſeu Domanium, & Coronæ jura, alienationi, vel præſcriptioni non ſubjaceant: unde inferunt, Regaliam, quam inter præcipua coronæ jura recenſent, per Regum privilegia, & conceſſiones Eccleſijs remitti aut condonari non potuiſſe; atque adeò licuiſſe Regi Chriſtianiſſimo, jus ſuum in eas Eccleſias recuperare, & ejuſmodi exemtiones, tametſi antiquas & diuturna poſſeſſione confirmatas, reſcindere.

2. Quin vera ſit hæc generalis propoſitio, quæ Domanium & jura Coronæ alienationi vel præſcriptioni ſubducit, nemo contradixerit. Imò id juris omnibus penè Regnis ac Monarchijs commune eſt, eique ſervando Reges Chriſtianiſſimi olim ſe in ſua inauguratione jurejurando adſtringebant, quod & alij quóque Reges faciebant, ut patet ex Epiſtola decretali Innocentij III. c. *Intellecto. de jure-jurando*, ubi reſcribit doctiſſimus Pontifex, Regem Hungariæ, qui in adeunda regni poſſeſſione ejuſmodi jus-jurandum emiſerat, alienationes poſtea in regni damnum ab eo factas, poſſe reſcindere, tametſi eas ſe numquam reſciſſurum, adhibito jurejurando, promiſiſſet. Cæterum facile eſt oſtendere, hanc generalem propoſitionem, ab Officialibus regijs, particulari de qua agitur quæſtioni, fruſtra & præter rationem, accommodari.

3. Nam primum hæc de non alienandis coronæ juribus regula intelligi debet de juribus ſuperiori capite commemoratis, quæ cùm ſupremæ in ſubditos poteſtatis inſignia ſint, nunquam à regia dignitate ſeparari, aut à regibus dimitti vel alienari poſſunt. At jam ſupra demonſtratum eſt, quam ab-

ſurdum ſit & rationis expers, Regaliam, prout nunc accipitur, inter ejuſmodi jura reponere; quaſi jus ſit regiæ coronæ inſitum aut profectitium, & non potius extraneum, atque adventitium, quod ſine expreſſa aut ſaltem tacita Eccleſiæ conceſſione nunquam Regibus adquiri poſſit. Unde conſequitur, Reges, ſi quando alicui Eccleſiæ conceſſerunt, ut à Regalia immunis eſſet, *nihil propriè de ſuo videri donaſſe, ſed potius res in primordialem naturam reduxiſſe, & quod Eccleſiæ eſt, Eccleſiæ reddidiſſe*, ut ait Arnulphus Ruzæus Privileg. 11 num. 2. ubi varijs rationibus probat, Regaliam Eccleſijs remitti poſſe, eámque condonationem non ſolum odioſam non eſſe, ſed potius favore dignam. *quia*, inquit, *res de facili revertuntur ad naturam ſuam.*

4. Deinde ſi hæc regula jurium coronæ alienationem prohibens, de regio patrimonio & ordinarijs Domanij juribus intelligatur, plures exceptiones, ex ſententia Juris-conſultorum etiam Gallorum, admittit, quarum præcipua hæc eſt, ſi in favorem Eccleſiæ facta ſit alienatio. *Tunc enim*, inquit Dominus *Le Bret* de ſupremo Regis Dominio lib. 3 cap 1. *non alienantur propriè res Domanij, ſed potius in Regem Regum, à quo pendent omnia ſceptra omnéſque mundi coronæ, transferuntur.* Quò etiam alludit Bartholus his verbis in Proœmio Digeſtorum: *Licet Imperator non poſſit dimittere jura Imperij, tamen quando transfert in Eccleſiam, quæ repræſentat Deum, cenſetur dimiſiſſe in manu Superioris, à quo emanavit.* Sin verò hæc doctrina, cùm Reges aliquid ex bonis & juribus coronæ ſuæ in Eccleſiam contulerunt, pietatis officijs ipſique naturali æquitati apprime conſentanea eſt; quidni potiori adhuc ratione hîc valere debet, cùm Reges Chriſtianiſſimi paucas tantum Eccleſias per privilegia, & conceſſiones à Regalia liberarunt, qua ſua beneficentia

Digitized by Google

ficentia nihil aliud egêre, niſi ut eas graviſſima ſervitute abſolutas, in priſtinam ac naturalem libertatem vindicarent?

5. Poſtremò quamvis Regibus non liceat jura coronæ alienare; civitatibus tamen aut privatis hominibus vel familijs, ſæpe privilegia & immunitates, quibus ejuſmodi jura minui aut eorum uſus aliquatenus impediri videatur, concedunt: & in eorum Majeſtatem injurius ſit, qui hanc eis poteſtatem negaverit; cùm perinde eſſet, ac ſi eorum manibus vincula injiceret, eóſque à beneficijs tribuendis & exercenda in ſubditos liberalitate, quo uno proximè ad Deum accedunt, prohiberet. Quamvis autem eorum ſucceſſores pro ſuprema ſua auctoritate ejuſmodi immunitates & privilegia abrogare valeant, ipſa tamen æquitate & ratione, quò minus id faciant, niſi ſubſit cauſa, idque ſubditi aliqua gravi culpa meruerint, ſatis admonentur. Quod ſi æquum eſt, ut Principes hanc moderationem in rebus civilibus & temporalibus erga civitates, aut privatos homines adhibeant; quis dubitet eos ad illam ſervandam adhuc fortius adſtringi, ubi Eccleſiæ cauſa agitur, & in rebus ſpiritualibus aut Eccleſiaſticis, in quibus privilegia Regum id unum Eccleſijs præſtant, ut priſtinam ac naturalem ſuam libertatem recuperent?

6. Hac religioſa in Eccleſias moderatione uſi ſunt Reges Chriſtianiſſimi, dum eas ad proferendas jurium atque immunitatum ſuarum probationes obligari noluerunt, prout articulo decimo ſeptimo Edicti Melodunenſis & Conſtitutionibus anno milleſimo ſexcenteſimo ſexto & milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo nono promulgatis atque in Parlamentorum tabulas relatis, ſancitum eſt; unde patet potiori ratione noluiſſe, ut certa & antiqua immunitate publicis auctoritatibus & Parlamenti Pariſienſis Arreſtis confirmata, qualis eſt ea, de qua hic agitur, privari poſſent. Quæ quidem juris-prudentia

dentia in Chriſtianiſſimo regno hactenus obſervata, hoc celebri canone Concilij octavi Oecumenici confirmatur: *Placuit huic ſancta & magnæ Synodo, ut res vel privilegia, quæ Dei Eccleſijs ex longa conſuetudine pertinent, & ſive à Divæ recordationis Imperatoribus, ſive ab alijs Dei cultoribus in ſcriptis vel ſine ſcriptis donata, & ab eis per triginta annos poſſeſſa ſunt, nequaquam à poteſtate Præſulis earum, quæcumque perſona ſæcularis per poteſtatem ſubtrahat, aut per argumenta qualibet auferat. Sed ſint omnia in poteſtate ac uſu Præſulis, quæcúmque intra triginta annorum ſpatium ab Eccleſijs poſſeſſa fuiſſe noſcuntur. Quiſquis ergo ſæcularium contra præſentem definitionem egerit, tanquam ſacrilegus judicetur, & donec ſe correxerit, & Eccleſiæ propria privilegia ſeu res reſtituerit & reſervaverit, anathema ſit. Can. 18. ex interpretatione authentica Anaſtaſij Bibliothecarij.*

7. Denique alio adhuc nomine Chriſtianiſſimi Reges ad ſervandam hanc regulam obligantur, quòd videlicet in ipſa inauguratione, ſolemni jurejurando promittant, ſe Epiſcopis eorúmque Eccleſijs *Privilegium canonicum & debitam legem atque juſtitiam ſervaturos.* His enim verbis planum eſt, non ea ſolum comprehendi, quæ divino jure Epiſcopis ad ſacra munia obeunda debentur, ſed etiam, quæ religioſa Principum liberalitate & munificentia in eorum Ordinem atque in ipſas Eccleſias collata ſunt: ut valde metuendum ſit, ne qui obtentu conſervandorum coronæ jurium, Chriſtianiſſimo Regi, immunitatem Regaliæ quibuſdam Eccleſijs à Prædeceſſoribus conceſſam & hactenus retentam, abrogare ſuaſerunt, Majeſtatem ſuam in magnum lædendæ conſcientiæ diſcrimen, ob violatam tam ſacroſancti jurisjurandi fidem ac religionem, immiſerint.

8. Certè in hac materia Galliæ Regibus non alia tutior norma quærenda eſt, præter eam, quam inter plures alias ſanctus

ſanctus Ludovicus morti proximus Philippo filio & hæredi ſuo præſcripſit: *Tuere*, inquit, *immunitates & libertates ſubditorum tuorum, quas Majores tui ſartas tectas voluerunt, eóſque benignitate & favore tibi devinctos habe.* Quoties de juribus & privilegijs Eccleſiarum agitur, ejuſdem Sanctiſſimi Regis Pragmaticam Sanctionem ſibi in mentem revocare debent, quam his graviſſimis verbis claudit: *Item libertatem, franchiſias, immunitates, prærogativas, jura, & privilegia per inclytæ recordationis Francorum Reges prædeceſſores noſtros, & ſucceſſivè per nos, Eccleſijs, Monaſterijs, atque locis pijs & religioſis; nec non perſonis Eccleſiaſticis regni noſtri conceſſas & conceſſa innovamus, laudamus, approbamus & confirmamus per præſentes. Earum tenore univerſis juſtitiarijs, officiarijs & ſubditis noſtris ac loca tenentibus, præſentibus & futuris & eorum cuilibet, prout ad eum pertinuerit, diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus omnia & ſingula prædicta diligenter & attentè ſervent, teneant & cuſtodiant, atque ſervari, teneri & cuſtodiri inviolabiliter faciant.* Nemo non videt, quam longè ab his tam præclaris támque pijs regulis receſſerint, qui Regi Chriſtianiſſimo auctores fuerunt, ut Regaliæ immunitatem nonnullis Eccleſijs à prædeceſſoribus ſuis jampridem conceſſam, ſpecioſo conſervandorum coronæ jurium titulo, abrogaret: nec minus clarum eſt, eos pari ratione Majeſtati ſuæ id conſilij dare potuiſſe, ut ſingulas Eccleſias omnibus fere juribus ſuis, præſertim autem Regalibus ſeu Feudis cæteríſque poſſeſſionibus, quibus Chriſtianiſſimorum Regum munificentia ditatæ ſunt, ſpoliaret.

CAPUT III.

CAPUT III.

Diſcutitur cuiuſdam ſcriptoris ſententia, qui nuper librum de Regalia edidit, in quo eam ex regia nominatione, quam Regibus Chriſtianiſſimis Concordata tribuerunt, neceſſariò ſequi contendit. Refertur ſummatim canonicarum Electionum hiſtoria, & quid in eis variatum ſit.

1. VIx aliud deterioris atque injuſtæ cauſæ certius indicium eſt, quam cùm ij, qui ejus patrocinium ſuſceperunt, varias diſcrepantéſque illius defendendæ vias ineunt, diverſíſque nituntur placitis, quæ pro ſuo quiſque ingenio ac libitu comminiſcitur. Cùm enim veritas una ſit, ejus etiam inveniendæ ac probandæ ratio, ut plurimum unica eſt & ſimplex. Varium contra mendacium, diverſíſque partibus, quas ingenij humani levitas ſibi fingit, conſtans: unde ut tantiſper ſubſiſtat, & aliquam habeat veri ſimilitudinem, plerumque longo argumentorum circuitu ac multiplici ratiocinatione indiget. Id quidem in hac Regaliæ cauſa jam non uno loco patuit: at mox clarius adhuc patebit, dum præcipua eorum, qui Regaliæ ad omnes regni Eccleſias extenſionem tuentur, argumenta pergemus expendere.

2. Quidam Advocatus nomine *Aubery* in Tractatu, quem anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo octavo edidit, Regaliam ex regia ad Prælaturas nominatione, quam jam à principio Reges Franciæ in omnibus regni Eccleſijs habuerint, neceſſariò inferri contendit. Docet ſiquidem, Chriſtianiſſimos Reges durante tum prima, tum ſecunda dynaſtia, Epiſcopos & Abbates liberè inſtituiſſe; eámque poteſtatem poſteriores Reges per Concordata inter Franciſcum primum & Leonem X. Summum Pontificem inita recuperaſſe. Unde, ex

ex ejus mente, nullus Epiſcopatus nulláve Abbatia regiæ nominationi ſubeſt, quin pariter juri Regaliæ ſubjaceat. Cùm autem ex ſupra citatis Concordatis Rex Chriſtianiſſimus jus nominandi ad omnes regni Epiſcopatus, & ad omnes Abbatias, exceptis quæ Capita Ordinum appellantur, adeptus ſit, conſequens eſt, ex ejuſdem ſcriptoris ſententia, ut Regalia in omnibus Eccleſijs Cathedralibus atque Abbatijs, præter Ordinum Capita, ad ſuam Majeſtatem ſpectet.

3. Quæ hic ſcriptor ad confirmandam opinionem ſuam affert, adeò debilia ſunt & inepta, vix ut reſponſionem mereantur, mirúmque videri poſſit, Officiales regios permiſiſſe, ut pro eorum defenſione liber tam veritatis diligentiæ ac bonæ fidei expers in lucem prodierit. Sat eſt huic Auctori varia congerere facta, nullo ordine, ſæpe minus vera, certè plerúmque extra rem, & ex ijs concluſiones ac regulas inferre, quas ut certas & indubitatas proponit, cùm falſiſſimæ ſint & erroris plenæ. His ſuam tractationem pronuntiatis exorditur: *Singulos primæ dynaſtiæ Reges, pleroſque verò ſecundæ liberam Epiſcoporum in toto regno inſtitutionem ſibi ſumpſiſſe, lib. 1. cap. 1. pag. 3. Eam eſſe præcipuam Regum prærogativam, quæ ab eorum ſceptro nunquam ſeparari poſſit: ſupremum in regno dominium eos nequaquam habituros fuiſſe, niſi Epiſcopatus, & Eccleſiaſticas dignitates abſoluta auctoritate, perinde ac alia regni ſui officia & dignitates, diſtribuiſſent. Quin etiam conſtare, Imperatores tum veteris, tum novæ Romæ propria auctoritate Antiſtites elegiſſe, & de Epiſcopatibus & Eccleſiaſticis Præfecturis, cuicumque libuiſſet, gratificatos eſſe, nec unquam ſe Electionum neceſſitati ac jugo ſubjeciſſe. pag. 4.* Hinc alio loco affirmare non veretur: *Cleri electiones à Regibus & Principibus tanquam abuſum ac ſupremæ ſuæ auctoritatis violationem habitas eſſe. pag. 216.* Ludovicum Pium Imperatorem alióſque Principes ſacrarum electionum vindices imbecillitatis, atque

 impru-

Digitized by Google

imprudentiæ inſimulat. Pragmaticam ſancti Ludovici ſanctionem, qua canonicæ electiones reſtituuntur & confirmantur, ab Auctoribus Gallis hactenus, tanquam verum ſancti Regis fætum agnitam & citatam, ut falſam & adulterinam repudiat. pag. 22. Eo pariter nomine Concilium Conſtantienſe Oecumenicum, itemque Baſileenſe, etiam cùm legitimum eſſet, & ab Eugenio IV. Summo Pontifice approbatum, contumelioſiſſimis verbis proſcindit. pag. 23. 24. 25. Pragmaticam Sanctionem à Carolo VII. Avarici Biturigum conditam, quòd canonicas electiones ex communi jure celebrari voluerit, acriter reprehendit. pag. 28. 29. Concordatum verò, ut vocant, Bononienſe, quòd eas ſuſtulerit, laudibus in cælum effert, atque *opus ſuis abſolutum numeris* appellat, *quòd ſcilicet priſtinam diſtribuendi miniſteria & dignitates Eccleſiaſticas rationem, quæ initio, ac florentiſſimis Eccleſiæ temporibus viguit, in uſum revocarit*, pag. 70. Unde ibidem ait, putare ſe, *nunquam ſatis amplam ejuſdem Concordati auctoribus gratiam haberi poſſe.*

4. Quis unquam horum verborum intemperantiam, temeritatem, atque inſcitiam ſatis caſtigarit? Quis talia in ſacras electiones effutientem patienter ferret? Quis non indignaretur, ea quæ à Chriſti Domini inſtitutione & Apoſtolorum traditione profecta ſunt, minoris fieri, quam ea quæ ob morum & diſciplinæ depravationem, & pro varia temporum ac locorum conditione, Eccleſia vel permiſit vel tolerare coacta eſt? Idque ut tota hæc de canonicis electionibus regiiſque nominationibus materia, quam hic ſcriptor aliique nonnulli de induſtria obſcuraſſe videntur, quæque præſenti Regaliæ quæſtioni non parum luminis allatura eſt, explicetur, operæ pretium exiſtimarem paulo altius repetere, & quidquid temporis decurſu, præſertim in Galliis ſub triplici Regum dynaſtia, ea in re variatum ſit, ſummatim referre.

5. Quiſ-

5. Quisquis primam electionum originem attenderit, facile agnoſcet eas ad divinam inſtitutionem atque Apoſtolicam traditionem referri oportere. Id patet & ſancti Matthiæ ſeptémque primorum Diaconorum electionibus, quæ in Actis Apoſtolorum cap. 1. & 6. habentur, prout ſancti Patres obſervarunt. *Ipſum videmus*, inquit S. Cyprianus epiſt. 68. *de divina auctoritate deſcendere, ut Sacerdos plebe præſente ſub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio ac teſtimonio comprobetur*. Quod ubi ex ſacris ſcripturis confirmavit, adducta electione ſancti Matthiæ ac ſeptem Diaconorum, itémque Eleaſari, quem in publico conventu Moyſes, juſſu Dei, ſummum Sacerdotem in locum Aaronis conſtituit, ſtatim ſubjungit: *Coram omni Synagoga jubet Deus conſtitui Sacerdotem, id eſt, inſtruit & oſtendit, ordinationes Sacerdotales non niſi ſub populi aſſiſtentis conſcientia fieri oportere; ut plebe præſente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & ſit ordinatio juſta & legitima, quæ omnium ſuffragio & judicio fuerit examinata*. Deinde autem ſic concludit: *Diligenter de traditione divina, & Apoſtolica obſervatione ſervandum eſt, & tenendum, quòd apud nos quoque & fere per univerſas provincias tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem cui præpoſitus ordinatur, Epiſcopi ejuſdem provinciæ proximi quique conveniant, & Epiſcopus deligatur plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſimè novit & uniuſcujuſque actum de converſatione perſpexit*. Idem de electionum origine & antiquitate teſtantur S. Clemens Epiſt. ad Corinthios, Origenes Homilia 6. in Leviticum & Tertullianus Apologet. cap. 39.

6. Conſtat itaque primis illis Eccleſiæ temporibus Epiſcoporum electiones, communibus votis, tum à Clero & populo, tum à Metropolitano aliiſque Provinciæ Epiſcopis, qui ad urbem Paſtore orbatam conveniebant, electúmque

Epiſcopum ſtatim ordinabant, celebratas. Tunc enim electionem excipiebat ordinatio, neque ullo temporis intervallo hi duo actus ab invicem, ut poſtea factum eſt, ſeparabantur: unde in antiquis canonibus græcum vocabulum χειροτονεῖν & χειροτονία utrumque illum eligendi & ordinandi actum ſignificat. Quamvis autem in electionibus magni momenti eſſet Cleri plebiſque conſenſus, & de eligendi probitate, doctrina aliiſque dotibus teſtimonium, in iis tamen Metropolitani & Epiſcoporum Provinciæ potiores erant partes, eorúmque propriè erat electio, cùm ad eos ſpectaret de Cleri plebiſque teſtimoniis judicium ferre, & ſua auctoritate, quiſnam eligendus eſſet, decernere; prout etiam ad eos ſolos ſpectabat, electum per impoſitionem manuum continuò conſecrare.

7. Hinc magna Synodus Nicæna, quæ ſuis canonibus non aliud fere egit, niſi ut quæ communi jam Eccleſiarum uſu firmata erant, publica lege ſanciret, canone quarto præcipit, ut Epiſcopus à Metropolitano cæteriſque provinciæ Epiſcopis conſtituatur, nulla expreſſa Cleri aut populi mentione facta. Ἐπίσκοπον προσήκει μάλιστα μὲν ὑπὸ πάντων τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ καθίστασθαι. εἰ δὲ δυσχερὲς τὸ τοιοῦτον, ἢ διὰ κατεπείγουσαν ἀνάγκην, ἢ διὰ μῆκος ὁδοῦ, ἐξ ἅπαντος τρεῖς ἐπὶ τὸ αὐτὸ συναγομένους, συμψήφων γινομένων καὶ τῶν ἀπόντων, καὶ συντιθεμένων διὰ γραμμάτων, τότε τὴν χειροτονίαν ποιεῖσθαι. τὸ δὲ κῦρος τῶν γινομένων δίδοσθαι καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ ἐπισκόπῳ. [*Epiſcopum oportet maximè ab omnibus Epiſcopis, qui in provincia ſunt, conſtitui. Quod ſi hoc difficile vel ob urgentem aliquam neceſſitatem, vel ob itineris longitudinem fuerit, certè tres in unum locum convenientes, dummodo, qui abſunt conſenſerint, & per litteras approbaverint, manus impoſitionem faciant. Confirmatio verò eorum, quæ fiunt in ſingulis provinciis, dari debet à Metropolitano Epiſcopo.*] Neque tamen deinceps

Digitized by Google

deinceps Epiſcoporum electio ita penes Metropolitam alióſque provinciæ Epiſcopos fuit, ut non ad eam peragendam Cleri populique ſuffragium ac teſtimonium, uti antea ſolebant, adhiberent: id quod, ut alias probationes omittam, ex Anatolij Conſtantinopolitani Patriarchæ in Concilio Chalcedonenſi auctoritate patet, qui cùm de eligendo Epheſi Epiſcopo in locum Stephani & Baſſiani Pſeudo-Epiſcoporum à concilio damnatorum ageret, in hæc verba ſententiam dixit: *Ἐμοὶ παρίσταται, εἰ καὶ τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ δοκεῖ, ὥστε μηδένα αὐτῶν τῆς Ἐφεσίων πόλεως εἶναι ἐπίσκοπον, ἀλλ᾽ ἕτερον, ἐξ ἐπιλογῆς πάντων τῶν μελλόντων ποιμαίνεσθαι ψηφιζόμενον, διοικεῖν τὴν ἐπισκοπὴν, διὰ τὸ τοὺς δύο παρὰ κανόνας ἑαυτοῖς τὴν ἐπισκοπὴν ἁρπάσαι.* [*Mihi videtur, ſi etiam ſanctiſſimo Concilio placet, ut neuter eorum ſit Epheſiorum civitatis Epiſcopus, ſed alius ex electione omnium, qui paſcendi ſunt, ordinetur ad gubernandum Epiſcopatum, eo quod ambo præter regulas ſibimet Epiſcopatum uſurpaverint.* Concil. Chalced. Act. 12.

8. Ex hac tamen Concilij Nicæni reticentia factum videtur, ut poſtea in Eccleſia Orientali Epiſcoporum electiones ad ſolum Metropolitam ſimul cum alijs ejuſdem provinciæ Epiſcopis delatæ ſint, qui ut plurimum ad urbem Metropolitanam confluentes, ibidem non expectato Cleri, & populi viduatæ Eccleſiæ ſuffragio aut conſenſu, Epiſcopum eligebant & ordinabant. Quod fortaſſe etiam in mores inductum eſt, ut turbulentis atque ambitioſis Cleri ac plebis electionibus occurreretur: idque videtur ſignificare Concilium Laodicenum canone XIII. his verbis: *Περὶ τοῦ μὴ τοῖς ὄχλοις ἐπιτρέπειν τὰς ἐκλογὰς ποιεῖσθαι τῶν μελλόντων καθίστασθαι εἰς ἱερατεῖον.* [*De eo quod non ſit populis concedendum electionem facere eorum, qui altaris miniſterio ſunt applicandi.* Itemque Concilium Oecumenicum canone XXII. alias à nobis relato, quo expreſsè Principes,

Magiſtratus cæteríque Laici ab Epiſcoporum, Presbyterorum aliorúmque Eccleſiæ miniſtrorum electionibus excluduntur.

9. Quod ad Eccleſiam Occidentalem ſpectat, diutius veterem in electionibus morem ſervavit, ut ſcilicet communibus votis, à Metropolita alijſque provinciæ Epiſcopis, una cum Clero ac populo viduatæ Eccleſiæ, celebrarentur; ſic tamen ut potiores ſemper eſſent Metropolitæ cæterorúmque Epiſcoporum partes. Poſtea verò in hoc quoque non mediocris facta eſt mutatio. Cùm enim valde moleſtum eſſet ſingulis provinciæ Epiſcopis in unum locum, quoties de eligendo Epiſcopo ageretur, convenire, paulatim eo deventum eſt, ut ſolus Eccleſiæ viduatæ Clerus cum præſtantiorum civium conſenſu electionem perageret, ejuſque decretum ad Metropolitam, ab eo examinandum & confirmandum, mitteret. Neque tamen hæc nova eligendi ratio ita obtinuit, ut non interdum prior illa canonum auctoritate ſancita, quoties Metropolitæ cæteríſque provinciæ Epiſcopis placuiſſet, adhiberetur. Quin etiam hæc antiqua eligendi forma in Archiepiſcoporum ſeu Metropolitarum electionibus retenta eſt, quos ab omnibus Epiſcopis in ſynodo Provinciali cum Cleri ac populi Metropoleos ſuffragio eligi ſolemne fuit. Id patet ex epiſtolis decretalibus Summorum Pontificum Siricij, Innocentij I. Cœleſtini & Leonis Magni. Hic, qui Canonum Nicænorum magnum ſe præconem atque acerrimum vindicem præbuit, de electionibus Epiſcoporum ita loquitur: *Cùm de ſummi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri plebíſque conſenſus concorditer poſtularit. Epiſt. 84. cap. 5.* Ibidem conjunctim poſtulat ad Epiſcopi electionem, *vota civium, teſtimonia populorum, honoratorum arbitrium, electionem Clericorum.* Alibi apertè declarat, quòd *nulla ratio ſinit, ut inter Epiſcopos habeantur, qui nec à Clericis ſint electi, nec à plebibus*

à plebibus expetiti, nec à provincialibus Epiſcopis cum Metropolitani judicio conſecrati. Epiſt. 92. cap. I.

10. Hæc canonicarum electionum diſciplina ex Apoſtolorum traditione profecta, in Eccleſia tum Orientali tum Occidentali, poſtquam Imperatores Chriſto nomen dederunt, diu perſeveravit. Conſtantinus Magnus nullius unquam Epiſcopi nominationem ad ſe traxiſſe legitur; ſin autem aliquando in hoc negotio partes ſuas interpoſuit, id nequaquam fecit, ut jus eligendi ſibi tribueret, ſed ut eligentium jus ſua auctoritate confirmaret. Conſtantius Imperator Arrianorum fraude circumventus primus Eccleſiæ libertatem hac in parte violavit, Epiſcopos per ſeipſum deſignando, quos non è Clero civitatis aut Diœceſis, ut canones præcipiebant, ſed ex aliis locis, ac remotiſſimis etiam partibus evocatos, cum Tribunis & militibus, qui populum ad illos recipiendos cogerent, mittebat; quam ei violentiam ſanctus Athanaſius & ſanctus Hilarius, ut impiam & ſacrilegam exprobrarunt. Quod ad Imperatores Orthodoxos ſpectat, quam à violando ſacrarum electionum jure & diſtribuendis propria auctoritate Epiſcopatibus abhorrerent, declarat Valentiniani I. reſponſum ad Epiſcopos, qui eum rogaverant, ut in locum demortui Auxentij Paſtorem Mediolanenſi Eccleſiæ deſignaret: Μεῖζον, inquit, ἢ καθ' ἡμᾶς τὸ ἐγχείρημα. ὑμεῖς γὰρ τῆς θείας ἠξιωμένοι χάριτος, καὶ τὴν ἄιγλην ἐκείνην εἰσδεξάμενοι, ἄμεινον ψηφιεῖσθε. [*Supra vires meas eſt, iſtud negotium. Vos quos divina gratia ornat, quique ſupremo lumine illuſtrati eſtis, melius de eo decernetis.* Theodor. Hiſtor. lib. 4. c. 6.

11. Non omnes tamen Imperatores ſemper eam moderationem tenuerunt. Nonnulli delata ultro ad ſe eligendi facultate uſi, magnarum civitatum Epiſcopos, præſertim verò Conſtantinopolitanum, poſtquam Imperij caput facta eſt Conſtan-

Conſtantinopolis, deſignarunt: id quod extraordinariè tantum, & cùm in electionibus perturbationes ac diſſenſiones, quibus aliter occurri non poſſet, metuebantur, uſurpabant. Sic Theodoſius Magnus, cùm inter ſecundi Concilij Oecumenici Patres, in eligendo Conſtantinopolitano Epiſcopo, poſtquam ea ſe dignitate abdicaverat S. Gregorius Nazianzenus, oborituras diſſenſſiones præviderer, Nectarium nominavit, cui nominationi Patres una cum Clero populóque Conſtantinopolitano aſſenſi ſunt. Similiter Arcadius, mortuo Nectario, Joannem Chryſoſtomum Presbyterum Antiochenum, Conſtantinopolis Epiſcopum deſignavit; id quod eum ad poſtulationem Cleri ac populi Conſtantinopolitani feciſſe teſtantur Socrates & Sozomenus. Idem poſtea Theodoſius Junior, Arcadij patris exemplo, præſtitit; ſed non æquè felicibus auſpicijs: quandoquidem Neſtorius, quem Antiochia evocatum, in ſede Conſtantinopolitana conſtituit, poſtmodum perfidus evaſit hæreſiarcha.

12. Cæterum ab ejuſmodi factis alijſque nonnullis ſimilibus, cùm extraordinaria eſſent, peculiaréſque ſuas haberent rationes, exemplum capi non poterat, neque per ea Imperatoribus propriè jus ullum quærebatur, quod canonicis electionibus, quæ in ſingulis Eccleſijs toto orbe Chriſtiano palam fiebant, impedimento eſſe poſſet. Deinde Eccleſia hanc Imperatoribus auctoritatem ultro deferebat. Hoc & eorum religioni, & conſervandæ pacis ſufficiendorúmque bonorum Paſtorum ſtudio dabat: magnámque hujus imperatoriæ tutelæ utilitatem non ſemel experta, id minimè tanquam alieni juris invaſionem habebat; neque ſibi metuendum putabat, ne aliquando ea poteſtate in Eccleſiarum oppreſſionem abuterentur. Eodem ſe modo in alijs diſciplinæ capitibus erga Imperatores gerebat. Eorum opem in convocandis

vocandis Concilijs, in confirmandis canonibus, in opprimendis hæreſibus implorabat. Tantùmque abeſt, ut Romani Pontifices alijque Epiſcopi ægrè ferrent, Principes in ejuſmodi rebus auctoritate ſua Eccleſiam adjuvare, ut potius eos ad id præſtandum tanquam ad præcipuum onus à Deo ſibi impoſitum hortarentur, eo pacto fieri rati, quod olim apud Eſaiam cap. 49. v. 23. de Eccleſia prædictum erat: *Et erunt Reges nutrices tuæ. Vultu in terram demiſſo adorabunt te & pulverem pedum tuorum lingent.*

13. Huc etiam referri poteſt Conſtitutio Juſtiniani Imperatoris Novella 123. ad probandum, canonicas electiones diu, poſtquam Imperatores fidem Chriſtianam profeſſi ſunt, tanquam jus commune fuiſſe ſervatas. Is cùm ad novas leges etiam in rebus Eccleſiaſticis condendas propenſior eſſet, hujus Novellæ capite primo ſancivit: *Quoties opus fuerit Epiſcopum ordinari, Clericos & primates civitatis, cujus futurus eſt Epiſcopus ordinari, mox in tribus perſonis decreta facere.... ut ex tribus perſonis pro quibus talia decreta facta ſunt, melior ordinetur electione & periculo ordinantis.* Quæquidem Conſtitutio an aliquando in Eccleſia ſive Orientali ſive Occidentali ſervata fuerit, merito dubitari poteſt, præſertim quatenus tres perſonas, quarum unam Metropolitanus optet, à Cleró & populo nominari præcipit. At ſaltem ex ea manifeſtum eſt, imperante Juſtiniano totóque ſexti ſæculi decurſu, canonicas Epiſcoporum electiones per univerſam Eccleſiam uſurpatas fuiſſe: id quod etiam deinceps multis poſt ſæculis obtinuit, ut facile eſſet varijs exemplis oſtendere, niſi id ſupervacuum ac lectoribus moleſtum foret.

Digitized by Google

CAPUT IV.

De Epiſcoporum electionibus in Eccleſia Gallicana ſub prima & ſecunda Chriſtianiſſimorum Regum dynaſtia.

1. Conſtat hanc eligendorum Epiſcoporum diſciplinam in Eccleſia Gallicana, etiam poſtquam Clodovæus ſe cum tota Francorum gente Chriſto ſubdidit, ſervatam fuiſſe. Nuſquam legitur, Clodovæum ſe in Epiſcoporum nominationes interpoſuiſſe. Major erat ejus in Eccleſiam pietas, & in ſanctum Rhemigium obſervantia, à quo ſpeciatim monitus fuerat, ut Sacerdotibus honorem deferret, & ad eorum conſilia ſemper recurreret, quam ut de aliquo jure ſibi in Epiſcoporum electionibus tribuendo cogitaret.

2. Refert quidem Gregorius Turonenſis lib. 10. Hiſtoriarum cap. 30. ubi Epiſcoporum Turonenſium catologum texit, quòd *decimo loco Theodorus & Proculus, jubente B. Chrodielde reginâ ſubrogati ſunt, eo quòd de Burgundia jam Epiſcopi ordinati ipſam ſecuti fuiſſent, & ab hoſtilitate de urbibus ſuis expulſi fuerant.* Sed extraordinarius hic caſus fuit, nec tam jubente, quam ſuadente & hortante Clotilde Religioſiſſima fœmina id factum intelligi debet; præſertim cùm Eccleſiaſtica regula duos eſſe in una Eccleſia Epiſcopos non patiatur. Eaque cauſa eſſe videtur, cur ſtatim addat Gregorius: *Undecimus Dionyſius Epiſcopus* (ſeu Diniſius, ut alibi ab eodem Gregorio vocatur) *& ipſe ex Burgundia veniens; per electionem fratrum ad Epiſcopatum acceſſit, cui aliquid de fiſci ditionibus eſt largita, deditque ei poteſtatem faciendi de his rebus, quæ voluiſſet.* Ubi *fratrum* nomine intelligit vel Coepiſcopos, vel Clerum populúmque Turonenſem, ut ſignificet eum non ut ambos prædeceſſores Theodorum

dorum & Proculum, jubente ſeu hortante Clotilde, ſed libera planè & canonica electione ad hanc dignitatem aſſumptum fuiſſe.

3. Hæc ita leguntur in editione Gregorij Turonenſis Pariſijs anno milleſimo quingenteſimo duodecimo à Jodoco Badio & Joanne Parvo typographis cum Privilegio Regis facta, & Guillelmo Parvo Ordinis Prædicatorum Theologo, qui Regi Ludovico XII. à confeſſionibus erat, dedicata, ubi ſe *exemplarium impendio*, id eſt, manuſcriptorum codicum diligenti collatione facta, hanc editionem adornaſſe teſtantur. Quæ quidem in editione Pariſina anni milleſimi quingenteſimi ſexcenteſimi primi, itemque apud Ducheſnium Hiſtoricum alióſque poſteriores ſcriptores aliter leguntur in hunc modum: *Undecimus Dinifius Epiſcopus & ipſe ex Burgundia veniens, qui per electionem præfati regis ad Epiſcopatum acceſſit; cui aliquid de fiſci ditionibus eſt largitus, deditque ei poteſtatem faciendi de his rebus, quæ voluiſſet.*

4. Sed prior lectio omnino videtur retinenda, tum quòd ad eam mutandam nulla ſpecialis M. SS. Codicum auctoritas in poſterioribus editionibus proferatur, tum quòd Clodovæus, qui *præfati regis* nomine intelligitur, eo tempore jam vivere deſijſſet ex eodem Gregorio Turonenſi lib. 2. Hiſtoriarum cap. 43. ubi ait eum obijſſe undecimo anno Epiſcopatus Licinij, qui fuit nonus Epiſcopus Turonenſis, Eccleſiámque Turonicam plus quam duodecim annos rexit: unde ſi ad ultimum annum Licinij, duos annos Theodori & Proculi, qui ei jam valde ſenes ſucceſſerant, adjungas, Clodovæum regem jam ante tres annos, cùm Dinifius Turonenſem Cathedram aſcendit, obijſſe comperies. Obſervat autem idem Gregorius citato capite 43. lib. 2. Hiſtor. quòd *Clotildis regina poſt mortem viri ſui*, qui Pariſijs obierat, *Turonum venit, ibique*

ad Baſilicam ſancti Martini deſerviens cum ſumma pudicitia, atque benignitate in hoc loco commorata eſt, omnibus diebus vitæ ſuæ, rarò Pariſios viſitans. Quod egregiè confirmat, eam & confugientes ad ſe Theodorum Proculúmque populares ſuos Turonis excepiſſe, & poſt eorum mortem Dinifio Turonenſi Epiſcopo pariter ſuo populari aliquid de fiſci ditionibus, quas ut Regis vidua, vel ob reſtitutionem dotis poſſidebat, dono dediſſe. Adde hunc de Dinifio articulum ad proximiorem, ubi agitur de Theodoro & Proculo, manifeſtè referri, ut patet ex his verbis: *Et ipſe de Burgundia veniens*; ut parum cohærere videantur hæc verba *per electionem præfati Regis*, quæ ad alterum remotiorem articulum, in quo Regis Clodovæi mentio fit, referenda eſſent. Hæc ad vindicandam veterem Gregorij Turonenſis lectionem, quæ neſcio quo conſilio in poſterioribus editionibus mutata ſit, & ad confirmandum id quod initio dixi, nuſquam legi, Clodovæum ſe in electiones Epiſcoporum interpoſuiſſe.

5. Fatendum quidem Clodovæi liberos ac pleróſque primæ Dynaſtiæ Reges hanc ejus moderationem minimè imitatos, ſe Epiſcoporum nominationibus nimio plus implicuiſſe; adeò ut nonnulli Epiſcopatus aliaſque dignitates Eccleſiaſticas abſoluta auctoritate Aulicis diſtribuerent, & ſæpe etiam accepta pecunia aut muneribus in indigniſſimos homines conferrent. Quam ejus temporis corruptelam S Gregorius Turonenſis in vita Patrum cap. 3. ait: *Jam tunc germen illud iniquum cæperat pullulare, ut Sacerdotium aut venderetur à Regibus, aut compararetur à Clericis.* Multa autem varijs in locis ejuſmodi Simoniæ exempla profert, eámque ad ſuam uſque ætatem longè latéque graſſatam eſſe oſtendit.

6. Huic malo ut occurreret Eccleſia Gallicana, varios canones ad vindicandam Electionum libertatem in ſuis Synodis

nodis condidit, ut in Concilio Aurelianenſi V. can. 10. ad annum quingenteſimum quadrageſimum nonum: Concilio Pariſienſi III. can. 8. ad an. 557. Concilio Pariſienſi V. can. 1. ad an. 715. Concilio Cabillonenſi can. 10. ad an. 650. Fatebatur tamen æquum eſſe, ut Epiſcopi ſine aſſenſu ac beneplacito Regis, ſeu, ut loquitur Concilium Aurelianenſe V. ſine ejus *voluntate* non ordinarentur: quod à priſca diſciplina omnino alienum non erat, quæ Magiſtratus ac Primates plebis ad electiones peragendas admittebat. Reges enim tanquam populorum capita, quidquid juris inplebe reſidet, excellenter in ſe continere exiſtimantur. Deinde cùm Epiſcoporum ſit, ſubditorum mentes in ijs quæ ad Deum ſpectant, regere, atque etiam in rebus civilibus publicáque regni adminiſtratione haud mediocri auctoritate polleant; Regum vel maximè intererat, ut ad eam dignitatem ij ſolum aſſumerentur, quorum fidelitatem perſpectam haberent: idque præſertim poſtquam Eccleſiæ, regia eorum munificentia, ditatæ ſunt, & Epiſcopi urbes, caſtella, ac nobiliora feuda, quibus viris Principibus, atque Aulæ optimatibus coæquarentur, poſſidere cæperunt.

7. Hæc Conciliorum Gallicanorum decreta ad conſervandas electiones canonicas, quæ cum aſſenſu & voluntate Regis fiebant promulgata anno ſexcenteſimo decimo quinto, Clotarius II. ſolemni Edicto confirmavit, ubi inter alia ſic ſtatuit: *Definitionis noſtræ eſt, ut canonum ſtatuta in omnibus conſerventur, & quod per tempora ex hoc prætermiſſum eſt, vel dehinc perpetualiter obſervetur. Ita ut Epiſcopo decedente, in loco ipſius, qui à Metropolitano ordinari debet cum Provincialibus, à Clero & populo eligatur. Et ſi perſona condigna fuerit, per ordinationem Principis ordinetur. Vel certè ſi de Palatio eligitur, per meritum perſonæ & doctrinæ ordinetur. Apud Sirmond. tom. 2. Concil. Gallic.*

Gallic. Hæc ultima Edicti verba ſic Dominus de Marca interpretatur, ut Clotarius ſibi facultatem eligendi nonnumquam è Palatio viros quoſdam ad Epiſcopatum, non expectato Cleri plebiſque ſuffragio, retinuerit. At probabilius videtur, id tantum voluiſſe Clotarium, ut ſi electus à Clero & populo de palatio ſeu aula Regis fuiſſet, eum Metropolitanus alijque Epiſcopi Ordinare non gravarentur, nec ei negotium faceſſerent, quòd eſſet neophytus, hoc eſt è curia & Laico Magiſtratu ad ſacras infulas evocatus; dummodo ijs morum & doctrinæ dotibus eſſet ornatus, quæ hujus defectus veniam impetrarent. Quam cautionem veriſimile eſt à Clotario adhibitam fuiſſe, quòd per id tempus Romani Pontifices graviter de ejuſmodi neophytorum ordinationibus conqueſti eſſent, eóſque ab Epiſcopatu penitus arcendos cenſuiſſent, ut videre licet apud Gregorium Magnum lib. 7. Epiſt. 113. 114.

8. Ut ut ſit, conſtat Reges Chriſtianiſſimos intra hos Conciliorum Gallicanorum & Edicti Clotarij limites non ſtetiſſe. Totam quippe eligendi auctoritatem ſæpiſſime ad ſe trahebant, ſive deſignando quem vellent eligi, ſive ſcribendo literas commendatitias, aut preces, quæ præcepti loco eſſent, adhibendo. Interdum etiam habito Epiſcoporum & Magnatum Aulæ ſuæ conſilio Clericum è Palatio nominabant, ac regio diplomate munitum ad Clerum & plebem vacantis Eccleſiæ, quò ab eis in Epiſcopum reciperetur, ablegabant. Hujuſmodi regiæ nominationes, quæ primis Merovingianæ ſtirpis Regibus cæperant, poſtea ultimis ejuſdem ſtirpis Regibus, maximè autem regij Palatij Præfectis rerum potientibus, paſſim uſurpabantur, & ambitioni ac Simoniæ, quibus miſerè afflicta eſt Eccleſia Gallicana, latum aditum patefecerunt.

9. His

9. His malis cumulum attulit Carolus Martellus, dum Laicis ac militibus, quorum opera in bello uſus erat, Epiſcopatus & Abbatias ad fruendum conceſſit. Graſſanti per omnes Eccleſias peſti Carolomanus & Pipinus Caroli filij & ſucceſſores, conſilio & monitis Beati Bonifacij Archiepiſcopi Moguntini, occurrere tentarunt. Expulſis Laicis, qui Epiſcopatus occupaverant, Epiſcopos, qui paſtorum officio fungerentur, cum Prælatorum atque optimatium ſuæ aulæ conſilio, nominarunt. Ut autem ritè & ordine id fieret, uberiorémque inde fructum Eccleſia caperet, non ſolum varias Synodos ad confirmandas ejuſmodi nominationes congregarunt, verum etiam ut eis conſenſus, atque auctoritas Sedis Apoſtolicæ accederet, obtinuerunt: quod religioſiſſimis Principibus Zacharias Summus Pontifex, ob urgentem neceſſitatem & Eccleſiæ Gallicanæ miſerrimum ſtatum libenter conceſſit, ut teſtatur Lupus Ferrarienſis Abbas epiſt. 81. quæ eſt ad Amulium Archiepiſcopum Lugdunenſem. *Pipinus,* inquit, *expoſita neceſſitate hujus regni Zachariæ Romano Papæ, in Synodo cui Martyr Bonifacius interfuit, ejus accepit conſenſum, ut acerbitati temporis induſtria ſibi probatiſſimorum decedentibus Epiſcopis mederetur.* Unde inferre licet, temporarium fuiſſe illud Zachariæ privilegium, donec videlicet res in meliorem ſtatum reducerentur, neque ad Carolomanni ac Pipini Succeſſores tranſijſſe.

10. Pipino ſucceſſit Carolus Magnus, non minus ejus ſceptri regnorúmque hæres, quam pietatis ac religioſæ in inſtauranda diſciplina ſolicitudinis æmulator. Qui Inveſtituras à regijs nominationibus non diſtinguunt, atque ab Adriano I. in Concilio Romæ habito anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo tertio jus eligendi Summum Pontificem & inveſtiendi Epiſcopos in Carolum collatum eſſe exiſtimant, ut habetur in can. *Adrianus,* apud Gratianum Diſt. 63. ij conſequenter etiam

putant

Digitized by Google

putant hunc Imperatorem, ſublata penitus electionum libertate, Epiſcopos ſumma auctoritate nominaſſe. Verum, præterquam quòd regiæ ad Epiſcopatus nominationes ab Inveſtituris omnino diſtinguendæ ſunt, cùm Principes ut plurimum Inveſtituram non niſi canonicè electo darent, ut lib. 1. cap. 6. demonſtratum eſt: clariſſimus Annalium Eccleſiaſticorum conditor Baronius alijque doctiſſimi viri, hunc canonem, quem Gratianus in ſuum Decretum inconſultè retulit, falſum atque adulterinum eſſe probarunt. Ea hìc argumenta ſummatim referri lectoribus haud ingratum erit.

11. I. Romani hujus Concilij nullus meminit ante Sigebertum Gemblacenſem Monachum Henricianis partibus in cauſa Inveſtiturarum adverſus Romanos Pontifices addictiſſimum, qui anno circiter milleſimo centeſimo duodecimo, hoc eſt trecentos amplius annos, poſtquam celebratum dicitur iſtud Concilium, fervente Inveſtiturarum diſſidio inter Romanum Pontificem & Henricum V. Chronologiam ſuam ſcripſit; ut magna ſit ſuſpicio, hanc de Romano Concilio narrationem, partium ſtudio ab eo confictam eſſe.

12. II. Eginardus, qui Carolo Magno à ſecretis, & in peragrandis varijs regionibus aſſiduus Comes, ejus vitæ diarium ſcripſit, expreſsè notat, eum quatuor tantum vices Romam profectum eſſe, annum ac diem cujúſque ejus in Urbem adventus diſtinguens: quarum peregrinationum rationem ſi ſubduxeris, nullam in annum aut tempus prædicti Concilij, cui Carolus interfuiſſe dicitur, quadrare comperies.

13. III. Romani Pontifices, imperante Carolo, liberè & citra ſæcularium Poteſtatum auctoritatem eligebantur; idque poſtea, Ludovico Pio Imperatore, continuatum eſt, ut teſtatur Florus Magiſter Eccleſiæ Lugdunenſis Diaconus, ejus

ævi

ævi clariſſimus Scriptor, in fragmento de electionibus Epiſcoporum ad annum 813.

14. IV. Eo canone nomen ac dignitas Patritij in Carolum confertur, cùm tamen conſtet, eum longè antea hoc dignitatis gradu, quem veluti hæreditario jure à Pipino Patre acceperat, inſignitum fuiſſe. Idque patet ex Epiſtolis Pauli I. & Stephani III. Summorum Pontificum, Adriani I. prædeceſſorum, in quibus Carolus hoc eodem Patritij nomine cohoneſtatur.

15. V. Florus modò laudatus ſoli conſuetudini tribuit, quòd ad electiones vel ordinationes Epiſcoporum, in quibuſdam regnis conſenſus, & voluntas Principis accedat. Et Lupus Ferrarienſis in Epiſtola jam citata, cùm auctoritatem regijs nominationibus conciliare vellet, nullum alium Pontificem Romanum, quaſi illarum approbatorem, adducit, præter Zachariam, qui eas Carlomanno & Pipino ad tempus, uti ſupra notatum eſt, conceſſit. Unde manifeſtè ſequitur, utrumque hunc eruditiſſimum Scriptorem nihil de illo canone, aut legiſſe unquam aut inaudiſſe.

16. VI. Patet ex duabus epiſtolis ab Adriano I. poſt Romanum illud, de quo agitur, Concilium, ſcriptis, electiones & ordinationes Epiſoporum in Longobardia, citra conſenſum atque auctoritatem Caroli Magni celebratas fuiſſe. Cùm enim hic Ravennam legatos, qui ſuo nomine electioni Epiſcopi intereſſent, miſiſſet, Adrianus ad eum ſcripſit, id contra antiquum morem ab eo tentari, quandoquidem ejus Eccleſiæ Epiſcopus à Clero & populo civitatis, ſine ullo Poteſtatis ſæcularis interventu hactenus ſemper electus fuiſſet. Hæc ex Baronio ad an. 774. Labbæo in edit. Concil. tom. 18. pag. 46. Carolo *Le Cointe* Annal. Eccleſ. Franc. tom. 6. ad an. 774. num. 113. Chriſtiano Lupo in canones Concil. tom. 3. Diſ-

ſertat. 4. c. 1. Ludovico Thomaſſino de Diſciplina Eccleſ. Part. 3. lib. 2. c. 24.

17. Repudiato itaque hoc Canone, tanquam falſo & adulterino, non deſunt viri eruditione inſignes, ut Chriſtianus Lupus tom. 3. in Canones Conciliorum, Diſſertat. 3. cap. 9. & Ludovicus Thomaſſinus de Diſciplina Eccleſiaſtica Part. 3. lib. 2. c. 24. qui longius adhuc progrediuntur, & à Carolo Magno canonicas electiones publica lege reſtitutas affirmant. Eam in rem citant caput 84. libri primi Capitularium ab Anſegiſo Abbate collectorum, qui in Præfatione Operis ſignificat, ſe in hunc librum primum ea ſola Capitularia conjeciſſe, quæ à Carolo Magno condita fuiſſent. Nituntur etiam auctoritate Hincmari Rhemenſis Archiepiſcopi & Ivonis Carnotenſis, qui huic Imperatori memoratum Capitulare inſcripſerunt. Alij tamen non minus eruditione ac doctrina celebres, quos inter Jacobus Sirmondus tom. 2. Conciliorum Gallic. in notis ad Capitular. Ludovici Pij, & Petrus de Marca lib. 8. de Concord. Sac. & Imp. c. 13. iſtud Capitulare Ludovico Pio Caroli Magni filio adjudicant, atque ab Anſegiſo cum nonnullis alijs in librum primum imprudenter relatum putant, cùm in ſecundum librum rejici debuiſſet. Ut ut ſit, ſi Carolus Magnus nonnunquam cum Prælatorum, atque Optimatum Aulæ ſuæ conſilio Epiſcopos, prætermiſſa Cleri & populi electione, nominavit, quod quibuſdam exemplis atque auctoritatibus clarius eſt, quam ut negari poſſit; id non aliter fecit, quam Carlomannus & Pipinus, id eſt, ex auctoritate & conſenſu Eccleſiæ, ut graviſſimis ejus malis mederetur, ac perditam diſciplinam, ſubſtitutis bonis paſtoribus, reſarciret. Quin etiam conſtat, eum pluribus Eccleſijs electionum libertatem per reſcripta ac diplomata expreſsè reddidiſſe; ut Ludovicus Pius ejus filius, & ſucceſſor, celebri illo Capitulari Aquisgrani

ad

Digitized by Google

ad annum octingenteſimum decimum ſextum de reſtituendis electionibus promulgato, nihil aliud effeciſſe videatur, niſi ut quod à Patre cæptum, atque adumbratum fuerat, compleret ac perficeret.

18. Hoc itaque memorando Capitulari, quod Anſegiſus lib. 1. ſuæ collectionis num. 84. retulit, Ludovicus Pius declarat ſe in reddenda Eccleſiaſtico ordini electionum libertate, ſacris canonibus obtemperare: *Sacrorum*, inquit, *canonum non ignari, ut in Dei nomine ſancta Eccleſia ſuo liberius potiretur honore, aſſenſum Ordini Eccleſiaſtico præbuimus, ut ſcilicet Epiſcopi per electionem Cleri & populi, ſecundum ſtatuta canonum, de propria Diœceſi, remota perſonarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum & ſapientiæ donum eligantur, ut verbo & exemplo ſibi ſubjectis uſquequaque prodeſſe valeant.* Clara & aperta eſt hæc Ludovici Conſtitutio, qua electiones Epiſcoporum, Clero & populo, ſecundum ſtatuta canonum, nulla ſæcularis poteſtatis mentione facta, permittuntur. Non tamen deinceps ab ipſo Ludovico ita religiosè ſervata eſt, quin ſæpe in electionibus ſe interponeret, aut electos à Clero & populo conſenſu atque auctoritate ſua confirmando, aut etiam, quoſnam eligi vellet, per reſcriptum electoribus ſignificando. Hinc anno octingenteſimo vigeſimo nono Concilium Pariſienſe VI. eum graviter monuit, ut pro ſua pietate de conſtituendis in Eccleſiæ bonis Paſtoribus magnopere curaret: *Monendo*, inquiunt Concilij Patres can. 22. *Magnitudini veſtræ ſuppliciter ſuggerimus, ut deinceps in bonis Paſtoribus rectoribuſque in Eccleſijs Dei conſtituendis magnum ſtudium, atque ſolertiſſimam adhibeatis curam.*

19 Hic mos celebrandarum electionum cum nutu & aſſenſu Principum, Carolo Calvo Imperatore alijſque deinceps Regibus Chriſtianiſſimis, in Eccleſia Gallicana perſeveravit, ut patet ex Epiſtolis Hincmari Rhemenſis Archiepiſcopi,

quas alibi citavimus, varijſque exemplis & auctoritatibus, quæ paſſim apud illius ævi ſcriptores occurrunt. Florus id temporis Eccleſiæ Lugdunenſis magnum decus in fragmento jam citato, optimè explicat, quatenus in electionibus Epiſcoporum, ſalva earum libertate, Principes auctoritatem ſuam interponerent. Primùm electiones canonicas, quæ communi Cleri ac populi ſuffragio fiebant, ex Apoſtolica traditione profectas oſtendit, ac multis deinceps ſæculis in Eccleſia ſine ullo ſæcularis Poteſtatis interventu, celebratas eſſe confirmat. Deinde ſtatim ſubjungit: *Quòd verò in quibuſdam regnis poſtea conſuetudo obtinuit, ut conſultu Principis ordinatio fieret Epiſcopalis, valet utique ad cumulum fraternitatis propter pacem, & concordiam mundanæ poteſtatis; non tamen ad complendam veritatem, vel auctoritatem ſacræ ordinationis, quæ nequaquam regis potentatu, ſed ſolo Dei nutu & Eccleſiæ fidei conſenſu cuique conferri poteſt. Quoniam Epiſcopatus non eſt munus humanum, ſed Spiritus Sancti donum, ſicut oſtendit Apoſtolus. . . . Unde graviter quilibet Princeps delinquit, ſi ut hoc beneficio ſuo largiri poſſit exiſtimat, quod ſola gratia divina diſpenſat: cùm miniſterium ſuæ poteſtatis in hujuſmodi negotium peragendo adjungere debeat, non præferre... Quæ omnia non ideò dicimus, quaſi poteſtatem Principum in aliquo minuendam putemus, vel contra religioſum morem regni aliquid ſentiendum perſuadeamus, ſed ut clariſſimè demonſtretur, in re hujuſmodi divinam gratiam ſufficere, humanam verò poteſtatem niſi illi conſonet, nihil valere.*

20. Verùm cùm vix fieri poſſit, ut in ejuſmodi rebus Principes intra legis metas ſe contineant, parta ſibi ex ſolo uſu & conſuetudine in Epiſcoporum electionibus auctoritate ſæpe abutebantur. Aut enim quem ipſi vellent, in Epiſcopum eligi curabant, aut aliquem ex aula ſua per ſeipſos eligebant, quem ad Metropolitanum alióſque provinciales Epiſcopos,

ut

ut ab ijs ordinaretur, mittebant. Cùm autem ſic ex aula emiſſi, ſæpe ad ſacrum Epiſcopatus munus capeſſendum minus idonei reperirentur, Concilium Valentinum III. anno octingenteſimo quinquageſimo quinto, Imperatoribus Lothario & Carolo Calvo, congregatum, primum quidem ſtatuit, ut à Rege plena canonicarum electionum reſtitutio poſtularetur; deinde verò addit can. 7. *Sed & ſi à ſervitio pij Principis noſtri aliquis Clericorum venerit, ut alicui civitati præponatur Epiſcopus, timore caſto ſolicitè examinetur, primum cujus vitæ ſit, deinde cujus ſcientiæ; & vigore Eccleſiaſtico ſub oculis omnipotentis Dei agat in hac parte Metropolitanus, Epiſcopis ſicut Dei miniſtris adjutorium ferentibus, ne maculatæ vitæ & pompis ſæculi turbidus, & Simoniaca hæreſi pollutus humilibus, & mundis Chriſti Eccleſiæq; ipſius ſuperponatur Epiſcopus. Nec præſumat illiteratum & cupiditate nimia cæcatum, redditurus facti ſui rationem, populo Dei præficere.*

21. Sic ſe habuerunt electiones canonicæ in Eccleſia Gallicana uſque ad finem ſecundæ Regum dynaſtiæ. Plerúmque Principes ſuum regium miniſterium ad eas probandas, & confirmandas adjungebant: nonnunquam eas præcurrebant, aliquem ex aula ſua per ſeipſos nominando; quod Eccleſia diſſimulandum judicabat, de eo ſolum ſolicita, ut ne in Eccleſiarum perniciem ejuſmodi nominationibus abuterentur.

CAPUT V.

De electionibus canonicis ſub tertia Regum dynaſtia, uſque ad Concordatum Bononienſe. Ex hoc Concordato falsò & temere infertur, Regaliam generalem eſſe oportere.

1. QUod electiones canonicæ per totum tertiæ Regum dynaſtiæ tempus uſque ad Concordatum, ut vocant, Bononienſe

Bononienſe in Eccleſia Gallicana viguerint, oſtendere nihil attinet. Id enim inter omnes conſtat, nec ab ipſo, quem hîc examinamus, auctore in dubium revocatur. Hugo Capetus tertiæ hujus ſtirpis Princeps, ejuſque filius & ſucceſſor Robertus optimè de Eccleſia, in conſervandis Cleri juribus ac privilegijs, meriti ſunt; ut huic eorum pietati, atque in Ordinem Eccleſiaſticum propenſo animo jure merito accepta ferri debeat ſingularis illa proſperitas, qua ſtirpem, quæ etiamnum in Auguſtiſſima Borboniorum familia regnat, in prope ſeptingenteſimum annum propagarunt.

2. Henrico I. rege aliiſque deinceps regibus continuatæ ſunt electiones, eáſque S. Ludovicus, ut regijs omnibus dotibus, ita Chriſtiana pietate præcellens, Edicto ſuo ſeu Pragmatica Sanctione anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo octavo publicata confirmavit his verbis: *Statuimus & ordinamus primò, ut Eccleſiarum regni noſtri Prælati, Patroni & Beneficiorum collatores ordinarij jus ſuum plenariè habeant, & unicuique ſua juriſdictio ſervetur. Item Eccleſiæ Cathedrales & aliæ regni noſtri liberas electiones & earum effectum integraliter habeant. Item promotiones, collationes, proviſiones & diſpoſitiones Prælaturarum, Dignitatum & aliorum Beneficiorum & officiorum Eccleſiaſticorum regni noſtri ſecundum diſpoſitionem, ordinationem & determinationem juris communis, ſacrorum Conciliorum Eccleſiæ Dei, atque inſtitutorum antiquorum Sanctorum Patrum fieri volumus & ordinamus.*

3. Verùm utcumque primis iſtis tertiæ dynaſtiæ regibus probatæ ſint electiones canonicæ, in eas tamen duplici ſe ratione interponebant. Primùm enim in multis Eccleſijs mors Epiſcoporum eis denuntiabatur, novíque Epiſcopi eligendi licentia ab ijs obtinebatur. Deinde verò electo Epiſcopo, antequam ordinaretur, feudorum aliorúmque bonorum temporalium

temporalium inveſtituram dabant, atque ab eo clientelaris obſequij profeſſionem, aut fidelitatis jusjurandum exigebant. At poſtea ejuſmodi Inveſtituræ, cùm annuli virgæque paſtoralis traditione ante Epiſcoporum inaugurationem fierent, earúmque occaſione Principes ſæpe electiones impedirent, atque Eccleſiarum vacantium reditus occuparent, plurimis Conciliorum ac Summorum Pontificum decretis damnatæ ſunt. Qua in re Chriſtianiſſimorum Regum pietas, & in Sedem Apoſtolicam reverentia enituit, cùm in dimittenda ex præſcripto Romanorum Pontificum ejuſmodi Inveſtitura cæteris Principibus præiverint, de quo vide lib. 1. cap. 6. & 7. ubi de de Inveſtituris fusè actum eſt.

7. Porrò obſervandum eſt, ſub initium hujus tertiæ Regum dynaſtiæ Epiſcoporum electiones ad ſola Cathedralium Eccleſiarum Capitula, excluſo reliquo Clero, delatas eſſe; id quod deinde Pontificij juris auctoritate confirmatum fuit, ut toto titulo de electione & electi poteſtate apud Gregorium IX. patet. Frequentes autem in his Capitulorum electionibus lites, quæ ad Sedem Apoſtolicam per appellationem deferebantur, poſtea Summis Pontificibus occaſionem præbuerunt, ut electionum cognitionem ad ſe traherent, ijſque, ſi quid vitij occurreret, in irritum miſſis, ipſi per ſe Epiſcopos deſignarent. Quin & interdum, ut ejuſmodi Capitulorum diſſenſionibus occurrerent, aliiſve de cauſis, Eccleſiarum Cathedralium, ubi eas vacare contingeret, proviſionem atque Antiſtitum nominationem ſibi reſervarunt, interdicta Capitulis aut ad tempus ſublata electione: idque frequentius ac palam uſurpari cæpit eo tempore, quo Romani Pontifices Avenione ſedem ſuam fixerunt, præſertímque in fœdo illo ac diuturno ſchiſmate, quo Eccleſia, poſt Gregorij XI. qui Romam redierat, obitum, laboravit. Ea rerum Eccleſiaſticarum

per-

perturbatione, Chriſtianiſſimi Reges varia Edicta promulgarunt, ad tuendum jura & libertates Eccleſiæ Gallicanæ, nominatímque electiones canonicas, ut Carolus VI. qui ex Principum atque aulæ Magnatum, Antiſtitum, Capitulorum, Univerſitatum ac Studiorum regni ſui conſilio duas Conſtitutiones edidit: Alteram menſe Februario anni milleſimi quadringenteſimi decimi octavi, quibus inter plura alia jubet, ut electiones Epiſcoporum aliorúmque Eccleſiæ Præpoſitorum ex jure communi fiant.

5. Concilium Baſileenſe Seſſione 21. & 23. antequam auctoritate Eugenij IV. Ferrariam translatum eſſet, uno atque altero decreto canonicas electiones ſolemniter approbavit confirmavitque: quæ quidem decreta poſtmodum Carolus VII. Avarici Biturigum, Pragmaticæ Sanctioni in conventu Principum & Magnatum, Antiſtitum, Doctorum ac legatorum omnium fere Capitulorum & Univerſitatum regni ſui promulgatæ, inſeruit. Verùm hanc Sanctionem Pragmaticam regia auctoritate conditam, & ex Baſileenſis Synodi decretis penè ad verbum expreſſam Romani Pontifices tanquam auctoritati ſuæ infeſtam averſati ſunt, útque abrogaretur, per ſexaginta circiter annos à Chriſtianiſſimis Regibus vehementer contenderunt: qua ex concertatione tandem anno milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo prodijt famoſum illud Concordatum, quod Bononienſe appellant, à Leone X. Summo Pontifice, & Franciſco I. Francorum Rege initum, quo, abrogatis electionibus, Regi Chriſtianiſſimo conceditur jus nominandi ad Epiſcopatus & Abbatias vacantes, nominandorum confirmatione ſeu inſtitutione Summo Pontifici reſervata.

6. Supervacaneum eſſet hic particulatim referre ea omnia, quæ in Gallijs ad impediendam Concordati executionem

acta

acta ſunt, videlicet Cleri Gallicani, Academiæ Pariſienſis, ac Parlamentorum interceſſiones, interpoſitam ad futurum Oecumenicum Concilium appellationem, ac demum ad obtinendam ejus abrogationem & electionum inſtaurationem Regibus Chriſtianiſſimis porrectas fere in hanc uſque diem ſupplicationes. Sufficit ejuſmodi Concordatum ab Eccleſia tolerari, ſacróque Concilio Tridentino viſum non eſſe quicquam ea in re innovare. Eccleſiæ fides & doctrina immutabilis eſt: diſciplina non item. Sæpe ut pia mater, filiorum infirmitati ſervire cogitur, multáque ob morum depravationem non ex proprio ſenſu aut primigeniæ ſuæ diſciplinæ regulis introducta, prudenti Oeconomia tolerat; tametſi priſtinæ perfectionis deſiderio ſemper teneatur, & ad eam quoslibet fidelium, quoad fieri poteſt, impellere non deſiſtat. Unde foris actum mutans, intus ſenſum non mutat, utpote quæ eodem ſemper Chriſti Domini ſpiritu, qui ſe cum ea uſque ad finem ſæculi permanſurum promiſit, gubernetur.

7. In hac eligendorum Eccleſiæ Paſtorum mutatione videtur Deus haud ſecus ſe erga populum Chriſtianum geſſiſſe, atque olim ſe geſſit erga Iſraëlitas, quibus permiſit, ut priorem Republicæ formam, cujus ipſe inſtitutor, & juxta quam eorum Dux ac Princeps erat, immutarent, Regémque ſibi, pro more vicinarum gentium, conſtituerent. Quamvis enim hoc eorum conſilium vehementer ei diſplicuerit, quemadmodum per Samuelem 1. Reg 8. v. 7. 8. ac multo poſt per Oſeam Prophetam 9. v. 15. teſtificatus eſt, eis tamen obſequendum judicavit. Quin & hac eorum infidelitate & inconſtantia uſus eſt ad exequenda æternæ ſuæ Providentiæ decreta, & ad ea, quæ eorum Patribus pollicitus erat, efficienda, dando illis Reges, qui Amorrhæorum aliorúmque Gentilium reli-

quias extinguerent, & ex quibus, poſt multorum ſæculorum, decurſum, Chriſtus naſceretur.

8. Hæc paulo fuſius, ut pateat, quam inſcienter, atque aſſentatoriè in hoc argumento verſatus ſit Auctor, quem hactenus refutavimus, dum ſacras electiones, ut extraordinarias, & ab Eccleſia quodammodo uſurpatas, regias verò nominationes tanquam ex jure communi Chriſtianiſſimis regibus debitas, quarum uſum aliquando intermiſſum ſuperiore ſæculo per Concordatum Bononienſe recuperaverint, proponere non dubitavit. At poſtquam ejus doctrinæ falſitas patefacta eſt, reſtat ut etiam demonſtremus eum falsò ac ineptè ex illa concludere, Regaliam in regno generalem eſſe oportere.

9. Primùm enim etſi quis ei gratuitò concedat, Chriſtianiſſimos Reges idem jus, quod olim in nominandis Epiſcopis habuerunt, per Concordatum Bononienſe recuperaſſe, nequaquam inde ſequeretur, eos nunc jure ſibi Regaliam per totum regnum vindicare. Id quam falſum ſit vel ex eo patet, quòd Regalia nuſquam in regno locum habuerit ſub prima & ſecunda Regum dynaſtia, hoc eſt, cùm Epiſcopos, ex mente iſtius ſcriptoris, ſumma auctoritate nominarent; ſub finem verò duodecimi ſæculi in certis quibuſdam Provincijs inceperit, hoc eſt eo tempore, quo electiones canonicæ palam toto regno vigerent, ut omnes fatentur: quod utrúmque caput fusè primo Libro, tum ex Hiſtoria, tum alijs validiſſimis argumentis, demonſtratum eſt. Unde manifeſtè ſequitur, Regaliam ex nominationibus regijs non pendere, fruſtráque ac perperam Auctorem contendere, duo hæc ita mutuò copulari, ut unum ab altero disjungi non poſſit.

10. Id unum effecit Concordatum, ut Regibus Chriſtianiſſimis jus nominandi ſeu præſentandi ad Epiſcopatus & Abbatias

Abbatias tribueretur, ſublatis electionibus, quæ prius à Capitulis Eccleſiarum Cathedralium, atque Abbatiarum Monachis celebrabantur, reſervata verò Summo Pontifici nominatorum inſtitutione ſeu proviſione, quæ per Bullas conceditur, quæque confirmationis Metropolitanorum, quam electi antea obtinebant, vicem ſupplet. Cùm autem ejuſmodi Concordatum vim pacti-conventi inter duas Summas Poteſtates, regiam ſcilicet ac Pontificiam habeat, nemini dubium, quin ſtrictè & juxta appoſitam verborum formam accipiendum ſit. Unde abſurdum omninò & iniquum eſt, ut ad rem maximi momenti, qualis eſt Regalia, de qua ne verbum quidem in eo ſit, extendatur: quaſi verò Leo X. conceſſo Regibus Chriſtianiſſimis jure nominandi Epiſcopos, & Abbates, eiſdem quoque jus Regaliæ in univerſis regni Epiſcopatibus & Abbatijs conceſſerit; tametſi ea de re altum ſit in Concordato ſilentium, atque etiam conſtet Provincias & Eccleſias, quæ ante Concordatum Regaliæ obnoxiæ non erant, ſuam poſtea libertatem, uſque ad hanc noſtram ætatem conſtanter retinuiſſe.

11. Denique omnes hujus Scriptoris argumentationes, ut vanæ ac futiles concidunt, ſimul ac eis opponitur Decretum Concilij Lugdunenſis generalis, quo prohibetur, ne quis, quantæcumque dignitatis fuerit, Regaliam in Eccleſijs antea ei non obnoxijs uſurpet. Fatetur quidem ille pag. 99. hoc Concilij Lugdunenſis decreto prohibitas eſſe *novas Regalias*, hoc eſt, quæ in Eccleſias, ubi antea locum non haberent, de novo inducerentur. Sed ſtatim pugnantia loquens addit: **Chriſtianiſſimos Reges, hoc ſolo Chriſtianiſſimorum Regum nomine, quod hæreditario jure poſſident, Regaliæ uſum ſibi vindicare poſſe:** ***Quæ quidem,*** **inquit,** ***ipſis tam non poteſt negari, quam ſoli ſuum lumen, aut quidquid vel maximè regia eorum***

 digni-

dignitati proprium, atque inſitum eſt. Totus ejus liber ſimilibus inter ſe pugnantibus ſententijs, & vitioſis atque ineptis argumentationibus ſcatet, quibus refellendis fruſtra tempus tereremus.

12. Lubet tantum hic obſervare, quam miſerè ac pueriliter ad argumenta, quibus Eccleſiarum Occitaniæ vicinarúmque Provinciarum libertas confirmata eſt, reſpondeat. Nihil, verbi gratia, eam in rem validius aut illuſtrius afferri poteſt, quam Arreſtum Parlamenti pro Eccleſia Anicienſi anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo nono latum, & ſancti Ludovici Edictum in ejuſdem Arreſti confirmationem datum, de quibus lib. 1. cap. 13. Attamen ille ex ijs (quis credat?) Regaliam generalem eſſe debere ſic probare nititur pag. 198. *Qui hanc*, inquit, *Diœceſim* (Anicienſem) *à Regalia immunem eſſe contendebant, hoc uno maximè nitebantur, quòd nuſquam legeretur, Capitulum poſt mortem Epiſcopi, licentiam eligendi ad vacantem ſedem ſucceſſoris à Rege obtinuiſſe.* Id falsò ſibi ſumit. Neque enim verum eſt, Capitulum Anicienſe, ad ſuam Regaliæ immunitatem aſſerendam, hoc nixum argumento. Patet ſolum ex inquiſitione, quæ ab Archiepiſcopo Bituricenſi inſtructa eſt, nunquam reipſa Capitulum Anicienſe à Regibus ejuſmodi licentiam ad novum Epiſcopum eligendum poſtulaſſe, idque fuiſſe unum ex capitibus per Arreſtum Parlamenti & Edictum Regis Capitulo adjudicatis. Hoc tamen ubi falsò ſibi ſumpſit Auctor, ſic pergit: *Atque ita ex lege contrariorum, Epiſcopus Anicienſis ejuſque Capitulum juri Regaliæ neceſſariò ſubjici fatebantur eas Diœceſes, in quibus conſenſus ac voluntas Regis ad Epiſcopi electionem peragendam requireretur.* Unde ultra infert, quòd, cùm Reges Chriſtianiſſimi ex Concordato, non jam eligendorum Epiſcoporum licentiam Capitulis concedant, ſed, quod multo fortius eſt, Epiſcopos, ſicut olim ab eis factitatum

tatum exiſtimat, per ſeipſos eligant, conſequens ſit, ut Regaliam ubique potiori jure jam ſibi vindicare poſſint.

13. Alibi de hac Eccleſiæ Anicienſis controverſia loquens, ait: *Epiſcopum & Capitulum agnoviſſe, Epiſcopalium bonorum intra civitatem poſitorum Regaliam ad Regem certò pertinere; an verò ſecus res ſe haberet in bonis extra civitatem poſitis, id judicio atque arbitrio Archiepiſcopi Bituricenſis permiſiſſe.* Deinde verò Inquiſitionem ab eodem Archiepiſcopo Bituricenſi inſtructam, Parlamenti Arreſtum poſt inſpectam hanc Inquiſitionem latum, & Edictum à ſancto Ludovico in ejuſdem Arreſti confirmationem promulgatum, ſilentio obvolvens, ex hac Epiſcopi & Capituli Anicienſis circa bona intra civitatem poſita confeſſione, concludit, Eccleſiam Anicienſem Regaliæ obnoxiam eſſe.

14. Quódque magis mireris, poſtquam tam futili ratiocinatione probavit Anicienſem Diœceſim abſolutè juri Regaliæ ſubjacere, ſic pergit: *Cùm autem hac Diœceſis nunc intra fines Jurisdictionis Parlamenti Toloſani poſita ſit, ab ea exercendæ in reliquas Occitaniæ Diœceſes Regaliæ exemplum duci poteſt.* Deinde addit. *Certè cùm Occitania inter eas numeretur Provincias, quæ primùm bello partæ Francorum imperio additæ ſunt, nulla eſſe ratio videtur, cur ejus juris, quod cæteris commune eſt, immunitatem ſibi vindicet.* Tum poſtquam ait, eam Paris dignitate in Comitibus Toloſanis inſignitam eſſe, ſupremámque Regum auctoritatem præcipua quadam ac ſingulari reverentia ſemper coluiſſe, ſic tandem concludit: *Quæ cùm ita ſint, vix alicujus momenti eſſe poſſunt rationes, quibus Occitaniæ Eccleſias à Regalia immunes eſſe quis contenderet.*

15. En qua ratione hic ſcriptor ab adverſariorum argumentis ſe expediat, quámque leviter ad eas probationes reſpondeat, quibus perpetua & conſtans Eccleſiarum Occitaniæ

libertas

libertas demonſtratur. Neque verò accuratius reſpondet ad eas, quæ pro Eccleſijs Aquitaniæ, Provinciæ, Delphinatus aliiſque, de quibus ſupra actum eſt, afferuntur. Denique ea eſt hominis in toto hoc argumento levitas, ea inſcitia atque inconſiderantia, ut lectoribus moleſtum me præberem, ſi in eo refutando diutius immorarer.

CAPUT VI.

Expenduntur & refelluntur ea, quæ idem Auctor de extendenda in Abbatias Regalia ſcripſit.

1. Antequam tamen aliò ſermonem convertam, operæ pretium erit ea, quæ hic Auctor ad extendendam in Abbatias Regaliam adduxit, leviter perſtringere. Id jam alij quidam Scriptores attigerant, ſed modeſtè ac dubitanter, conſcij ſe rem novam ipſáque ſua novitate valdè odioſam tentare. At hic eam ut certam, atque indubitatam palam & confidenter proponit. Primùm aſſerit, Abbatias eodem prorſus jure in hac quæſtione cenſendas eſſe, ac ipſos Epiſcopatus, atque adeò ex Regalia Epiſcopatuum rectè inferri Abbatiarum Regaliam. Sat illi eſt quibuſdam exemplis oſtendere, Reges olim in nonnullis Abbatijs Regaliam exercuiſſe, ut inde concludat, eos id juris, poſtquam in ijs Abbatijs per plura ſæcula deſijt, iterum ſibi vindicare, imo & in univerſas regni Abbatias proferre poſſe. Quæ quidem ejus doctrina non alio fundamento nititur, niſi quòd Regalia alienationi aut præſcriptioni non ſubjaceat, quódque Reges Chriſtianiſſimi, poſtquam ex Concordato priſtinam, ut ipſe exiſtimat, donandarum Abbatiarum facultatem recuperaverunt, eas quoque Regaliæ, quæ regiæ ad Prælaturas nominationis effectus quidam & neceſſaria conſecutio ſit, ſubjicere debeant.

2. Non

Digitized by Google

2. Non multum nobis in examinanda ejuſmodi opinione hærendum eſt. Jam abunde refutata eſt, cùm ſuperioribus capitulis ad ea, quæ pro Regaliæ in univerſos Epiſcopatus extenſione allata ſunt, reſpondimus. Deinde lib. 1. cap. 12. oſtendimus Regaliam quidem olim in quibuſdam Abbatijs à Regibus, Ducibus, Comitibus alijſque Dynaſtis uſurpatam fuiſſe; verùm id tum contigiſſe, cùm ſolo feudorum uſuſructu contineretur. Sin verò in paucis quibuſdam Abbatijs ad omnes reditus producta eſt, quod aliquando factum eſſe vix crediderim, id parum duravit, & à multis jam ſæculis Regaliæ jus in Abbatijs penitus obſolevit. Ex quo conficitur, omnino à ratione & juſtitia alienum fore, ut denuò revocaretur, & cùm omnibus ſuis dotibus ac prærogativis in univerſas Abbatias induceretur, obtentu Concordati, in quo nihil de illa habetur, & contra expreſſum Concilij Lugdunenſis Decretum, quo anathemate feriuntur, quicumque eam de novo in Eccleſijs & Monaſterijs uſurpare tentaverint.

3. Præterea nuſquam apparet, Reges Officia clauſtralia, Prioratus aliáque vacantium Abbatiarum Beneficia ob Regaliam contuliſſe, quæ tamen hodie præcipua eſt pars Regaliæ, ut ipſi Officiales regij fatentur. Quî enim fieri potuit, ut Reges de conferendis ejuſmodi Beneficijs cogitarent, quæ nihil aliud erant, niſi Monachorum ſeu Religioſorum loca, delegationes vel officia, quæ nec perpetuò, nec in titulum, ſed ad tempus tantum ab Archimandritis ſeu Abbatibus concedebantur, prout ipſis tum ad ſubditorum ſibi Monachorum perfectionem ac ſpirituale bonum, tum ad propriam Monaſteriorum utilitatem expedire videbatur? Vide tamen Auctoris confidentiam, qui palam pronuntiet: *Neminem unquam dubitaſſe, quin Officia & Beneficia ad Abbatum collationem ſpectantia, Regaliæ obnoxia fuerint, & à Rege, quandiu Abbatia vacaret, conferren-*

Digitized by Google

conferrentur, quemadmodum ab eo conferuntur Eccleſiarum Cathedralium Præbendæ, donec novus Epiſcopus conſtituatur. lib. 4. cap. 2. pag. 249. Neque hic gradum ſiſtit, ſed ultra progreditur his verbis: *Cùm autem vetus ordo per fiduciarias Abbatiarum conceſſiones, quas Commendas vocant, turbatus ſit, frequentéſque de Beneficiorum collationibus lites inter varios Collatores vel competitores exoriantur, utriſque eam ſibi collationem vindicantibus, tametſi neutris verè competat: magis ex uſu & ratione eſſet, ut deficientibus veris Abbatibus; hoc eſt, ut vocant, Titularibus, Regalia, quod ad Beneficiorum collationem ſpectat, ſemper durare cenſeretur, ſicque Rex ejuſmodi Abbatiarum Officia & Beneficia pro ſupremo ſuo jure, quovis tempore, conferret.*

4. Itaque cùm à Juris-conſultis hodie dubitetur, ad quem, poſt fiduciariorum Abbatum mortem, ſpectet collatio Beneficiorum, an videlicet ad Monachorum conventum, an ad Epiſcopum, an ad Summum Pontificem, neque hactenus ea de re certum jus in Gallia conſtitutum ſit; hic Auctor ad ſolvendum hunc nodum litéſque ſopiendas optimum factu exiſtimat, ut Rex ejuſmodi Beneficiorum collationem quovis tempore, hoc eſt tam fiduciarijs Abbatibus mortuis, quam ſuperſtitibus, ſibi vindicet. *Qua in re*, inquit, *ut ut res ſe habeat, nihil incommodi occurrere poteſt, cùm ea ratione vero atque indubitato Patrono & fundatori honos, & clientelare quoddam obſequium redderetur.* En præclaram ratiocinationem hujus Cauſidici aliorúmque ejus ſimilium, quos Stephanus Paſquierius *Aulicos Adulatores* appellat, qui tum egregiam ſe laudem referre arbitrantur, ſi novas ſemper vias excogitent, quibus regiæ poteſtati plures Eccleſiaſticas dignitates, pluráque Officia ac Beneficia ſubjiciant.

5. Cæterum hocce de Beneficijs vacantium Abbatiarum Regaliæ ſubjiciendis conſilium, Gallis etiam Juris-conſultis,

qui

qui de hac materia ante hos ultimos annos ſcripſerunt, adeò iniquum & rationis expers viſum eſt, ut Philippus Probus in ſuo Tractatu de Regalia, hanc quæſtionem proponens, apertè doceat, Regaliam in Abbatijs locum habere non poſſe, quod his rationum momentis confirmat: primùm quòd de ejuſmodi Regalia nihil habeatur in regeſtis Cameræ computorum; (id quod maximè de ſpirituali Regalia ſeu de collatione Beneficiorum intelligendum eſt) tum quia Regalia jus eſt extraordinarium, quod proinde, tanquam odioſum potius reſtringendum eſt, quam extendendum: denique quia vel privilegio vel antiqua conſuetudine niti debet, quorum neutrum hic reperitur. *Licet*, inquit quæſt. 62. *plura Monaſteria & alia pia loca olim per Reges Franciæ reperiantur fundata, dotata & conſtructa, tamen illa non dicuntur juri Regaliæ affecta; tum quia quòd ſint, non reperitur in libris Cameræ computorum, in quibus jura Regaliæ ſunt ſcripta & deſcribi ſolent, quæ dicitur probatio urgens.... tum quia poſtquam non reperitur cautum, non dicemus ſubeſſe; maximè cùm jus illud, tanquam odioſum non ſit extendendum, etiam à jure communi exorbitans.... tum præterea, quia jus Regaliæ eſt extraordinarium, à privilegio, conſuetudine, aut immemoriali tempore procedens, quæ omnia non reperiuntur in alijs ab Archiepiſcopatibus & Epiſcopatibus. Ergo ad ea non ſunt extendenda, cum privilegia, conſuetudo & præſcriptio extra terminos ſuos extenſionem non patiantur.*

6. Denique cùm non ita pridem in publicum Parlamenti Pariſienſis auditorium delata lis eſſet, in qua hujuſmodi Regaliæ extenſio in Abbatias tentabatur, is qui Beneficium, vacante Abbatia, Regaliæ nomine à Rege obtinuerat, regio etiam Advocato conſentiente, cauſa excidit; ut refertur in Commentarijs ad Tractatum de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, quos edidit Clariſſimus vir Puteanus regiæ Bibliothecæ

Præfectus: adeò Curia hoc quorundam privatorum hominum de ſubjiciendis Regaliæ Abbatijs conſilium, tanquam temerarium veteríque ſuæ Jurisprudentiæ adverſum improbavit.

CAPUT VII.

Expenduntur ea, quæ à Ludovico Maimbourgo *Societatis Jeſu, pro extenſione Regaliæ in univerſos Regni Epiſcopatus afferuntur.*

1. Hic Scriptor multorum opuſculorum editione non tam celebris, quam famoſus, nuper controverſiæ de Inveſtituris hiſtoriam vernacula lingua edidit, in qua Imperij Occidentalis in deteriorem ſtatum declinantis imminutionem ex hac maximè Inveſtiturarum contentione arceſſit, & Imperatorum partes adverſus Romanos Pontifices pene ubique ſuſcipit: quam quidem occaſionem nactus opportunum exiſtimavit, ſuam quóque de præſenti Regaliæ quæſtione ſententiam aperire. Etſi autem nihil penè novi afferat, quod ſuperioribus capitulis explicatum non fuerit, adductas tamen jam ab alijs rationes novo quodam verborum lenocinio majoríque arte verſat, ut non inutile fuerit inſtitutum ab eo ſermonem hic breviter expendere.

2. Ait itaque „ Epiſcoporum electiones ſumma cum li„ bertate tandiu celebratas, quandiu Eccleſiæ divitijs carue„ runt, nullóſque alios proventus præter fidelium oblationes „ & eleemoſynas habuerunt, quod ferme per quadringentos „ annos duravit: ait, pretioſa hac ſua libertate, quam pauper„ tati acceptam ferebant, excidiſſe, ſimul ac divitijs abunda„ runt, maximè verò poſtquam Imperatorum ac Regum „ Chriſtianorum munificentia ad terrenas dignitates evectæ ſunt,

„ ſunt, & nobiliſſima regionum feuda, arces, caſtella & civi-„ tates poſſidere cæperunt. Hanc enim terrenam dignitatem, „ atque opulentiam, duo conſecuta eſſe: primùm, quòd „ Reges jus conferendorum Epiſcopatuum ſibi tribuerunt; „ ſive preces Cleri ac populi aliquem in Epiſcopum poſtulan-„ tis, benignè excipiendo; ſive quem vellent eligi, deſignan-„ do; ſive eum ex conſilio Epiſcoporum & Optimatum in „ Aula degentium, per ſeipſos eligendo; nonnunquam etiam „ ad Metropolitanum, quem ab eo vellent ordinari, mitten-„ do; denique rem ita ſemper moderando, ut nullus unquam „ Epiſcopus, niſi ex eorum nutu ac præſcripto renuntiaretur, „ vi, & auctoritate reſcripti ſeu decreti haud multum diſſimi-„ lis illi diplomati, quod hodie à regibus conceditur. Deinde, „ ut narrat idem Auctor, Epiſcopo ſic ab eis deſignato, aut „ ad Cleri populique preces renuntiato, feudorum aliorúm-„ que Epiſcopatus bonorum Inveſtituram concedere ſole-„ bant, annulum ac virgam paſtoralem ei in manus dando, „ antequam à Metropolitano alijſque Epiſcopis ordinari „ poſſet.

„ 3. Secundus divitiarum in Eccleſijs effectus (verba ſunt „ ejuſdem Scriptoris) ex priore quaſi naturaliter ſequens, eſt, „ ut Principes, qui Epiſcopatus conferebant, bonorúmque „ Epiſcopalium inveſtituram dabant, conſequenter etiam „ eorundem bonorum, ſede vacante, uſumfructum caperent, „ ac Præbendas aliáque Beneficia conferrent, donec novus „ exiſteret Epiſcopus, qui & Inveſtituram ſuſciperet, & Sacra-„ mento ſe fidelitatis eis obſtringeret. *Idque*, inquit, *Regaliæ jus appellatur, quod ita Inveſtituris conjunctum eſt, ut utrúmque jus unum atque idem eſſe videatur. Sicut enim, qui feudum non hæreditarium concedit, illud poſt mortem vaſalli jure recipit, cunctóſque fructus ſuos facit, donec illud alteri conceſſerit, qui ſe illi clien-*

telari jurejurando obſtringat: ita etiam Reges alijque Principes quibus jus donandi Epiſcopatus competit, eo ipſo, naturali quadam conſequentia, poſt mortem Epiſcopi omnium ejuſdem Epiſcopatus patrimonialium bonorum uſumfructum jure ſibi vindicant: quæ quidem bona eo ipſo quod Epiſcopatui conjuncta ſunt, nobilia fiunt, atque ad feudi conditionem evehuntur. Quapropter eorum fructus, ſede vacante, pro ſuo jure percipiunt, atque ea omnia, quæ fructuum nomine cenſentur, conferunt, donec novus conſtituatur Epiſcopus, qui ſolemne fidelitatis Sacramentum apud eos dicat.

4. Ex his omnibus idem Scriptor concludit, quòd cùm Regalia Inveſtituras neceſſariò comitetur, & ad jus donandorum Epiſcopatuum, quo Reges potiuntur, attineat, conſequens ſit eam ad omnes Epiſcopatus, qui regiæ collationis ſunt, extendi. Unde ultra inferendum relinquit, quòd cùm Reges Galliæ vi & auctoritate Concordati jus nominandi ad omnes regni Epiſcopatus habeant, Regalia quoque eis generatim in omnibus Epiſcopatibus concedenda ſit. Quamvis autem, his enarrandis, ſe aliorum tantum ſententiam referre, non verò ſuam proferre ſignificet, ſatis liquet, non alium ei ſcopum fuiſſe, niſi ut, quæ tum ad conciliandam Regaliæ auctoritatem, tum ad illius in omnes regni Eccleſias extenſionem defendendam, aptiora & validiora ei viſa ſunt, in publicam lucem proferret.

5. Quiſquis ea quæ lib. 1. de natura, origine & progreſſu Regaliæ, & proximis capitulis de ſacris electionibus dicta ſunt, attenderit, ſtatim quid verum, quid falſum ſit in hujus Scriptoris ratiocinatione diſtinguet, nihilque planè ex ea in extenſionis Regaliæ confirmationem effici, facile animadvertet. Ut tamen id adhuc magis eniteat, viſum eſt hîc ſequentes has breves animadverſiones adjungere.

6. I. Pro

6. I. Pro certo ponit hic Auctor, electiones canonicas, ſimul ac Eccleſiæ Imperatorum & Principum liberalitate, prædijs ac ditionibus auctæ fuerunt, nominandorum Præſulum jure in Principes translato, perijſſe. Atqui hoc falſiſſimum eſſe ſuperioribus capitulis demonſtratum eſt. Canonicæ ſiquidem electiones, Imperatoribus jampridem Chriſtianam religionem profeſſis, viguerunt, & per longa ſæcula in omnibus Orbis partibus continuatæ ſunt. Sin verò ex primis Imperatoribus aliqui nonnunquam Epiſcopos deſignarunt, maximè in ijs urbibus, ubi imperij ſedem fixerant, id extraordinariè & pro rerum ac temporum conditione, annuente etiam Eccleſia, & hanc eis prærogativam quodammodo deferente, præſtiterunt: vel ſunt privata facta, ex quibus nullum jus Principibus quærebatur, & quæ in exemplum trahi non poterant, ut ſupra obſervatum eſt.

7. II. Præterea contendit, Reges Chriſtianiſſimos jam ab initio Monarchiæ Epiſcopatus contuliſſe, eúmque uſum deinceps in Eccleſia Gallicana perſeveraſſe. Qua in re primùm ea, quæ nonnulli injuſtè ac per vim contra Eccleſiam perpetrarunt, confundit cum ijs, quæ juſtè & ex legitima auctoritate geſta ſunt, dum videlicet Principes aut electos à Clero & populo ſuo aſſenſu confirmabant, aut regiam ſuam operam in difficillimis Eccleſiæ temporibus, cum Apoſtolicæ Sedis conſilio & licentia, ad conſtituendos bonos Epiſcopos, impendebant. Deinde ſilentio præterit, Carolum Magnum vel potius Ludovicum Pium Imperatores ſacras electiones aliquando interruptas publico diplomate in uſum revocaſſe. Nihil de Hugone Capeto cæteríſque tertiæ dynaſtiæ regibus, quibus imperantibus electiones viguerunt, varijſque Edictis ac Pragmaticis Sanctionibus, nec non plurimorum Conciliorum & Summorum Pontificum decretis confirmatæ ſunt. Quin

potius ſignificare videtur, Antiſtitum electiones penes Chriſtianiſſimos reges jure quodam proprio, quod ab eorum corona divelli nequeat, ſemper fuiſſe, quod & falſiſſimum, & eorum pietati valdè injurioſum eſſe ſupra demonſtratum eſt.

8. III. Neque verò in explicandis Inveſtituris verior, aut accuratior apparet. Libro primo ejuſdem Hiſtoriæ duo illa celebrata privilegia, quæ vulgo in confirmationem Inveſtiturarum afferuntur, expendit, quorum alterum Carolo Magno Adrianus I. Pontifex Maximus, alterum Othoni I. Leo VIII. conceſſiſſe dicitur. Quod ad prius attinet, allatas à doctiſſimis viris rationes, quibus adulterinum eſſe convincitur, quam maximè poteſt, extenuat: poſterius verò tanquam certum atque indubitatum proponit, tametſi non ignoraverit, illud tanquam falſum à Doctiſſimo Cardinali Baronio rejectum eſſe ob multas rationes, quæ ſaltem ejus fidem dubiam & incertam reddunt. Quin & hocce privilegium de induſtria magnopere venditat & extollit, cùm etſi poneretur illud eſſe verum, eo rerum ſtatu à Leone VIII. Othoni conceſſum fuerit, ut apud æquos judices exiguæ vel potius nullius auctoritatis eſſe debeat, de quo videſis lib. 1. cap. 6. §. 5. Unde neque ipſe poſtea Imperatorum jus in dandis Inveſtituris hoc utróque Privilegio confirmat, ſed ſatis apertè docet, id juris ad eos non tam ex privilegio aut Eccleſiæ conceſſione, quam vi atque auctoritate Imperatoriæ dignitatis pertinuiſſe.

9. IV. Si naturam & conditionem Inveſtiturarum attendas, ſola feuda afficiebant, quæ videlicet Principes poſt Epiſcoporum mortem ad ſe recipiebant, ea futuris mox ſucceſſoribus reddituri. Poſtea autem jus iſtud ad alia Eccleſiarum bona, etiam ad decimas, oblationes alióſque proventus merè ſpirituales productum eſt, dum ea omnia Principes quandiu ſedes vacaret, una cum feudis cuſtodiæ nomine occuparent,

&

& electo poſtmodum Epiſcopo per Inveſtituram traderent. Itaque vulgo Inveſtitura non ſolum electionibus non obſtabat, ſed potius eas excipiebat, cùm ritè electo, antequam inauguraretur, concedi ſoleret. Id quod vel ex ipſo qualicumque Leonis VIII. privilegio, prout à Gratiano refertur, manifeſtum eſt. *Quod ſi*, inquit, *à Clero & populo quis eligatur Epiſcopus, niſi à ſupradicto rege laudetur & inveſtiatur, non conſecretur. Apud Grat. Diſt. 63.* Hæc ita ſe in Eccleſia Gallicana habuiſſe ſub finem undecimi ſæculi, imperantibus tertiæ dynaſtiæ regibus, cùm de Inveſtituris acriter certatum eſt, teſtantur quotquot ea ætate de Inveſtituris ſcripſerunt. Sæpe tamen Imperatores alijque Principes ſeſe intra legitimos Inveſtiturarum terminos non continebant, ſed earum occaſione Epiſcopos aliόſque Eccleſiæ Præpoſitos, ſublata electionum libertate, nominabant; quod latam ambitioni & Simoniæ portam aperuit, multόſque indignos ac nefarios homines in Eccleſiaſticas dignitates introduxit. Unde Romani Pontifices tam pernitioſa uſurpatione commoti, ejuſmodi Inveſtituris vehementer obſtiterunt, eáſque, intentato anathemate, in multis Concilijs damnarunt, ut alibi explicatum eſt. Hæc ſingula Maimburgus permiſcet, contenditque Reges & Imperatores, ſimul atque collatis in Eccleſias feudis ac ditionibus Epiſcopos ſibi feudatarios habuerunt, pro ſuo jure Epiſcopatus, nulla electionum habita ratione, contuliſſe. Atque ea cauſa eſt, cur in hac ſua Hiſtoria tantopere ad Imperatorum partes propendeat, Summόſque Pontifices, tanquam minus juſtè in damnandis Inveſtituris ſe geſſerint, accuſare non vereatur.

10. V. Demus Regaliam Inveſtituris, in eo quod juri & rationi conſentaneum habuerunt, ſucceſſiſſe, vel potius ex illis tanquam è fonte rivum, aut ex arbore ſurculum emerſiſſe, ut

ut lib. 1. declaratum eſt: numquid inde ſequitur, eam, prout nunc ſe habet, juſtam ac legitimam eſſe, aut ad Reges, præter Eccleſiæ conceſſionem, pertinere poſſe? Id quam falſum ſit ſtatim patet, ſi obſerves, qualis primùm Regalia fuerit, & qualis deinde, temporis progreſſu, evaſerit. Per me juſta ac legitima fuerit, licet, quandiu ſolo feudorum uſufructu continebatur, in ijs videlicet provincijs, in quibus ex conſuetudine Dominus, mortuo vaſallo, recepti ad ſe feudi fructus faciebat ſuos. At poſtquam ad alia Eccleſiarum bona, decimas etiam cæteróſque proventus ſacros, demum ad ipſam Beneficiorum collationem producta fuit, in aliam quodammodo converſa eſt, tótque acceſſionibus aucta, vitium contraxit, ut non aliter, quam expreſſa aut tacita Eccleſiæ conceſſione, juſta & legitima cenſeri poſſit.

11. VI. Neque verò ad excuſandum ejuſmodi Regaliæ incrementum Auctor ſine graviſſimo errore, aut niſi per ludibrium dicere potuit, univerſa alicujus Epiſcopatus bona, eo ipſo quo ei adjuncta ſunt, nobilia fieri atque ad feudorum conditionem evehi. Ut quid enim ea hoc vano nobilitatis titulo donat, niſi ut vero ſervitutis jugo ſubjiciat? Decimæ & oblationes, quæ Miniſtris Eccleſiæ aſſignantur, tributi loco ſunt, quod Deo tanquam ſupremo bonorum omnium auctori à fidelibus perſolvitur. Eccleſiæ bona à ſacris canonibus ſolum *oblationes fidelium*, *pretium peccatorum*, *patrimonium pauperum*, ſed & *ipſius Dei bona* appellantur. His titulis ab alijs quibuſcumque bonis diſtinguuntur, & apud omnes ſacra & inviolata habentur. Contra verò ab hoc ſcriptore non aliam ob cauſam novo hoc nobilitatis titulo ornantur, niſi ut, vacantibus Eccleſijs, Laicorum prædæ pateant. Idem potiori adhuc ratione de collationibus Beneficiorum, quæ præcipua eſt hodie Regaliæ pars, dicendum videtur. Quid enim Beneficiorum

ficiorum collationibus cum feudorum cæterorúmque Eccleſiæ bonorum uſufructu commune? Cúmque, ex omnium ſententia ſpirituale quid ac merè Eccleſiaſticum ſonent, qui fieri poteſt, ut Regibus ex ſola vi atque auctoritate regiæ coronæ adſcribantur, eo vano colore quæſito, quòd inter vacantis Epiſcopatus fructus numerentur?

12. VII. Hinc etiam obiter ſolvitur, quod à nonnullis Officialibus regijs opponi ſolet, Regaliam generali feudorum ſervitate niti, nec ſolum feudorum, poſt Epiſcoporum mortem, uſufructui ſucceſſiſſe, ſed plurimis alijs ſervitijs, quibus olim Antiſtites ratione feudorum obſtringebantur, qualia ſunt, Regem ad caſtra proficiſcentem comitari, certum ei militum numerum ſuppeditare, ejus Majeſtatem, aut miſſos ab ea Officiales hoſpitio excipere. Quid enim inde conficitur? Eſto, ad feudorum ſervitutem Regaliæ ortus vel etiam progreſſus, ut ſupra explicatum eſt, referatur: an idcirco, præter Eccleſiæ conceſſionem vel conſenſionem, juſta & legitima haberi poteſt in eo ſtatu, in quo jampridem quaſi in infinitum aucta conſpicitur? Deinde Regem ad caſtra comitari, certum ei militum numerum ſuppeditare, ejus Majeſtatem aut regios Officiales hoſpitio excipere, ſimiléſque antiquæ feudorum obligationes, quæ quovis tempore obſtringebant, nullam peculiarem affinitatem habent cum Regalia, quæ ſolum, vacante ſede, exiſtit; imo neque etiam ullam proportionem, ſi ea omnia conſideres, quæ hodie Regaliæ jure continentur. Præterea Feudorum vacantium uſusfructus, quæ res propius ad Regaliam accedit, in ſolis juris conſuetudinarij provincijs locum habere poſſet, non verò in provincijs juris ſcripti, ubi ejuſmodi feudorum vacantium uſusfructus ad Dominum, mortuo vaſallo, non pertinet, neque jus *Relevij*, quod huic uſufructui ſucceſſit, cognitum eſt, ut alibi explicavimus.

Denique jamdudum Chriſtianiſſimi Reges ejuſmodi feudalibus ſervitijs atque oneribus Eccleſias liberarunt, atque ijs, ſimúlque jure caduci, relevij, alijſque ſimilibus obligationibus Clerus Gallicanus ob annuam decimarum ſolutionem relaxatur, ut expreſsè cautum eſt in contractibus, quos ſingulis quinquennijs Comitia generalia eo nomine cum regijs Procuratoribus ineunt.

13. VIII. Perperam hic Auctor contendit, Reges Chriſtianiſſimos per Bononienſe, ut vocant, Concordatum, priſtinum jus nominandi ad Epiſcopatus, quod ex Inveſtituris olim habebant, recuperaſſe. Quis enim neſciat, quantum Inveſtituris diſſimilis ſit regia nominatio, quam ex Concordato adepti ſunt Reges Chriſtianiſſimi? Jam ſupra obſervatum eſt, Inveſtituram initio ſola feuda comprehendiſſe; deinde ad reliqua Eccleſiarum bona prolatam eſſe: cæterum nemini ſolitam dari, quin antea canonico more à Clero & populo, aut à Capitulo Eccleſiæ Cathedralis electus fuiſſet. Contra verò per illud Concordatum, ſublatis electionibus, jus nominationis ſeu Patronatus vel præſentationis ad Epiſcopatus & Abbatias Regibus Galliæ conceſſum eſt, inſtitutione ſeu collatione ejuſmodi Dignitatum Summo Pontifici reſervata. Itaque Inveſtiturarum jus civile quid ac humanum erat, in ipſa ſcilicet feudorum conditione fundatum, atque ad ſolas res temporales pertinens: regia autem nominatio ex Concordato introducta, jus ſpirituale eſt aut quaſi ſpirituale, quod Regibus niſi ex conceſſione Eccleſiæ attribui non poteſt. Unde etiam Reges, poſtquam ea nominatione perfuncti ſunt, Sacramentum fidelitatis, quod Inveſtituræ atque hominio ſucceſſit, ab Epiſcopis, antequam Epiſcopatus poſſeſſionem adeant, exigere ſolent. Præterea iſtud Concordatum pactum-conventum eſt inter duas ſupremas Poteſtates,

adeóque

adeóque, ut jam ſupra notatum eſt, utrinque ſecundum conditiones & formas verborum appoſitas ſervari debet, neque in eo quicquam, niſi ex mutuo partium conſenſu, immutari aut novari poteſt. Cúmque in eo nihil de Regalia neque directè neque obliquè habeatur, omnino à ratione abhorret, ut ejus verba per vanas conſequentias ad ejuſmodi jus in univerſas regni Eccleſias propagandum detorqueantur.

14. IX. Poſtremò cujuſmodi fuerit Regaliæ origo & natura, (de hoc enim licet unicuique quod probabilius exiſtimaverit, defendere) pro certo haberi debet, jam tum ab initio eam non in omnes regni provincias atque Eccleſias, ſed in aliquas tantum introductam fuiſſe. Deinde conſtat Concilium Lugdunenſe Oecumenicum, de quo mirum eſt hunc Auctorem nuſquam meminiſſe, tolerata in ijs locis Regalia, ubi ex antiqua conſuetudine recepta erat, graviſſimis verbis prohibuiſſe, ne in eas Eccleſias de novo induceretur, quæ ei hactenus non ſubjacuerant: neque etiam negari poteſt, quin vi & auctoritate hujus decreti certæ quædam provinciæ ac Diœceſes per quadringentos fere annos ad hanc uſque ætatem canonicam ſuam libertatem retinuerint. His ita pro confeſſo habitis, proferatur, ſi libet, priorum Regum in eligendis Epiſcopis auctoritas; adjungatur jus Inveſtiturarum, itémque regia ad Prælaturas nominatio ijs ex Concordato attributa: certè nunquam inde conficietur, juſtum æquúmque eſſe, ut tot Eccleſiæ ſua antiqua libertate priventur, producta regio Edicto per totum regnum Regalia, contra expreſſam Concilij Oecumenici in Gallia celebrati & recepti prohibitionem, contra ipſa priorum Edictorum, tum veterum, tum recentium verba, & contra conſtantem ac perpetuam harum Eccleſiarum poſſeſſionem.

CAPUT VIII.

Fruſtra aliqui contendunt, Regaliam idcirco generalem eſſe oportere, quòd Reges Chriſtianiſſimi omnium regni ſui Eccleſiarum Cathedralium Patroni habeantur.

1. REgiorum Officialium nonnulli Regaliam generalem eſſe oportere hoc præcipuè argumento probare conantur, quòd Rex omnium in regno ſuo Eccleſiarum Cathedralium generalis Patronus habeatur. Si enim, ut ipſi putant, Regalia Patronatus jure maximè nititur; cùm omnes Eccleſiæ Cathedrales Regem Patronum agnoſcant, conſequens eſt, ut etiam omnes Regaliæ ſubſint; nec quicquam hîc inter illas diſtinguendum videtur, quaſi aliæ aliis minus regiæ auctoritati ac tutelæ ſubjacerent.

2. Ut huic argumento ſatisfiat, duo Patronorum genera cum Canoniſtis diſtinguenda ſunt. Alij ita appellantur, quòd Eccleſiam ſuis ſumptibus extruxerint ac dotaverint, quibus præter honoris gradum in ea Eccleſia, qui in veteri canone apud Gratianum cauſ. 16. q.16. *aditus proceſſionis* nuncupatur, jus etiam competit nominandi ſeu præſentandi aliquem idoneum & capacem, qui ab Epiſcopo ad eam adminiſtrandam ordinetur, atque inſtituatur. Deinde ejus etiam partes ſunt, ut ejuſdem Eccleſiæ bona ac jura conſervet, eámque pro virili tueatur, ut in multis canonibus cautum eſt. Aliud autem genus Patronorum eſt, qui vel ob propriam dignitatem, vel ad id ſpeciatim electi, Eccleſiæ alicujus Miniſtros ac bona tueri, & contra Potentium vim & injurias defendere ex officio debent; qui quidem in jure non ſolum Eccleſiarum Patroni, ſed & Defenſores, ſeu Guardiani, atque Advocati appellantur, de quibus videſis lib. 1. hujus Tractatus cap. IX.

3. Jam verò Chriſtianiſſimi Reges priore ſenſu multarum in regno ſuo Eccleſiarum Patroni ſunt, quas ſuis ſumptibus aut ex regij Domanij bonis magnificentiſſimè dotarunt, & in quibus proinde jus habent præſentandi ad Beneficia, vel etiam abſolutè conferendi. Sed falſum eſt eos hoc modo omnium Eccleſiarum Cathedralium Patronos eſſe, cùm non omnes, ſed aliquas tantum ab eis conſtructas, aut regijs bonis auctas eſſe conſtet. Alioquin ſequeretur, eos nominationem ad omnes Præbendas, Canonicatus aliáque ejuſmodi Eccleſiarum Beneficia habere, non ſolum ſede Epiſcopali vacante, ſed quovis tempore: quod ne iſti quidem Officiales regij audent aſſerere; niſi forte erroneæ atque impiæ eorum opinioni accedere velint, qui ſcribere non dubitarunt, Reges ut ſupremos rerum temporalium dominos, proprio quodam ac regio jure, non ſolum Epiſcopatus, ſed & Dignitates, Canonicatus, Præbendas, Parochias, omnia denique Eccleſiaſtica regni ſui Beneficia conferre ac donare poſſe, de quo vid. Ferdinand. Vaſqueſ. lib. 2. Illuſt. controverſ. cap. 51.

4. Præterea hujuſmodi Eccleſiarum Patroni ſeu fundatores, ſive Eccleſiaſtici ſint, ſive Laici, ſive Principes, ſive privati, Beneficia ſui patronatus pleno jure non conferunt, niſi ex particulari privilegio, ſed tantum ad ea Clericos ab Epiſcopo examinandos, &, ſi capaces atque idonei reperti ſint, ab eo ordinandos & inſtituendos, præſentant. Unde quantumlibet juriſdictionis ſpiritualis habeant Decani, Præpoſiti, Archidiaconi vel aliæ Capitulorum Dignitates, Beneficia ſui patronatus pleno jure non conferunt, cùm id proprium ſit Epiſcoporum, ut multis canonibus definitum eſt, ut c. Laici. c. Inventum 16. q. 1. Cap. Quod autem. Cap. Tranſmiſſo, apud Greg. IX. De Jure Patronatus. Atqui Chriſtianiſſimi Reges non ſimpliciter ad Beneficia ob Regaliam vacantia

nominant, ſed ea pleno jure conferunt, atque ipſum titulum & inſtitutionem Regaliſtis donant, ea auctoritate & prærogativa, qua nec Epiſcopus, nec Summus etiam Pontifex donaret.

5. Poſtremo cùm is Patronatus, de quo hic agimus, ſervitus ſit à jure communi deflectens, ac legitimæ Ordinariorum auctoritatis uſum impediens, certis ac publicis teſtimonijs probari debet; quæ ſi deficiant, pro Eccleſiarum libertate pronuntiandum eſt, ut habetur can. Piæ mentis, cum ſequentibus 16. q. 7. Cap. Nobis, de jure Patronatus, & in Concilio Tridentino Seſſ. 14. cap. 12. de reform. & Seſſ. 25. cap. 9. de ref.

6. Neque verò dixeris Reges ipſo jure fundatores Eccleſiarum Cathedralium regni ſui reputari. Ut enim hoc gratis detur, quid tam alienum à ratione juris, quam ut hæc qualiſcumque juris præſumptio introducendæ rei adeò extraordinariæ, atque enormi, qualis eſt Regalia, cauſam præbere intelligatur? Probandum eſſet, Reges id juris in ipſa fundatione, conſentiente Eccleſia, ſibi retinuiſſe, aut certè eis, ex antiqua poſſeſſione, quam Eccleſia permiſerit ac probaverit, quæſitum eſſe, quemadmodum in Concilio Lugdunenſi ſtatutum eſt. Alioquin juſtitiæ, religioni ac rectæ rationi repugnat, ut Rex, eo ſolo nomine, quòd Eccleſiarum Cathedralium fundator reputetur, ſola ſua auctoritate ac præter Eccleſiæ conſenſum Regaliam generalem efficere poſſit, atque eam in multas provincias & Eccleſias, quæ nunquam ei obnoxiæ fuerunt, extendere, inſuper habito Concilij Lugdunenſis decreto, cui tot Reges ſuæ Majeſtatis prædeceſſores paruerunt, quódque hactenus ſumma religione in Gallia obſervatum eſt.

7. Itaque poſteriori tantum ſenſu Reges Chriſtianiſſimi omnium Galliæ Eccleſiarum, maximè verò Cathedralium Patroni

Patroni dici poſſunt, quatenus videlicet eis conſulere, atque earum bona & poſſeſſiones à vi & rapina potentiorum tutari debent, præſertim dum ſedes Epiſcopalis vacat, cùm tunc Paſtoribus orbatæ, regia tutela magis indigeant. At cùm ejuſmodi Patronorum proprium munus ſit Eccleſiarum bona & jura ſarta tecta præſtare; quis non videt ex tali Regum Chriſtianiſſimorum in omnes Eccleſias Cathedrales patronatu, fruſtra ac perperam inferri, eos, vacante ſede Epiſcopali, aliquod jus ſibi in reditus ſacros atque in collationes Beneficiorum vindicare poſſe? Cæterum hæc duorum Patronatuum diſtinctio, quorum alterum Rex in univerſas regni Eccleſias, alterum verò in aliquas tantum habeat, cum per ſe clara eſt & minimè dubia, tum graviſſimorum etiam inter Gallos Juris-conſultorum & Canoniſtarum teſtimonio confirmatur. Vid. Rebuff. in Concordat. tit. de regia ad Prælaturas nominat. §. 1. v. Cathedralibus.

8. Neque tamen diffitendum, quin id genus Patronatus, quo Reges Chriſtianiſſimi Eccleſiarum Cathedralium Protectores, Cuſtodes ac defenſores habentur, magno eis adjumento fuerit ad ſtabiliendam, atque amplificandam Regaliam, in ijs locis, ubi occaſione feudorum, introducta fuerat, ut lib. 1. cap. 9. demonſtratum eſt. Sed inde non ſequitur, quòd hæc prima ac præcipua ejus cauſa fuerit. Alioqui, cùm Reges æquè omnium in regno Eccleſiarum Cathedralium Patroni ſint, id eſt Protectores, Cuſtodes & Tutores, cur non ubique locum habuit Regalia? Cur ab initio in certas quaſdam provincias, atque Eccleſias tantum inducta eſt? Cur quæ ab illa primùm immunes fuerunt, hactenus in ſua naturali & canonica libertate relictæ ſunt?

9. Qua quidem in re plerique hallucinantur, quòd ea, unde Regalia ortum, atque incrementum habuit, qualia ſunt

feudorum

feudorum ſervitus, jus ſpolij, Eccleſiarum patronatus ſeu cuſtodia, non ſatis diſtinguunt ab ijs, quæ Regaliam, ut nunc ſe habet, hoc eſt quatenus vacantium Eccleſiarum uſumfructum ac Beneficiorum, præter parochias, collationem pleno jure comprehendit, juſtam ac legitimam efficere potuerunt. Singula illa modo memorata, quæ introducendæ & amplificandæ Regaliæ occaſionem præbuerunt, nequaquam effecêre, ut juſta ac licita eſſet, neque obſtitêre, quominus initio ac multo etiam poſt tempore, tanquam abuſus, atque alieni juris uſurpatio reprobari debuerit. Sola diuturna poſſeſſio, accedente expreſſo vel ſaltem tacito Eccleſiæ conſenſu, præſtitit, ut ejus uſus juſtus ac licitus evaderet. Quod ut peculiariter juri Patronatus, Cuſtodiæ ſeu Defenſionis, de quo hic agitur, accommodemus, illud quidem Reges ad introducendam vel potius augendam Regaliam non parum adjuvit. At id contra rei naturam accidit, cùm proprium Patroni, Cuſtodis, Defenſoris officium ſit, tuendis Eccleſiarum bonis ac juribus invigilare, atque, ubi Paſtoribus orbatæ ſunt, Oeconomos, qui earum bona adminiſtrent, & futuro mox Epiſcopo rationem reddant, vel præficere, vel ſua auctoritate fulcire; non verò Eccleſiarum vacantium fructus ſibi vindicare.

10. Et revera quid Chriſtianiſſimorum Regum Majeſtate ac pietate indignius, quam vacantium Eccleſiarum tutelam eo fine eáque conditione ſuſcipere, ut earum reditus ſibi tribuant; quaſi proprij commodi cauſa, & ad fiſcum augendum, id illis officij præſtarent? Oeconomi & Cuſtodis munus, ſi per ſeipſum conſideretur, abjectum eſt, & regiam dedecet Majeſtatem, neque ullo modo reſpondet dignitati, atque excellentiæ, quam vulgò Officiales regij Regaliæ adſcribunt, dum eam Jus Illuſtre & eximium, ac ſingularem Regum Chriſtianiſſimorum prærogativam appellant. Poſſunt quidem

Principes;

Digitized by Google

Principes, ut modò dictum eſt, Officialium ſuorum ope Oeconomos vacantibus Eccleſijs præficere, ſuáque auctoritate & præſidio munire: at alienum omnino ab eorum dignitate, ut ejuſmodi bona nullo alio intermedio, curent & adminiſtrent; quod tamen ab eis præſtandum videretur, quo Eccleſiarum fructus aliqua juris ſpecie ſibi vindicarent. Imprimis verò nihil tam ab officio Patroni, Cuſtodis & Defenſoris Eccleſiarum abhorret, quam ut ijs nominibus ad arrogandam ſibi Beneficiorum collationem abutatur, cùm majus in eo damnum Eccleſia faciat, quam ſi quamcumque redituum temporalium partem amitteret.

11. Unde tametſi alij quoque Reges ac Principes, in ſuis quiſque regnis ac ditionibus, Eccleſiarum Cathedralium ſint Patroni, Cuſtodes ſeu Defenſores, nequaquam tamen ſibi jus Regaliæ vindicant, quod nuſquam hodie in toto Orbe Catholico, præterquam in Gallia, uſurpatur. Sin verò Reges Chriſtianiſſimi jam ab initio Regaliam, eo nomine, quòd Eccleſiarum Patroni & Cuſtodes ſint, ſibi jure tribuere nequaquam potuerunt, etiam in ijs locis, ubi poſtea longo uſu confirmata, à Concilio Lugdunenſi tolerata, & quodammodo probata eſt; quid rationis atque æquitatis habet, ut nunc idem hic titulus proferatur, ad Regaliam in Eccleſias, quæ ei nunquam obnoxiæ fuerunt, extendendam, contra ejuſdem Concilij Lugdunenſis prohibitionem, & contra perpetuam & conſtantem harum Eccleſiarum poſſeſſionem, tot Chriſtianiſſimorum Regum edictis, & Parlamenti Pariſienſis Arreſtis per quadringentos fere annos confirmatam?

CAPUT IX.

Ratio ex rotunditate Coronæ adducta, aliæque ſimiles rationes ad Regis utilitatem in hac Regaliæ cauſa accommodata, vana ſunt ac futiles.

1. ITa debilis ac frivola eſt ratio, quam nonnulli, ad probandam Regaliæ univerſitatem ex regiæ coronæ rotunditate ducunt, ut vix reſponſione digna videatur. Quid enim orbicularis Coronæ figura ad Regaliæ amplitudinem confert? An Regum qui præteritis ſæculis in Gallia imperarunt, corona rotunda non erat? aut aliquid eis ad ſummum imperium defuit, quòd Regaliam in omnibus Eccleſijs non exercuerint? Quis non advertit, hujuſmodi ratiocinationibus Regum Majeſtatem violari, & immoderata extendendi eorum jura cupiditate, incertam quodammodo ac dubiam reddi ſupremam illam poteſtatem, quam ad ſubditorum ſibi populorum rectionem à Deo optimo maximo acceperunt? Hæc tam abſurda opinatio eis relinquenda eſt, qui ſibi in animum induxerunt, Regaliam eſſe regiæ Coronæ coævam, atque ab ipſo Monarchiæ exordio ei inſitam, quod quam ineptum ſit & chimæricum, ſupra demonſtratum eſt. Certè Renatus Choppinus, qui plerúmque impenſius regijs juribus amplificandis, quam conſervandis Eccleſiæ libertatibus ſtudet, hanc generalis Regaliæ defenſorum rationem ex Coronæ rotunditate deſumptam explodit. *Regalia iſta*, inquit lib. 1. de ſacra Politia tit. 7. n. 11. *non ubique exercentur à Principe inter ſuos, multóque arctioribus, quam regni limitibus circumſcribuntur & terminantur: licet alioquin regij diadematis ſphærica forma ſit, in quo nihil inciſum angulis, nihil ſinuoſum, æqualitatémque motus ac conſtantiam in omnibus ſuis partibus figura ſervet hujuſmodi.*

2. Sunt

2. Sunt qui eadem alijs verbis,& quidem aliquanto probabilius, proponunt. Ajunt enim, cùm pleræque in Gallia provinciæ pridem Regaliæ aſſueverint, haudquaquam conveniens videri,ut reliquæ ab ea immunes ſint: quandoquidem regiam dignitatem omnes pariter colant, eas in Regalia, quæ ſupremi Regum Dominij ſignum eſt, & prærogativa nobiliſſima, diſſimiles eſſe non oportere: ex hac diſciplinæ varietate plura oriri incommoda: nunc, prout ſe res habent, minimè expedire, ut, vacante ſede, bonorum Epiſcopalium adminiſtratio Capitulis relinquatur, Beneficiáque tandiu vacua dimittantur, quoad novus Anſtites poſſeſſionem Epiſcopatus adeat: Curiam Romanam jure præventionis ejuſmodi Beneficia interim collaturam, variáſque lites orituras inter illos, qui ea vel à Romano Pontifice, vel à Capitulis, Patronis aliíſque Eccleſiarum Præpoſitis obtinuerint.

3. Sed quam futiles ſint, atque imbecillæ ejuſmodi rationes, facile eſt animadvertere. Certè Concilium Lugdunenſe, dum Regaliam in ijs locis, ubi ex antiqua conſuetudine vigebat, tolerandam, in alijs verò, ubi hactenus in uſu non erat, minimè introducendam ſtatuit, ex hac diverſitate aliquos offendi debere non judicavit. Hucuſque per Reges licuit, ut ſingulæ in regno provinciæ, urbes, oppida ſuis quæque legibus, conſuetudinibus ac moribus uterentur. Ad Francorum Monarchiæ gloriam & amplitudinem pertinet, quòd tot provincias populóſque moribus, atque ingenio diverſos ſub unius Principatus poteſtatem redegerit. Sunt quædam provinciæ, quæ conſuetudinario, ut vocant, jure reguntur: aliæ verò, quæ jure ſcripto ſeu civili-Romano. Sunt quæ Ordinum comitia unoquoque anno, vel ſingulis triennijs celebrant; aliæ verò quibus comitiorum jus non eſt. Sunt quæ tributum, ſalarium, aliáque certa vectigalia pendunt, à quibus

aliæ eximiæ, atque immunes hactenus exſtiterunt. Notum eſt Caroli Molinæi celeberrimi ſuperiore ſæculo Juris-conſulti conſilium de abrogandis varijs provinciarum conſuetudinibus, novóque juris Francici codice condendo, qui imposterum ubique ab omnibus obſervaretur. Verùm ejuſmodi conſilium, tametſi aliquatenus plauſibile, minimè probatum fuit. Chriſtianiſſimi Reges, cùm ſupremam ſuam auctoritatem pari juſtitiæ & clementiæ ſtudio moderentur, ſubditorúmque ſaluti & tranquillitati inprimis ſerviant, præclarè ſe agere arbitrantur, ſi ſua ſingulis provincijs, atque urbibus jura, ſuos uſus, ſua privilegia conſervent, & ab ejuſmodi conſilijs, quæ æqualitatis obtentu, Potentiorum libidini, atque injuſtitiæ plerúmque famulantur, longè abhorrent.

4. Sin verò Reges in rebus civilibus & temporalibus, in quibus plena, atque abſoluta auctoritate pollent, ita ſibi agendum exiſtimant; ecquis potiori adhuc ratione parem ab eis moderationem in ijs, quæ ad Eccleſiæ jura & dignitatem pertinent, non expectet? Ecquis unquam putet, eis licuiſſe ob hujuſmodi convenientiæ & commoditatis rationes, Regaliam efficere generalem, hoc eſt, jus adeò extraordinarium & majorem ſui partem ſpirituale, & Eccleſiaſticum, propria auctoritate in multas provincias, atque Eccleſias ſibi de novo tribuere, non ſolum ſine aſſenſu Eccleſiæ, ſed contra ejus prohibitionem in Concilio Lugdunenſi promulgatam, & hactenus in regno obſervatam, & contra proprij religionem jurisjurandi, quo in ipſa inauguratione ſingulis Eccleſijs ſua jura ſuáſque immunitates ſe conſervaturos promiſerunt?

5. Quod autem ſpectat ad ea, quæ afferuntur, incommoda, ſi Regalia non ubique locum habeat, haud difficile eſt, eis illæſa Eccleſiarum libertate, occurrere. Capitula Eccleſiarum Cathedralium ex jure communi, Diœceſes, vacante

ſede.

Digitized by Google

ſede, in ſpiritualibus adminiſtrant: quidni igitur & in temporalibus adminiſtrare poterunt, præficiendo videlicet Oeconomos, qui Epiſcopalium bonorum curam gerant, & futuro Epiſcopo rationem ſuæ procurationis reddant; ut non ita pridem adhuc in Occitania aliiſque vicinis Provinciis obſervabatur? Sin verò id ſuſpectum ac periculoſum videtur, quòd aliquorum Capitulorum Canonici hacce adminiſtratione abuti poſſent, unde inter eos & ſucceſſores Epiſcopos diſſidia & lites orirentur; regij Magiſtratus in unaquaque Diœceſi Oeconomos, rationem futuris Epiſcopis reddituros, ſua auctoritate præficere poſſent: id quod à centum circiter annis in Occitania aliiſque Provinciis Regaliæ non obnoxiis, obſervabatur; in quibus Prætores aliique Officiales regij nominandorum Oeconomorum, ſede Epiſcopali vacante, poteſtatem ad ſe excluſis Capitulis, traxerant: quod etſi immunitati Eccleſiaſticæ minus conſentaneum videatur, tolerari poſſet. At nequaquaquam inde ſequitur vacantium Eccleſiarum fructus Regi tribuendos eſſe. Quod autem attinet ad Beneficia, quæ interim vacarent, vel ea Cathedralium Eccleſiarum Capitula, ex Apoſtolicæ Sedis Indulto, ut antea in pleriſque Eccleſiis mos erat, conferrent; vel futuro Succeſſori ex Canonum, ne quid ſede vacante innovetur, vetantium, præſcripto, ſervarentur; quo quidem caſu Romanæ Curiæ præventioni ſubjacere nequaquam deberent. Uno verbo, omnes facilè animadvertunt leviora eſſe ejuſmodi incommoda, quam ut ad defendendam Regaliæ extenſionem ſufficere poſſint, atque idcirco tantum ab Officialibus regiis hic afferri, quòd veris ac ſolidis ad eam probandam rationibus careant.

CAPUT X.

Alia obiectio Officialium regiorum proponitur, & diſſolvitur.

1. NOnnulli Officiales regij adductis contra extenſionem Regaliæ rationibus, atque ipſa rerum evidentia convicti huc confugiunt, ut dicant operæ pretium eſſe attendere, quos in uſus Chriſtianiſſimi Reges vacantium Eccleſiarum, in quibus Regalia ex antiqua poſſeſſione locum habet, proventus impenderint, atque etiamnum ſua Majeſtas impendat: utpote, qui eos vel futuris Epiſcopis reliquerint, vel in Eccleſiæ utilitatem, & in opera pia inſumpſerint: proinde, etſi daretur extenſionem Regaliæ in Eccleſias antea ei non obnoxias, minus juſtam eſſe, prudentiam tamen, & æquitatem poſtulare, ut Edicto ea de re promulgato omnes obtemperent; quandoquidem ſi ſua Majeſtas illud ad poſtulationem Epiſcoporum reſcinderet, ſuo jure in alijs omnibus Eccleſijs Regaliæ jampridem obnoxijs uti poſſet, adeóque earum reditus, quamdiu ſedes vacat, ad ærarium deferrentur, uti ſolebat fieri ante Carolum VII. qui primus Regaliorum proventus ſanctæ Palatij Capellæ donavit: quod certè Eccleſiæ Gallicanæ majori damno, atque oneri eſſet, quam illa Regaliæ extenſio, ex qua Regi ſola paucorum Beneficiorum in aliquibus Eccleſijs collatio accedit.

2. Quam debilis ſit hæc poſtrema extenſionis Regaliæ defenſio, ad quam regij Officiales alijs omnibus excluſi confugiunt, ſtatim apparet, cùm revera potius expreſſa ſit ejus condemnatio. Deinde eam defenſionem falſo niti fundamento facile eſt demonſtrare. Nam obſervandum has redituum Regaliæ in gratiam novorum Epiſcoporum donationes à Regibus fieri per peculiaria diplomata, quæ Cameræ computorum exhiberi,

exhiberi, & ab ea examinari, ſeu, ut vocant, verificari, ut & reliqua regiarum donationum diplomata, neceſſe eſt. Unde patet, jus percipiendorum ejuſmodi redituum ſemper penes Regem eſſe, eóſque ſuam Majeſtatem, quoties libuerit, retinere poſſe: quod etſi hocce tempore, tanquam ab ejus pietate & magnificentia alienum, minimè timendum eſt; quis tamen ſibi idem impoſterum ab ejus ſucceſſoribus eorúmve Miniſtris jure merito pollicebitur?

3. Certè Ludovicus XIII. glorioſæ memoriæ Rex Chriſtianiſſimus litteris ſuis anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo primo menſe Decembri datis omnes reditus Eccleſiarum Regaliæ ſubjectarum, dum vacarent, futuris Epiſcopis in perpetuum dimiſerat; idque, ut profitetur, quia cùm illos in pios uſus convertere deberet, utilius ac juſtius duxerat eos Epiſcopis futuris relinquere, quò ſingulæ Eccleſiæ, ad quas, ut ipſe loquitur, *naturaliter* pertinebant, inde juvarentur. At hæ Literæ juri atque Eccleſiaſticæ diſciplinæ adeò conſentaneæ, poſtmodum Ludovici XIV. feliciter regnantis, dum adhuc minoris ætatis eſſet, nomine reſciſſæ ſunt per alias Literas patentes, quibus edicitur, ſuam Majeſtatem Regaliarum fructus ad ſe ſuóſque ſucceſſores revocare, ut eos, quoties aliqua Eccleſia vacaverit, *Futuro Epiſcopo dimittat*, aut *in alia opera, prout opportunum exiſtimaverit, diſpenſet, per litteras patentes, quæ eam ob rem Cameræ computorum inſcribentur.* Unde etiam haud pridem ſua Majeſtas redituum Regaliæ tertiam partem in ſubſidium novorum Catholicorum, qui ab Hæreſi Calviniana ad fidem redeunt, aſſignavit, peculiari quodam Quæſtore, qui ejuſmodi pecuniam ex ejus præſcripto ac juſſione diſtribuat, conſtituto: quod certè indicio eſt, ſuam Maejeſtatem ejuſmodi fructus, ut ſuos habere, ac de ijs tanquam de re ſua ſtatuere.

4. Falſa

4. Falſa itaque & planè incerta eſt illa compenſatio, quæ ad defendendam Regaliæ in univerſas Galliæ Eccleſias extenſionem hîc affertur. Siquidem Rex, cùm jus iſtud in Eccleſias ei antea non obnoxias produxit, integrum illud, ac ſine diminutione in alijs, ubi jampridem locum habebat, ſervavit, redituúmque temporalium dominium, & diſpenſationem in Eccleſijs vacantibus retinens, in ijſdem Dignitates, Præbendas, Prioratus, cæteráque, præter Parochias, Beneficia pleno jure confert: quod unum hodie in Regalia vel maximè ſpectatur; quódque reipſa gravius Eccleſijs damnum infert, quam ſi vel quamlibet redituum ſuorum, ſede vacante, jacturam facerent.

5. Præterea, qui aliarum defenſionum inopia hanc qualemcúmque compenſationem proponunt, eam Simoniæ vitio laborare fortè non advertunt. Vellent enim, ut Chriſtianiſſimo in varijs Eccleſijs, quando eas vacare contigerit, Beneficiorum ac Miniſteriorum Eccleſiaſticorum collatio, quæ res planè ſpiritualis & hierarchica eſt, relinqueretur, ratione habita temporalium redituum, quos in alijs Eccleſijs ita ſuo jure percipit, ut tamen futuris Epiſcopis partim dimittat, partim in opera pia impendat; quantumvis eos, ut ipſi exiſtimant, perinde ac alios Domanij proventus, in ærarium transmittere, & in ſuam utilitatem convertere poſſet.

6. Denique etſi impoſterum Chriſtianiſſimi Reges, ex illorum Officialium ſententia, univerſos Eccleſiarum Regaliæ obnoxiarum reditus, ſibi tribuere, & in proprios uſus convertere, ſummo jure, poſſent: id tamen vix unquam futurum perſuadet, tum regij magnitudo animi, tum ſpectata Chriſtianiſſimorum Principum in res divino cultui mancipatas religio. Itaque aut Reges Prædeceſſores ſuos ſibi imitandos proponent, qui poſtquam Regalia à feudorum uſufructu,

ad

ad alia omnia Eccleſiarum bona producta eſt, ejuſmodi ſacros reditus in opera pia inſumpſerunt; aut eos Epiſcopis Succeſſoribus ſinguliſque Eccleſijs, ad quas *naturaliter* pertinent, ut loquitur in ſuo Edicto Ludovicus XIII. donabant. Atque adeò in eorum Majeſtatem injurius ſit, qui eos non aliter tam juſto officio perfuncturos exiſtimet, niſi Regaliæ uſum ad innumeras Eccleſias, quæ nunquam ei obnoxiæ fuerunt, proferre ſinantur, inſuper habito Concilij Lugdunenſis Decreto, hactenus in Gallijs tam religiosè obſervato.

CAPUT XI.

Expenduntur quidam Iuris canonici textus, aliáque argumenta, quibus Regaliæ uſus in ijs, quæ ad Beneficiorum collationem ſpectant, defenditur.

1. QUomodo Regalia ab uſufructu bonorum temporalium ad collationem Beneficiorum producta fuerit, lib. 1. c. x. explicatum eſt. Tantæ autem novationis præcipua, ut fatentur Regaliſtæ, ratio fuit, quòd collationes Beneficiorum inter fructus Eccleſiarum, Regibus, titulo Regaliæ, jam debitos, numerari placuerit. Quam debile ſit ac ruinoſum iſtud fundamentum fruſtra hic operoſius oſtenderem, cùm nulli dubium ſit, quin collatio Beneficiorum res ſit ſpiritualis & hierarchica, quæ inter temporales Epiſcopatus reditus cenſeri nequeat.

2. Neque obſtat Gloſſa in cap. *Cum olim. De Majoritate & obed.* qua Regaliſtæ hanc ſuam propoſitionem de collationibus inter fructus computandis maximè confirmant. Quis enim non ſtatim advertat, quam indignum ſit, eum juris textum ad collationes Beneficiorum Poteſtati ſæculari vindicandas afferre, in quo id unum agitur, ut ejuſmodi collatio-

nes à Canonicis Eccleſiarum Cathedralium, ad quos, ſede vacante, jurisdictio ſpiritualis devolvitur, non uſurpentur, ſed futuris relinquantur Epiſcopis? Ideò quippe hoc loco à Gloſſatore collationes fructibus comparantur, ut ſicut iſti quorum cuſtodiam, & adminiſtrationem Capitula tempore vacationis habent, ita & illæ potiori adhuc ratione futuro reſerventur Epiſcopo. *Capitulum*, inquit Gloſſa, *non poteſt conferre Beneficia, quæ pertinent ad Epiſcopum, vacante Eccleſia; quia omnes fructus, & jura Epiſcopatus debent fideliter cuſtodiri & reſervari ſucceſſori...... Sed collatio Beneficiorum inter bona Epiſcopalia & fructus computantur, & magnum fieret præjudicium Epiſcopo ſucceſſori per talem collationem: & ideò non poteſt* (Capitulum) *conferre, nec diſtrahere tales fructus, ſicut nec alios.* Quis igitur unquam putet hîc Gloſſatorem alióſque Canoniſtas, dum collationes Beneficiorum cum fructibus ſimilitudinariè tantum, & quaſi abuſivè recenſent, ut utraque futuro ſerventur Epiſcopo, intellexiſſe, quod ſi quandoque Laici quacumque dignitate præfulgentes, temporales vacantium Eccleſiarum fructus, vel ex conceſſione Eccleſiæ, vel alio quovis titulo ſibi vindicarent, inter illos fructus connumerandæ etiam eſſent Beneficiorum collationes? Quis neſciat communem eſſe Canoniſtarum doctrinam, quòd Beneficiorum collatio maximè ſi fiat pleno jure, jus ſit merè ſpirituale & Eccleſiaſticum? Unde tametſi inter illos invaluiſſet generatim iſtud Axioma: collationes Beneficiorum computantur in fructu: cùm Laici, ſecundum canones, ex propria conditione & ſtatu, ſint jurium ſpiritualium incapaces, nequaquam inde ſequeretur, quòd ſi Eccleſia Regibus Chriſtianiſſimis vacantium Eccleſiarum fructus ob Regaliam conceſſiſſet, ipſis quoque collationem Beneficiorum conceſſiſſe cenſenda foret. Neque enim, ut habet regula juris: *In generali*

rali conceſſione veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus. De Reg. jur. in ſexto. reg. 81.

3. Fruſtra itaque Officiales regij hanc Gloſſam ſimiléſque auctoritates adducunt, ad probandum Reges Chriſtianiſſimos jure Beneficia ob Regaliam diſtribuere poſſe. Si enim cùm primùm Regalia introducta eſt, ne quidem temporales omnes bonorum Epiſcopalium fructus, ob Cuſtodiam, Defenſionem aut alio quocumque titulo ſibi jure vindicarunt; ut nonniſi accedente poſtea Eccleſiæ conſenſu, hic uſus juſtus ac legitimus evadere potuerit, quod alibi demonſtratum eſt: potiori adhuc ratione idem ſtatuendum de collationibus Beneficiorum, quas idcirco tantum ſibi Reges tribuerunt, quòd eas fructuum temporalium loco habere placuerit. Hanc manifeſtam rei ſpiritualis & Eccleſiaſticæ uſurpationem, tam infirmo nixam fundamento, ſola, quæ poſtea acceſſit, Eccleſiæ tacita conſenſio vitio purgare, veterémque Regum Chriſtianiſſimorum poſſeſſionem legitimam efficere potuit. Quod tamen intelligendum eſt de generali diſtribuendorum Beneficiorum facultate, non verò de collationibus pleno jure, cum adjunctis illis extraordinarijs prærogativis, de quibus actum eſt lib. I. cap. xx. & lib. II. c. v. vi. vii.

4. His ita conſtitutis, ſupervacaneum eſſet hìc expendere varias Juris Canonici auctoritates, quibus nonnulli collationes, quæ ob Regaliam pleno jure fiunt, defendere conantur, ut cap. *Cum inter vos.* De *conſuetudine*, in antiqua collectione. Cap. *Dilectus 3. De Præbendis.* Cap. *Ex diligenti.* De jure Patronatus, in antiqua collectione. Can. *Eleutherius* 18. q. 2. Primum enim *collationis* & *conferendi* vox, quæ in illis Canonibus occurrit, pro quavis diſpoſitione, ſeu conceſſione Beneficiorum ſumi poteſt, ut Canoniſtæ obſervant. Cùm autem Patroni ſive Eccleſiaſtici ſive Laici regulariter ſolam ad Be-

neficia præſentationem ſeu nominationem habeant; quoties in jure dicuntur Beneficia conferre, id de præſentandi ſeu nominandi facultate intelligendum eſt, niſi expreſsè pleno jure ac ſine ullo præpoſitorum Eccleſiæ interventu conferre, atque inſtituere declarentur; quòd an alicubi in Jure canonico legatur, mihi compertum non eſt. Deinde in ſupra memoratis canonibus nuſquam Regalia nominatur. Significant tantum fuiſſe certa quædam Beneficia, quæ ad Principum aliorúmque Laicorum collationem, quovis tempore, hoc eſt, ſive ſuperſtite Epiſcopo, ſive Sede Epiſcopali vacante, pertinerent; quod etſi quis de collatione pleno jure ipſáque inſtitutione ſine ullo Eccleſiaſticæ poteſtatis interventu intelligendum contenderet, peculiaria eſſent facta, quæ ad Regaliam nulla legitima ac neceſſaria conſequentia trahi poſſent.

5. Sunt qui aliud afferunt argumentum ad confirmandas collationes, quæ ob Regaliam pleno jure fiunt, ut Ruzæus I. Parte Præfat. n. 7. ubi ait, quòd *ſi inferiores ratione fundationis habent jus præſentandi, à fortiori Principes ſuperiores, qui majora contulerunt, debent in remunerationem habere ampliorem prærogativam.* Sed præterquam, quòd nimis probet iſtiuſmodi argumentum, quandoquidem ex eo ſequeretur, Reges quæcúmque Beneficia ad eorum Patronatum ſpectantia pleno jure conferre debere; gravi etiam Simoniæ errore implicatur, dum pro certo ſumit, quòd ſi quis Princeps magna & ampla in Eccleſias contulerit, eo ipſo jus ſpirituale & hierarchicum, quale eſt collatio Beneficiorum, qua miniſtri in Eccleſia inſtituuntur, & miſſionem canonicam ad obeundum munus ſuum conſequuntur, ſibi vindicare poſſit.

6. Neque etiam à turpi adulatione excuſari poteſt idem Ruſæus, dum ibidem num. 8. hæc ait: *Ideo Inferiores præſentant duntaxat, quia non habent peritiam diſcernendi capacem à*

minus

Digitized by Google

minus idoneo .... Secus in Principibus, qui habent omnem peritiam in ſcrinio pectoris, & idcirco jure conferunt. Si enim hic nonnullorum Juris-conſultorum loquendi modus, in rebus & civilibus, & mundanis, in quibus Principes ſuprema auctoritate pollent, vix ferendus videtur; quis eum tanquam ineptum & impium non repudiet in ſpiritualibus & Eccleſiaſticis, quæ diverſi planè ſunt ordinis, & ſæculari nequaquam ſubſunt poteſtati? Quemadmodum autem nemo ſine religionis offenſa dixerit, quidquam auctoritati Principum ſæcularium cum ſacris & ſpiritualibus Pontificum functionibus commune eſſe; ita nullus niſi perperam contenderit, Reges tot graviſſimis in adminiſtranda republica curis occupatos, melius atque opportunius, quam alios inferiores Patronos, de promovendis ad Canonicatus & Præbendas cæteráque Eccleſiæ miniſteria judicaturos.

7. Negari quidem non poteſt, quin Reges Chriſtianiſſimi Beneficia in ſanctis Capellis alijſque nonnullis Eccleſijs, quarum fundatores ſunt, pleno jure conferant, & quin alij quoque Patroni Laici idem jus ſibi vindicent. At vel non ſunt propriè Beneficia Eccleſiaſtica, juxta ſententiam Canoniſtarum à Beneficijs diſtinguentium Capellanias ſeu officia quædam, quos *Perſonatus* appellant: aut ea conferunt ex ſpeciali privilegio & facultate eis ab Eccleſia in ipſa fundatione conceſſa. Quo caſu *miniſterialiter* tantum ſpirituali & Eccleſiaſticæ functioni operam ſuam impendunt: cúmque id extraordinarium ſit & juri communi adverſum, intra privilegij terminos coercendum eſt, non verò ad alia trahendum, & ad univerſa Diœceſeon Beneficia, titulo Regaliæ, dilatandum.

8. Siquidem, ut id obiter hîc obſervem, duo hæc maximè inter ſe diverſa ſunt: Alterum, ut Rex Chriſtianiſſimus ex ipſa fundatione & ſpeciali privilegio quædam Beneficia,

ut vocant, ſimplicia, vel Canonicatus in ſanctis Capellis, aut alijs quibuſdam Eccleſijs pleno jure conferat: Alterum, ut generali quodam jure regiæ Coronæ inſito, vacantibus Eccleſijs Cathedralibus, Dignitates, Præbendas & Canonicatus, quibus Eccleſiaſtica jurisdictio & facultas munera ſpiritualia obeundi annexa eſt, denique omnia per totam Diœceſim, præter Parochias, Beneficia, conferat; idque non ſolum ſi ad plenam Epiſcoporum collationem ſpectent, verùm etiam etiamſi Patronatui vel Eccleſiaſtico vel Laico ſubjecta ſint, ita ut Rex ad Patronorum præſentationem det titulum, atque inſtitutionem, quod omnino ſpirituale & hierarchicum eſt; atque hæc omnia agat nullis adſtrictus juris Canonici regulis, & ea auctoritatis prærogativa, quæ neque Epiſcopis neque etiam Summo Pontifici, in rebus beneficiarijs conceditur. In priori caſu nihil Eccleſiæ dignitati detrahitur, neque inde grave aliquod incommodum oriri poteſt: at in poſteriori, confunditur hierarchicus ordo, & Eccleſiaſticæ juriſdictioni ac diſciplinæ grave vulnus infligitur. Cùm autem hæc omnia, quæ ob Regaliam fiunt, adeò extraordinaria ſint, & à jure communi aliena, nulláque Eccleſiæ conceſſione vel expreſſa vel tacita, ſed ſola Arreſtorum Parlamenti Pariſienſis ac privatorum quorundam Juris-conſultorum auctoritate nitantur; haud ſcio qua ratione juſta & legitima eſſe poſſint, tametſi hactenus ea quodammodo Eccleſia toleravit.

CAPUT XII.

CAPUT XII.

Refelluntur, qui Regibus Chriſtianiſſimis conferendorum pleno jure Beneficiorum poteſtatem tribuunt, quòd in ſua inauguratione ſacro delibuti oleo Laicis excellere videantur.

1. COllatio Beneficiorum & Miniſtrorum Eccleſiæ inſtitutio res eſt adeò ſpiritualis & hierarchica, ut communi rationis ac religionis ſenſui repugnet, ſi aliijs quam Epiſcopis atque Eccleſiæ Præpoſitis tribuatur. Hinc nonnulli Auctores Galli, ut id juris Chriſtianiſſimis Regibus vindicent, eos ex Laicorum conditione eximunt, & ſacra inaugurationis unctione nonnihil Sacerdotalis dignitatis participare aſſeverant. Eam in rem Salomonis aliorúmque Regum Juda exemplum proferunt, qui nonnunquam Summum Pontificem præfeciſſe, ac Sacerdotum Levitarúmque, qui templo miniſtrarent, numerum definijſſe ac vices diſtribuiſſe leguntur. Alij denique ultra adhuc progreſſi Romanorum aliorúmque Gentilium morem laudant, qui regnum Sacerdotio conjungebant, ita ut eorum Reges & Imperatores, ijdem etiam Summi Pontifices, id eſt, rerum, quæ Deorum cultum ſpectabant, præcipui arbitri ac ſupremi moderatores eſſent.

2. Hæc aliáque ſimilia Regaliſtarum dicta vix reſponſionem merentur; cùm ſtatim, quam falſa ſint & inepta, appareat, idque unum probent, eos ad tam frivolas rationes confugere, quòd veris ac ſolidis careant. Quid enim, ut à Romanorum aliorúmque Gentilium exemplo ordiar, ſimilitudinis aut cognationis habent prophanæ ac ſuperſtitioſæ idolorum ceremoniæ, cum Dei veri & viventis cultu? & populorum impietate occæcatorum leges, cum divinis ac

ſanctiſſimis

ſanctiſſimis regulis, quibus Eccleſia gubernatur? Quis etiam ignorat inſtitutam à Deo Reipublicæ Iſraeliticæ formam Judæorum propriam fuiſſe, atque una cum ceremonialibus præceptis deſiiſſe, ſimulac Chriſtus Dominus Eccleſiam ſuam fundavit, atque in ea tanquam ſupremus Rex & Paſtor, Apoſtolos eorúmque ſucceſſores, qui eam ſuo nomine ac vicaria poteſtate gubernarent, conſtituit?

3. Quod autem eam opinionem ſpectat, quæ Chriſtianiſſimos Reges ex Laicorum conditione eximit, & ad ſacerdotalem quodammodo evehit dignitatem, ne veriſimilis quidem videtur. Abſit ut præſtantiſſimæ eorum dignitati, quâ tanquam Eccleſiæ Primogeniti cunctis Regibus antecellunt, quidquam detractum velim. Sed parum eorum Majeſtatem revereri mihi videntur, qui falſis eos titulis & ab ipſorum pietate alienis ornare tentant. Sacroſancti quidem & inviolati unctione illa ſolemni evadunt, qua ſuprema in eis poteſtas, quam à Deo habent, & hæreditario jure conſecuti ſunt, quodammodo obſignantur. Verùm id ſolum intelligendum in rebus ad civilem ſtatum pertinentibus, neque iſta unctione ullum propriè jus vel auctoritatem in res ſacras & ſpirituales adipiſcuntur. Præterea quis neſciat, eam unctionem Chriſtianiſſimorum Regum propriam non eſſe, ſed in aliorum quoque Regum inauguratione adhiberi? Nihil hîc de ſacra Ampulla cælitus delapſa, de morbis quos contactu ſuo curare perhibentur Chriſtianiſſimi Reges, aliíſque eorum dignitatibus & prærogativis, quippe quæ extra rem ſint, nihílque ad quæſtionem Regaliæ conferant, tametſi à nonnullis Scriptoribus hic proponantur.

4. Denique conſtans eſt Canoniſtarum doctrina, Reges & Imperatores, dum oleo ſacro unguntur, nequaquam Laicorum nomen amittere. Gloſſator in Can. *Valentinianus*, diſt. 63.

Digitized by Google

diſt.62. obſervat, Imperatores, tametſi ſubdiaconi officio nonnunquam fungantur, minimè ſubdiaconorum ordine inſignitos eſſe. Francorum Reges pro ſua pietate in præcipuis quibuſdam Eccleſijs Cathedralibus inter Canonicos recenſeri voluerunt, atque interdum Canonicorum veſtem induti divinis officijs in choro interfuerunt, ut ex Annalibus Franciæ aliiſque veteribus monumentis probatur: neque tamen idcirco aliquam auctoritatem ſpiritualem in rebus Eccleſiaſticis, aut ſacris functionibus ſibi arrogarunt.

5. Patet itaque ineptè omnino, atque inſulsè dici, quòd Reges Chriſtianiſſimi ex inauguratione, vel unctione ſua vim aliquam, aut poteſtatem ad conferendum pleno jure Beneficia, quæ ob Regaliam vacant, conſequantur. Id videntur agnoviſſe plerique Auctores, qui recèns de hoc Regaliæ argumento ſcripſerunt. Quaſi enim eos iſtius rationis puderet, aut eam planè prætermittunt, aut obiter tantum attingunt, eo ipſo ſatis ſignificantes ſibi eam futilem & frigidam videri.

CAPUT XIII.

Exceptioni regiorum Officialium occurritur, quâ opponunt cauſam Regaliæ, auditis partibus, primùm Parlamenti Pariſienſis ac regij Conſilij Arreſtis dijudicatam; deinde verò Ludovici XIV. feliciter regnantis Edicto finitam eſſe: huic Edicto Clerum Gallicanum paruiſſe; unde non amplius audiendos, qui ea de re litem movere vellent.

1. OFficiales regij propriæ cauſæ diffidentes, nec quid rationibus hactenus pro Eccleſiarum libertate allatis opponant, reperientes, alia breviori & quaſi compendiaria via ſe expediunt. Ajunt fruſtra jam de hoc negotio diſceptari, quod non ſolum Arreſto Parlamenti Pariſienſis anno

anno milleſimo ſexcenteſimo octavo lato præjudicatum eſt, verùm etiam ſolemni regij Conſilij judicio definitum, poſt litem triginta amplius annis inſtructam, cui Cleri Gallicani generales, ut vocant, Agentes, Provinciæ Narbonenſis Procurator, pluréſque Antiſtites, & Capitula Eccleſiarum, quæ ſe à Regalia immunes contendebant, intervenerunt, titulos & documenta ſuæ immunitatis ediderunt, eáque omnia, quæ ad ſui juris defenſionem ſpectabant, protulerunt: cúmque tot modis Clerus Gallicanus in ea cauſa regium tribunal regiíque Concilij juriſdictionem agnoverit; minimè nunc audiendos eſſe pauculos quoſdam Epiſcopos, qui deciſioni jam factæ refragantur, Edictóque regio parere abnuunt: maximè cùm generalia Cleri Gallicani Comitia anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo quinto congregata de hoc gravi negotio nullam deliberationem habuerint, atque ita ſuo ſilentio ſe rebus judicatis ſtare, & Edicto regio duobus ante annis publicato parere velle ſatis ſignificarint.

2. Ut huic objectioni ſatisfiat, reſpondent Eccleſiarum libertatis defenſores, quidquid vel Parlamentum Pariſienſe, vel Regis Conſilium in hac cauſa geſſit, minimè vim atque auctoritatem rei judicatæ habere, ſive cauſæ ipſius naturam, ſive litis inſtructionem conſideres: ac proinde ea Arreſta & Judicia non obſtare, quominus Antiſtites & Capitula ſeſe eorum executioni opponant, regio Edicto tanquam per ſubreptionem à Sua Majeſtate obtento parere abnuant, atque Eccleſiarum ſuarum libertatem omni legitimo, quo potuerint modo, propugnare pergant. Hanc ſuam reſponſionem ſequentibus obſervationibus confirmant.

I.

3. Negant in terminanda hac cauſa juriſdictionem Parlamenti Pariſienſis & regij Conſilij à Clero Gallicano agnitam fuiſſe.

fuiſſe. De Parlamento res clara eſt. Quidquid enim hujus Curiæ Officiales à centum circiter annis, poſtquam de extendenda per totum regnum Regalia conſilium initum eſt, in hoc negotio præſtiterunt, non ad legitimum judiciorum ordinem, ſed potius ad alieni juris & Eccleſiaſticæ libertatis violationem referri debet. Quapropter ex illo tempore Clerus Gallicanus eos non ut judices, ſed ut adverſarios habuit, nec eorum Arreſtis tanquam legitimis judicijs parendum ſibi, ſed tanquam apertæ adverſus immunitates ſuas injuriæ reſiſtendum exiſtimavit; quod maximè patuit, cùm adverſus Arreſtum anno milleſimo ſexcenteſimo octavo latum, quo Henrici Magni Edictum paulo ante publicatum abrogare tentaverunt, interpoſita conteſtatione reclamavit.

4. Quod ad regium Conſilium ſpectat, Clerus quidem contra modo memoratum Parlamenti Pariſienſis Arreſtum querelas ſuas ad Henricum IV. detulit: ſed id ſuaſoria oratione ad ſuam Majeſtatem habita, non verò porrecto ad regium Conſilium libello factum eſt: qua de re iterum ad Ludovicum XIII. glorioſæ memoriæ Principem, & ad Ludovicum XIV. hodie feliciter regnantem non ſemel ea, qua par eſt, reverentia Epiſcopi verba habuerunt. Sin verò Regaliæ lis ad regium Conſilium delata eſt, ibique diu hæſit, id non alia ratione factum eſt, niſi ut litibus occaſione Regaliæ in eos, qui Beneficia Ordinarij collatione adepti erant, ſuſcitatis occurreretur; quas lites ad Cleri poſtulationem Rex Chriſtianiſſimus, interdicta Parlamento Pariſienſi earum cognitione, ad ſuum Conſilium evocaverat. Quamvis enim, ut alias notatum eſt, poſt admiſſas Cleri adverſus ſupra memoratum Parlamenti Arreſtum expoſtulationes, Beneficia interim in Provincijs & Diœceſibus hactenus liberis, ob Regaliam conferri fas non eſſet: & ſi quæ collata forent, id tanquam per

ſubreptionem factum nullius eſſet roboris, ipſóſque Regaliſtas ab omni actione ſtatim à limine judicij repelli oporteret: multa tamen Beneficia identidem, ſive ambientium efflagitatione, ſive Miniſtrorum regiorum diſſimulatione, vel etiam opera, conferebantur, variæque lites in Parlamento Pariſienſi ea de cauſa inſtruebantur, quas ad regium Conſilium evocare neceſſe erat.

5. Sin verò huic liti Agentes Cleri intervenerunt, ac Provinciæ Narbonenſis Procurator nonnullique Antiſtites, & Capitula Eccleſiarum à Regalia immunium titulos & documenta ſuæ libertatis in ea ediderunt; id non alio fine factum eſt, niſi ut ſubreptitijs illis Regaliſtarum proviſionibus, quibus legitimi & pacifici Beneficiorum poſſeſſores paſſim vexabantur, occurrerent; nec alio id animo præſtitiſſe cenſendi ſunt, quam olim Bertrandus Auguſtodunenſis Epiſcopus, dum Eccleſiaſticæ jurisdictionis cauſam coram Philippo Valeſio agens, proteſtatus eſt, ſe verba facere, *non ad finem ſubeundi quodcumque judicium, ſed ſolum ad Domini Regis & aliorum aſſiſtentium conſcientiam informandam.* Hinc ea litis inſtructione nequaquam Clerus Gallicanus delatas ad ſuam Majeſtatem de ipſo Regaliæ negotio querelas & expoſtulationes ſuſtulit, aut Eccleſiarum jus libertatémque regij Conſilij cognitioni & jurisdictioni ſubjecit. Semper enim perſuaſum habuit nullum hîc litigandi locum eſſe, adeóque Regem ipſum conveniendum eſſe, ut indebitos Officialium ſuorum in Eccleſias à Regalia liberas conatus reprimeret, quarum videlicet jus ita certum & manifeſtum eſſet, ut illud multum debilitare, imo & prodere videretur, quiſquis ejus diſceptationem, tanquam incertum & litigioſum foret, regij Concilij cognitioni permitteret.

6. Præterea

6. Præterea cùm hæc cauſa jampridem totius Eccleſiæ judicio in Concilio generali Lugdunenſi dirempta eſſet, Beneficiorúmque collatio, quæ præcipua Regaliæ pars eſt, res ſit merè Eccleſiaſtica & ſpiritualis, nunquam ejus cognitio, niſi per manifeſtam Eccleſiaſticæ auctoritatis injuriam, ſæculari curiæ, & regijs Officialibus permiſſa fuiſſet: ut mittam id à Clero fieri non potuiſſe, ſine ſumma imprudentia & maximo Eccleſiarum damno, cùm facilè eſſet perſpicere, regios Officiales ad amplificanda ſuæ Majeſtatis jura valde pronos in hac cauſa eo ſuſpectiores eſſe, quòd in extendenda Regalia ſuæ quoque juriſdictionis fines proferrent, atque adeò in confirmationem Arreſti jam à Parlamento lati ſua ſponte propenderent.

7. Quantum ab hoc conſilio Clerus Gallicanus abfuerit, quámque conſtanter eam Defenſionis rationem ſecutus fuerit, quam inierant Epiſcopi, qui adverſus illud Parlamenti Arreſtum querelas ad Henricum Magnum detulerant, patet ex ijs, quæ acta ſunt in Comitijs generalibus anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo, & anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quinto, cùm regij Officiales extenſionem Regaliæ in regio Concilio urgerent. Nam cùm poſterioribus Comitijs, quæ toto fere biennio duraverunt, certo quodam die Eminentiſſimus Cardinalis Mazarinus, penes quem ſuprema tum rerum adminiſtratio erat, interfuiſſet, egregiam ad eum orationem habuit Illuſtriſſimus Franciſcus Boſquetus Lodovenſis Epiſcopus, quæ in actis Cleri Gallicani adhuc legitur, ex qua planum fit, quantum Clerus Gallicanus ab agnoſcenda in hoc negotio ordinaria regij Conſilij juriſdictione abhorreret. Præterea ſub idem fere tempus Eruditiſſimus Dominus Petrus de Marca eorundem Comitiorum rogatu, præclarum Commentarium edidit, quo & jus Eccle-

ſiæ in ea cauſa, & regiorum Officialium, qui ejus cognitionem ad ſe trahere conabantur, fraus & dolus, firmiſſimis & invictis rationibus oſtenditur. Quin & generalia Comitia anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo Pariſijs congregata aliquot Antiſtites alióſque viros Eccleſiaſticos delegarunt, qui hanc Regaliæ cauſam diſcuterent, & quid opportunius ſibi ad eam finiendam videretur, referrent: quod cùm diligentiſſimè præſtitiſſent, Illuſtriſſimus Carolus de Genlis Archiepiſcopus Ebredunenſis ſuo aliorúmque delegatorum nomine, ea de re, plenis Comitijs cum ingenti omnium applauſu peroravit; ejúſque oratio poſtea ſcriptis tradita in tabulario Cleri repoſita eſt.

8. Denique fruſtra contendunt regij Officiales, Comitia Cleri Gallicani anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo quinto congregata regium Edictum ante duos annos promulgatum ratum habuiſſe, ſuóque ſilentio ſufficienter comprobaſſe. Contrarium patet, vel ex Epiſtola, quam ad ea Comitia Illuſtriſſimus bonæ memoriæ Nicolaus *Pavillon* Alectenſis Epiſcopus ſcripſit, in qua apertè, quantam ex hoc Edicto injuriam Eccleſia acciperet, oſtendebat, & Epiſcopos alióſq; Comitiorum delegatos, ut ea de re ad ſuam Majeſtatem querelas deferrent, incitabat. Hæc enim cùm plenis Comitijs legerentur, ſumma omnium attentione excepta ſunt, nec obſcurè plerique delegati, quam ſibi probarentur, ſignificarunt. Quod ubi animadvertit Illuſtriſſimus Franciſcus *De Harlay* Archiepiſcopus Pariſienſis Comitiorum Præſes, ſe ad Regem relaturum recepit ac ultro pollicitus eſt, hac ſua pollicitatione, ne res in conſilium mitteretur, aut expreſſius definiretur, perficiens. Sin autem poſtea is quid cum Rege egerit, ad Comitia minimè retulit, neque ultra paſſus eſt, ut reliquo Comitiorum tempore, quod quidem breve fuit, ea

de

Digitized by Google

de re mentio fieret; quis inde rectè inferat, Clerum Gallicanum in his Comitijs Regaliæ cauſam tacitum prætermiſſe ac ſuo ſilentio regium Edictum ſufficienter comprobaſſe?

II.

9. Quantumvis Agentes Cleri, ex generalium Comitiorum mandato regij Conſilij juriſdictionem in hac cauſa agnoviſſent, nihilque ad Eccleſiarum à Regalia immunium defenſionem omiſiſſent; id nequaquam iſtis Eccleſijs fraudi eſſe poſſet, cùm delegati ad Comitia generalia ſpeciale ad id mandatum ab Epiſcopis & Capitulis non habuerint; quod tamen omnino neceſſarium erat, ut Comitia de hoc negotio aliquid decernerent, & ex eorum auctoritate Cleri Agentes ordinariam regij Conſilij jurisdictionem agnoſcerent. Quis enim neſciat Comitia Cleri ſingulis quinquennijs non alia de cauſa convocari, niſi ut pecunias in Regem à Clero ſubſidij nomine conferendas præſcribant, & Quæſtorum quos his pecunijs colligendis præpoſuerunt, rationes accipiant & ratas habeant. Sin verò ibi quidpiam aliud, quod Eccleſiarum jura aut immunitates ſpectet, proponatur, id prius in ſingularum Provinciarum Comitijs proponi, & per ſpeciale mandatum delegatis ad Comitia generalia committi debuit. Alioquin, quidquid in his Comitijs ea de re definitum fuerit, caſſum eſt atque irritum, neque ullatenus Epiſcopos aut Eccleſias obligat.

10. Receptum quidem eſt ob publicam utilitatem, ut Cleri Agentes litibus ſeu controverſijs, quæ in regio Conſilio diſceptantur, ſi quid Provinciarum Eccleſiaſticarum aut Diœceſeon referre viderint, interveniant. At periculoſiſſimum eſſet, ut hæc eorum interventio Epiſcopis, Capitulis alijſque è Clero, à quibus nullum mandatum acceperunt, fraudi eſſet, maximè in publicis & extraordinarijs cauſis, qualis eſt hæc Regaliæ cauſa, in qua de Epiſcoporum juribus &

& canonica plurimarum Eccleſiarum libertate agitur. Unde nemo negaverit, quin eo caſu Epiſcopi & Capitula Agentium interventionem, quæ tantum ipſis damni afferret, improbare poſſint: præſertim cùm ex omnium Juris-conſultorum ſententia Eccleſia Minorum privilegio gaudeat, qui ſi aliquo judicio, aut contractu læſi fuerint, in integrum beneficio legis reſtituuntur, maximè cùm id Procuratorum culpa accidit; quæ quidem Minorum reſtitutio nulla *rei judicatæ* exceptione, aut alia quacumque ſimili oppoſitione impeditur.

III.

11. Varia regij Conſilij Arreſta, quibus Epiſcopi & Capitula ſuæ exemptionis titulos & documenta edere intra præfinitum tempus jubebantur, irreparabilem noxam Eccleſijs à Regalia liberis inferebant, eaſque gravi præjudicio afficiebant. Quapropter ijs minimè parendum erat, ſed potius eorum executioni obſiſtendum, & ad Regis juſtitiam per legitimas querelas, ea, qua par erat, reverentia, confugiendum. Cùm enim ante ejuſmodi Arreſta conſtanter poſt hominum memoriam obſervatum fuiſſet, ut quoties quæreretur, an Regalia in aliqua Eccleſia locum haberet, toties onus probandi poſſeſſionem in regium Procuratorem rejiceretur, qua in probatione ſi deficeret, vindiciæ pro Eccleſiarum libertate dabantur: his contra Arreſtis generaliter Eccleſijs impoſitum eſt, ut ſuæ immunitatis titulos & documenta proferrent, nulla diſtinctione facta inter eas, quæ huic juri nunquam ſubjacuerunt, & nativam ac canonicam ſuam libertatem à prima uſque origine retinuerant, & eas quæ ſuam immunitatem titulo oneroſo, aut privatis privilegijs conſecutæ fuerant. At cùm ex Edicto Melodunenſi alijſque regijs Edictis cap. 11. hujus libri num. 6. relatis, fas non fuerit has etiam poſteriores Eccleſias ad proferendos titulos & probationes ſuæ

ſuæ exemtionis cogere; potiori adhuc ratione id juris erga priores illas obſervandum fuit. Sat illis erat perpetuam & conſtantem ſuæ libertatis poſſeſſionem laudare. Sin verò regius eas Procurator Regaliæ ſubjicere vellet, eum Actoris partes ſuſtinere, & Majeſtatis ſuæ poſſeſſionem, ut hactenus factum fuerat, probare oportuit: adeò ut jure merito hoc rerum ſtatu hæc clariſſimi viri Petri Pithæi verba, quæ initio Tractatus de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ leguntur, uſurpare potuerint: *Suam in hac re libertatem minimè eſſe ſingularem aliquam prærogativam aut extraordinarium privilegium, ſed nativam quandam ingenuitatem, & ex jure communi profectam vacationem, cui nulla unquam contraria definitione derogatum fuiſſet; ideóque non alium ejus retinendæ titulum proferri oportere, niſi ipſam naturalem & liberam poſſeſſionem.*

12. Hoc probè intellexit Procurator Provinciæ Narbonenſis, cùm vi & auctoritate ejuſmodi Arreſtorum titulos ſuos & documenta prolaturus, hanc conteſtatam denuntiationem, quæ ſuo in Indice à Typographo Cleri anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo nono edito, legitur, præmiſit: *His Arreſtis lædi immunitatem Cleri, & antiquum morem jam à principio in Occitania obſervatum inverti, cum quo hæc Provincia regiæ Coronæ adjuncta eſt, ut videlicet nequaquam adſtringatur ad proferendum titulos ſeu probationes nativarum ſuarum libertatum & eorum omnium, quæ ex jure communi retinet: proinde conteſtatò ſe declarare, quòd hos titulos, atque hæc documenta ſolum coactus vi Arreſtorum, & ob Conſilij reverentiam, proferat, contra eadem Arreſta, quam primum fuerit opportunum, & ſi ſe facultas dederit, reclamaturus: interim nolle, ut hæc qualiſcumque titulorum ac documentorum prolatio veterem illum morem, quo hactenus uſa eſt Provincia Eccleſiaſtica Narbonenſis, violare, interrumpere, aut quacúmque ratione debilitare poſſit.*

13. Idem anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo in Comitijs generalibus Cleri Antiſtites omnium Provinciarum à Regalia immunium nomine præſtiterunt, porrecto Regi ſupplice libello, quo ſuam Majeſtatem orabant, *ut nulla habita ratione Arreſtorum Conſilij 17. Octobris 1637. & 9. Martij 1638. aliorúmque ſimilium, Archiepiſcopos, Epiſcopos & Capitula à prolatione titulorum & documentorum, quam exigebant illa Arreſta, abſolveret, eoſque in libertate & immunitate Regaliæ, quam hactenus retinuerant conſervare, & confirmare vellet, exceptis ſolum Eccleſijs, in quibus ſua Majeſtas antiquam, & legitimam ejus juris poſſeſſionem obtinebat.*

IV.

14. Tota hæc litis inſtructio, quæ per tot annos adornata eſt, ad regiorum Officialium, qui Regaliam per totum regnum extendere jampridem conabantur, conſilium referenda eſt. Ijſdem Arreſtis Eccleſias, quæ nunquam Regaliæ obnoxiæ fuerant, & naturalem canonicámque ſuam libertatem perpetuò retinuerant, cum Eccleſijs, quæ immunitatem ſuam privilegijs aut privatis contractibus debebant, dedita opera, comprehendi curarunt. Deinde Agentes Cleri nonnullóſque Antiſtites & Capitula, ut huic liti intervenirent & titulos ac probationes ſuas ederent, pellexerunt, ſpe quidem eos eximendi à vexatione Regaliſtarum, qui Beneficia per ſubreptionem in eorum Eccleſijs obtinuerant; reipſa autem, ut poſtea anſam inde ſumerent affirmandi, quemadmodum nunc faciunt, regij Conſilij juriſdictionem ab Epiſcopis & Capitulis totóque Clero Gallicano agnitam eſſe, & cauſam, auditis hinc inde partibus, dijudicatam ac finitam; proindéque repellendos, qui rebus judicatis ſtare adhuc pertinaciter detrectant. Hoc fraudulentum eorum conſilium adhuc clarius patebit, ſi quis ſolemnem ipſorum doctrinam attenderit,

derit, quam capite I. hujus Libri explicavimus, & cui totam extenſionis Regaliæ molem ſuperſtructam oſtendimus, Regaliam videlicet jus eſſe Chriſtianiſſimorum Regum coronæ inſitum, & ipſi Francorum Monarchiæ coævum, proindéque nulli alienationi aut præſcriptioni obnoxium. Hac enim doctrina ſemel imbutis, quidquid proferrent Eccleſiæ ad demonſtrandam conſtantem & perpetuam ſuæ libertatis poſſeſſionem, certum erat illas huic oneri ſubjicere, ac pari loco habere, atque eas in quibus Rex ex antiqua conſuetudine, quæ Concilij Lugdunenſis tempora præceſſiſſet, jus illud obtinebat.

V.

15. Ab ijſdem Officialibus varijs adhuc modis Regi Chriſtianiſſimo, ſive res ipſa, ſive agendi ratio ſpectetur, obreptum eſt. 1. Jam à principio ſuæ cauſæ fundamentum in his effatis poſuerunt: Regaliam regiæ Coronæ ita propriam eſſe, ut ei jam ab ipſo Monarchiæ principio inſita fuerit, ac proinde ſua natura neque alienationi neque præſcriptioni ſubjacere: hiſque propoſitionibus tum ambiguis, tum falſitatis plenis, ut capite I. hujus libri demonſtratum eſt, innixi, Regaliæ uſum in Occitaniam aliaſque Provincias ei minimè obnoxias introduxerunt. Beneficia in eis, tum ſede vacante, tum etiam ſuperſtitibus Epiſcopis, quòd ſuum fidelitatis jusjurandum in tabulas Cameræ computorum Pariſienſis non retuliſſent, ob Regaliam à Rege conferri curantes. Ubi autem hoc pacto in Epiſcopos & Capitula petendi in judicio atque expoſtulandi partes tranſtulerunt, eoſdem ad exhibendas immunitatis ſuæ probationes Arreſtis adegerunt; quaſi verò privilegijs aut privatis pactionibus à Regaliæ jugo ſe immunes contendiſſent, non verò naturali & canonica libertate, quam hactenus retinuiſſent, ut jam ſupra obſervatum eſt. 2. Apud

Regem ſtudioſè diſſimularunt, hanc in univerſas Regni Eccleſias Regaliæ extenſionem, quam urgebant, expreſsè damnatam ac prohibitam fuiſſe decreto Concilij generalis Lugdunenſis, quod à quadringentis fere annis in Gallia obſervatum fuiſſet, & cui tum Reges in ſuis Edictis, tum Parlamentum Pariſienſe in ſuis Arreſtis hactenus conſenſiſſent. 3. Ut hanc novitatem atque apertam juſtitiæ & libertatis Eccleſiaſticæ violationem obtegerent, jus præponendorum Oeconomorum, qui vacantium Eccleſiarum reditus adminiſtrarent, futuríſque Epiſcopis rationem ſuæ adminiſtrationis redderent, à regijs Magiſtratibus ante centum circiter annos in Occitania viciníſque Provincijs uſurpatum, cum jure ipſo Regaliæ, quo Reges vacantium Eccleſiarum reditus & Beneficiorum collationes ſibi vindicant, permiſcuerunt. 4. Ultra adhuc progreſſi ſunt. Famoſum Parlamenti Pariſienſis Arreſtum anni milleſimi ſexcenteſimi octavi, quæque illud Arreſtum in Eccleſiarum fraudem conſecuta ſunt, ſibi in legitimæ poſſeſſionis argumentum ſumpſerunt: *Nihil*, inquiunt, *novimus: quod à mjoribus noſtris in hac materia accepimus, tenere ac ſervare contenti fuimus, id unum ſoliciti, ut in omnibus cauſis, quæ occurrerent, executioni mandaretur Arreſtum anno milleſimo ſexcenteſimo octavo latum, quo Regaliam in omnes regni Eccleſias extendi declaratum eſt.* At illud ipſum Areſtum eſt, cui Clerus Gallicanus interceſſit, querelis ad Henricum IV. delatis, quibus Rex æquiſſimus annuens, rei cognitione Parlamento Pariſienſi interdixit, totámque ad ſe cauſam evocavit. Tantum igitur abeſt, ut iſtud Arreſtum, & quæ poſtea ejus vi atque auctoritate in Parlamento Pariſienſi acta ſunt, legitimam aliquam ſuæ Majeſtati poſſeſſionem compararint, ut potius iniquam regiorum Officialium in oppugnanda Eccleſiarum libertate pertinaciam ſolum demonſtrent.

16. Enim-

Digitized by Google

16. Enimverò ecquod unquam Arreſtum hocce Arreſto magis caſſum, atque irritum fuit? Niſi enim Parlamenta auctoritate Regibus in Gallia præſtent, quî fieri potuit, ut Officiales Parlamenti Pariſienſis tantum ſibi in hoc negotio arrogaverint, ut quod Rex ſolemni Edicto ab ipſis etiam in tabulas purè & ſimpliciter relato, ſtatuerat, mox contrario prorſus Arreſto reſcinderent? Quis itaque non miretur, eos adhuc ejuſmodi Arreſtum tanquam legitimum extenſionis Regaliæ titulum proferre, neque eis in mentem venire, quam id tum ab omni æquitate alienum, tum etiam in ipſos invidioſum ſit; cùm palam ſit eos adhuc velle, ut regium Edictum de canonica plurimarum Eccleſiarum libertate promulgatum, & ab ipſis in tabulas nuper relatum, extemporali Arreſto in privata quadam lite lato reſcindere, atque abrogare licuerit.

VI.

17. His maturè conſideratis, nihil attinet fuſius hîc oſtendere, lata in Conſilio Regis pro hujus negotij deciſione judicia, conteſtata lite ac dicta utrimque cauſa minimè pronuntiata fuiſſe, nec proinde talia eſſe, quibus ex legitimo juris ordine neceſſariò ſtandum ſit. Id enim ex ſupradictis clarè evincitur. Adde nunquam judicium dicta utrimque cauſa latum cenſeri, niſi mutuò adverſæ partes juris ſui tum documenta, tum rationes protulerint, quò uterque adverſario ſuo reſpondere ejuſque rationes diluere poſſit. Si quis verbi gratia, fundum meum petitoria actione ſibi vindicet, non ſufficit, ut quo eum titulo poſſideam, quærat, ac juris mei tabulas & auctoritates exhiberi poſtulet. Debet præterea ipſe petitionis ſuæ titulos ac fundamenta proferre. Sin verò nequidem poſt explicatum jus meum & exhibitas poſſeſſionis meæ tabulas, petitionis ſuæ rationes aperuerit, nemo eſt qui latam

contra me ſententiam, tanquam dicta utrimque cauſa, ratam ac legitimam eſſe putet, cùm adverſarij mei rationes ſive juſtas, ſive injuſtas, examinandi aut ad eas reſpondendi facultas mihi data non ſit, utpote quas in inſtructione litis nemo aperuerit, aut exhibuerit. At illud ipſum eſt, quod in hoc negotio contigit. Regij Officiales nonnullos Eccleſiarum à Regalia immunium Antiſtites, quòd à Beneficiorum collatione nullo jure impedirentur, ad proferendos immunitatis ſuæ titulos adegerunt. At nunquam ipſis explicarunt petitionis ſuæ fundamenta ſeu rationes, ob quas eos naturali & canonica libertate ſpoliare contendebant. Nullum generalibus Cleri Procuratoribus, quos Agentes vocant, traditum eſt ſcriptum, quo jus Regis exponeretur: nunquam illis ſignificatum eſt, illud non alio fundamento niti, niſi quòd Regalia regiæ coronæ propria ſit atque inſita; quod Francorum Monarchiæ coæva ſit aut pene coæva; quòd ex ſua natura neque alienationi neque præſcriptioni ſubjaceat: unde Agentibus Cleri aut Antiſtitibus minimè licuit harum propoſitionum, quas nemo eis objecit, falſitatem coarguere: ex quo planum eſt, hocce judicium dicta utrimque cauſa latum non fuiſſe, ac proinde pro contradictorio, ut vocant, haberi non poſſe.

18. Denique non ſat eſt, aliquod judicium dicta utrimque cauſa latum fuiſſe, ut inde inferas ei neceſſariò ſtandum eſſe. Jampridem homines vel ipſa experientia edocti ſunt, ſe in ijs etiam, quibus examinandis magnam diligentiam adhibuerunt, errore labi poſſe. Unde ratione & æquitate ſuadente, varia remedia, quibus illatæ per ſuprema etiam judicia injuriæ ſarcirentur, adinventa ſunt. Ea diverſis nominibus appellantur, Reviſiones, ſupplices libelli ad novam rei judicatæ diſceptationem impetrandam, erroris Propoſitiones. Nullum verò

verò mitius, aut in regiam Majeſtatem reverentius, quàm eæ quæ vocantur Suaſiones ſeu Admonitiones, cùm aut verbo, aut porrectis ſupplicibus libellis Reges de gravi aliqua injuria in judicijs illata admonentur. Quò enim Principes ſupremo illo, quem à Deo conſecuti ſunt, gradu digniores ſunt, eò religioſius ſibi cavendum putant, ne in ijs maximè judicijs, quibus controverſa eis jura adjudicantur, plus obſequio quam veritati datum fuerit: nec quicquam majori ſibi laudi eſſe ducunt, ſi quando contigiſſe agnoverint, quam ut ſe faciles & promptos ad reſarciendam injuriam exhibeant.

CAPUT XIV.

Refelluntur regij Officiales, qui contendunt hanc Regaliæ cauſam ad ſolam Parlamenti Pariſienſis, aut Conſilij Regis juriſdictionem ſpectaſſe; atque ideò lata ab eis judicia rata eſſe oportere.

1. IN allatam ſuperiori capitulo objectionem adhuc incumbunt Officiales regij, qui Regaliæ per totum regnum extendendæ auctores fuerunt. Contendunt ſcilicet, hujus cauſæ cognitionem ad ſolum Parlamentum Pariſienſe aut Regis Conſilium ſpectaſſe; quandoquidem in ea de jure regio ſeu Coronæ quæreretur: porro certiſſimæ eſſe apud Gallos juris-prudentiæ, idque ad publicum regni ſtatum pertinere, ut ſolus Rex aut ejus Officiales de Coronæ juribus, prærogativis & privilegijs, ſi quid in controverſiam venerit, dijudicent: deinde ſpeciatim Regaliorum cognitionem primariæ Parlamenti Pariſienſis Exhedræ jamdudum attributam eſſe.

2. Hæc objectio, quam tantopere urgent adverſarij, vana eſſe dignoſcitur, ſimul ac ea, quæ in hoc argumento confundere

dere conantur, accuratè diſtinxeris. Duo enim genera controverſiarum hîc diſcernenda ſunt: Aliud cùm de Regaliæ executione agitur ijs in locis, ubi jam ante Concilium Lugdunenſe jus illud invaluit, & ad hæc uſque tempora continuatum eſt: aliud cùm ejus introductio in Eccleſias, quæ nunquam ei obnoxiæ fuerunt, tentatur. Priores illæ controverſiæ à primaria Parlamenti Pariſienſis Exhedra etiam in prima, ut vocant, inſtantia, vel à Regis Conſilio, ſi ad illud evocatæ fuerint, diſceptari ac dijudicari ſolent; neque hic uſus in dubium vocatur, tametſi ex eo Parlamentum Pariſienſe amplificandæ in immenſum Regaliæ, præſertim quod ad Beneficiorum collationes ſpectat, occaſionem ſumpſerit, ut aliàs obſervatum eſt. At ſi de ipſa Regaliæ ſubſtantia controvertitur, an videlicet de novo in multas Eccleſias, imo in integras Provincias, quæ ei hactenus non ſubjacuerunt, introducenda ſit, pernegatur id à Parlamento Pariſienſi, aut ordinario Regis Conſilio judicari poſſe; unde ſequitur, Arreſtum Parlamenti Pariſienſis anni 1608. cujus quæſtionis deciſio tentata eſt, tanquam adverſus Eccleſiæ jus ac libertatem latum, omni prorſus auctoritate carere. Id jam ſuperiori capitulo demonſtratum eſt; ſed ex ſequentibus conſiderationibus adhuc planius fiet.

I.

3. Hæc ipſa quæſtio, quæ hodie controvertitur, jam ante quadringentos annos à Concilio generali Lugdunenſi definita eſt, in ipſa Gallia, præſentibus omnium penè Principum Chriſtianorum, nominatim verò Philippi III. regis Chriſtianiſſimi Legatis. Quæ quidem definitio Concilij Oecumenici, tum Patrum numero & amplitudine, tum rerum geſtarum dignitate celeberrimi, non ſolum in Corpus juris canonici relata eſt, ſed in Gallia recepta, multiſque tum Chriſtianiſ-

ſimorum

Digitized by Google

ſimorum Regum conſtitutionibus, tum Parlamenti Pariſienſis Arreſtis per quadringentos fere annos confirmata fuit. Quî igitur fieri potuit, ut Parlamentum Pariſienſe, aut Conſilium Regis ejuſdem quæſtionis iterum definiendæ poteſtatem hocce tempore ſibi tribueret, eamque reipſa contrario prorſus modo, ac Lugdunenſe Concilium, definiret, abjecta veteri & perpetua juris-prudentia, quæ hactenus ſervata fuerat? Id certè cùm in Eccleſiam valde injurioſum, tum verò à Chriſtianiſſimi Regis pietate & religione omnino alienum videtur.

II.

4. Si Regalia jus merè regium eſſet; ſi coronæ jam à principio inſitum foret; ſi ad Reges prout Reges ſunt, abſque ulla Eccleſiæ vel expreſſa vel tacita conceſſione ſpectaret, haud fruſtra nec ſine cauſa Parlamentum Pariſienſe & ordinarij Officiales regij Conſilij hanc ad ſe quæſtionem traxiſſent, eámque ſuis Arreſtis, porrecta per totum regnum Regalia, definijſſent. At has propoſitiones, quibus eorum Arreſta niti debuerunt, ne minimam quidem probabilitatem habere, ſed rationi repugnantes, falſitatis plenas, & in Eccleſiam injurioſas eſſe ſupra fusè demonſtravimus. Enimverò quis unquam in animum inducat ſuum, jus percipiendi decimas cæteróſque vacantium Eccleſiarum proventus, & conferendi Dignitates, Canonicatus aliáque Beneficia eſſe quid merè regium, & temporale, quod Principibus ſine ulla Eccleſiæ conceſſione vindicari poſſit? Sin autem adhuc alicui dubium id eſſe poſſet; nonne ei hujus opinationis falſitatem præteritorum temporum hiſtoria, Concilij Lugdunenſis decretum, tot Regum conſtitutiones huic decreto conſentientes, ipſa denique conſtans & perpetua Parlamenti Pariſienſis per trecentos amplius annos juris-prudentia demonſtrabit? Jam

verò ſi concedatur, Regaliam non eſſe jus regium eo ſenſu, quem modò retulimus, neque Regibus ſine Eccleſiæ vel expreſſa vel tacita conceſſione vindicari poſſe, neceſſariò ſequitur, nequaquam penes Parlamentum Pariſienſe aut regium Conſilium fuiſſe, ut ſuis Arreſtis illam generalem efficerent, hoc eſt in octo aut novem Provincias Eccleſiaſticas, quæ plus quam dimidiam regni partem conſtituunt, extenderent, cùm certum ſit, Reges nullam ejus juris ab Eccleſia conceſſionem, aut legitimam poſſeſſionem in earum Provinciarum Eccleſijs hactenus habuiſſe.

III.

5. Quod ajunt, certiſſimæ eſſe apud Gallos juris-prudentiæ, de Coronæ juribus, prærogativis aut privilegijs apud ſolum Regem aut ſuos proprios Officiales litigari, coerceri debet ad jura regij Dominij ſeu merè temporalia, de quibus Rex, ut vulgo docent Juris-conſulti Galli, non niſi in propria curia litigat, quod altero hoc effato confirmant: Regem in temporalibus nullum in terris, præter Deum, ſibi ſuperiorem agnoſcere. At ſecus ſe res habet in ſpiritualibus, aut quaſi ſpiritualibus, quæ ad diſciplinam, aut rectionem Eccleſiarum ſpectant, & Principibus ex conceſſione Eccleſiæ aliquatenus conceduntur. Cùm enim circa hujuſmodi jura quæſtiones oriuntur, non ad ſola Parlamenta, aut regium Conſilium referri debent, maximè ſi in ijs non ſimpliciter de poſſeſſorio agatur, hoc eſt, an revera ſua Majeſtas horum jurium poſſeſſionem habeat; ſed de petitorio, hoc eſt, an de novo ea ſibi contra veterem & perpetuam Eccleſiarum poſſeſſionem vindicare poſſit, quod in hac Regaliæ cauſa tentatum eſt. Id quippe Principibus concedere, quid aliud eſſet, quam Eccleſiæ auctoritatem ſæcularium Magiſtratuum poteſtati ſubjicere, & violandis ejus juribus, atque opprimendæ libertati latam

viam

viam ſternere? Hinc in ejuſmodi quæſtionibus Chriſtiani ac religioſi Principes Eccleſiæ, cujus ſe filios profitentur, judicium expectant, nec quicquam, niſi ipſa conſentiente & approbante, & ex Canonum præſcripto, ſtatuere ſolent, ut in hac ipſa cauſa ex Decreto Concilij Lugdunenſis, cui hactenus paruerant, comprobatur.

IV.

6. Decumæ quas modo Clerus Gallicanus fiſco pendit, nihil aliud ſunt, niſi extraordinaria pecuniarum contributio ex proventibus Eccleſiaſticis in ſubſidium Reipublicæ delibata. Neque tamen ejuſmodi tributum Reges ſua auctoritate imperant, ſed illud gratuiti doni nomine, & totius Cleri conſenſu exigi volunt: atque idcirco ſingulis quinquennijs Provinciarum Eccleſiaſticarum delegati procuratores in unum locum, regio permiſſu, conveniunt. Cùm ergo Rex Chriſtianiſſimus in re pecuniaria, & ſolum temporaria eam adverſus Clerum moderationem adhibeat; quis ſibi perſuadeat illum, propria auctoritate & ſolo ſuorum Officialium judicio, tot Eccleſias Regaliæ in perpetuum ſubjicere, hoc eſt, jus Eccleſiaſticum, & longè majorem partem ſpirituale, quo videlicet præter vacantium Eccleſiarum proventus, collatio etiam Beneficiorum continetur, ſibi vindicare voluiſſe?

V.

7. Conſtat Epiſcopos jam à priſcis temporibus in Chriſtianiſſimorum Regum Conſilijs primum dignitatis, atque auctoritatis locum tenuiſſe. Pipino, Carolo Magno eorúmque ſucceſſoribus imperantibus, quo tempore maximè res Gallicæ florebant, primi aſſidebant in ijs Ordinum conventibus, qui ſingulis annis ad diſceptanda ac præfinienda maxima, quæque tum Reipublicæ, tum etiam Eccleſiaſticæ diſciplinæ negotia congregabantur. Quibus in conventibus Co-

mites alijque primores Laici, qui ſecundo loco ſedebant. Antiſtitibus alijſque Prælatis eam venerationem deferebant, ut in ijs, quæ Eccleſiaſticam diſciplinam, & Cleri adminiſtrationem ſpectabant, judicium ſuum nequaquam interponerent. Hæc à ſolis Epiſcopis, Abbatibus, alijſque primoribus Clericis diſceptabantur, factáque ab eis deciſio, accedente Regis conſenſu, publico poſtea conſeſſu promulgabatur. Atque in hunc modum confecta ſunt pleraque Caroli Magni, Ludovici Pij, & Caroli Calvi Capitularia. Id maximè patet ex actis Concilij Francofordienſis ad Mænum anno ſeptingenteſimo nonageſimo quarto celebrati, & teſtimonio Hincmari, qui ejuſmodi Conventuum ordinem his verbis deſcribit epiſt. 31. num. 35. *Utraque Seniorum ſuſceptacula ſic diviſa erant in duobus, ut primo omnes Epiſcopi, Abbates, vel hujuſmodi honorificentiores Clerici abſque ulla Laicorum commixtione congregarentur. Similiter Comites, cùm ſeparati à cæteris eſſent, in eorum manebat poteſtate, quando ſimul vel quando ſeparati reſiderent, prout eos tractandæ rei qualitas decebat, de ſpiritualibus, ſive de ſæcularibus, ſive etiam de commixtis.*

8. Jam verò ſi qua unquam incidit occaſio, in qua Epiſcopis hæc conſeſſus ac ſuffragij prærogativa conſervanda eſſet, ea certè fuit hæc Regaliæ cauſa, quâ vix alia major, aut gravior Clero totique Ordini Eccleſiaſtico accidere poteſt. Idque Ludovicum XIII. glorioſæ memoriæ Principem non fugit, qui ad illam examinandam extraordinarios cognitores ac judices, quos inter non pauci diverſarum Provinciarum Epiſcopi ac Prælati fuiſſent, delegare decreverat. Verùm poſtea regij Officiales, quibus pia & æqua Ludovici XIII. in hoc negotio conſilia minimè probabantur, aliam illius finiendi viam inierunt. Scilicet Ludovico XIV. feliciter regnanti perſuaſerunt, hanc cauſam, inſtar aliarum litium, ab ordinarijs

Conſilij

Conſilij Officialibus dirimendam eſſe, vel potius ad illam finiendam ſat fore, ſi latum jam à Parlamento Pariſienſi anno milleſimo ſexcenteſimo octavo Arreſtum publico Edicto ſua Majeſtas confirmaret: in cujus Edicti procemio ita præfati ſunt: *Regalia jus univerſim ad ſuam Majeſtatem pertinere Arreſto Parlamenti Pariſienſis anni 1608. prajudicatum fuiſſe: quocirca placuiſſe ſua Majeſtati, ut ſui in eodem Parlamento Advocati & Procurator generalis, quinam eorum eſſet ea de re ſenſus, ſibi ſignificarent; deinde verò facta ad ſe per delegatos Conſilij ſui judices totius rei relatione, judicatum eſſe, Regalia jus, neque alienationi, neque praſcriptioni ſubjacere, & ad ſuam Majeſtatem in omnibus regni Archiepiſcopatibus & Epiſcopatibus pertinere.* Qua ſemel deciſione facta regij illi Officiales contendunt, non ſolum Epiſcopis totique Clero nullam reclamandi facultatem relictam eſſe, ſed cuilibet neceſſarium huic judicio ſtare, atque illud expreſſo conſenſu admittere, & executioni mandare.

9. Quod ſi quotieſcumque Principes aut pravis Aulicorum conſilijs circumventi, aut adulatorum fallacijs inducti infeſta Eccleſiæ Edicta promulgant, ſinguli Epiſcopi ad ea exequenda obligantur, quòd in ijs de juribus Coronæ agi dicatur, quorum cognitio & judicium ad ſolos Officiales regios ſpectet: quis non advertat, eo pacto ejuſmodi Officialibus latiſſimum ad invadenda Eccleſiæ jura ejuſque libertatem & auctoritatem profligandam aditum pandi? An Concilia Summíque Pontifices ab Inveſtituris, quæ in maximam Eccleſiæ injuriam vergebant, condemnandis prohibiti ſunt, quòd eas Imperatores alijque Principes ad jura Coronæ publicis Edictis revocarent? Nonne etiam Henricus II. Angliæ Rex famoſa illa capita, quæ ſancto Thomæ ſubſcribenda propoſuit, quæque Eccleſiaſticæ libertati tam grave vulnus infligebant, *regias conſuetudines* & *Corona jura* palam nuncupabat;

bat; quo nomine ea in publico Ordinum conventu approbari curaverat, adeò ut Epiſcopi omnes & Prælati qui aderant, in eorum obſervationem ſeſe etiam jurejurando obſtringerent? Quibus minimè permotus S. Thomas ſui officij eſſe duxit, regiæ libidini obſiſtere; unde illi exilium longáque illa malorum ſeries, quæ ei tandem Martyrij coronam attulit. Denique à nullo unquam tentata eſt Eccleſiæ libertas, aut jura uſurpata, quin aliquam juſtitiæ ſpeciem factis ſuis prætexuerit, quâ ſi ſe deludi paſſi eſſent Epiſcopi, nunquam contra violenta iniquorum conſilia, atque uſurpationes pro Eccleſia decertaſſent.

CAPUT XV.

Epiſcopi, qui regio de Regalia Edicto parere detrectant, nequaquam propriæ cauſa judicium ſibi ſumunt. Hæc eſt una è Cauſis Majoribus, de quibus frequens in Jure canonico mentio. Iidem Epiſcopi hac agendi ratione regni diſciplinam ac publicas leges minimè perturbant, neque debitam ab omnibus regiæ Majeſtati fidelitatem aut reverentiam violant.

1. Officiales regij, quò Epiſcopos Eccleſiarum ſuarum jus & libertatem propugnantes, in invidiam vocent, eos ajunt, *latis de Regalia decretis parere abnuentes, in propria cauſa ſeipſos judices conſtituere, & perinde ſe gerere, ac litigatorem, qui damnatus in judicio, ſibi ipſi jus diceret, latámque in ſe ſententiam propria auctoritate reſcinderet.* Addunt, *hac eorum agendi ratione regni diſciplinam ac publicas leges perturbari, debitámque ab omnibus ſubditis regiæ Majeſtati obtemperationem ac reverentiam violari.*

2. Hæc

2. Hæc immeritò ac temere ab ijs objici, ex ſupradictis jam patet. Duo quippe Epiſcoporum officia hic neceſſariò diſtinguenda ſunt: Alterum, quòd jurium Eccleſiæ cuſtodes & defenſores ſint: Alterum, quòd Patres ac Paſtores ſint fidelium. Ut jurium atque auctoritatis Eccleſiæ defenſores & cuſtodes, Regaliæ uſum in eorum Eccleſias nunc primùm introducere conantibus obſtare debent; id quod eis decreto Concilij generalis Lugdunenſis expreſsè præcipitur. Ut Patres verò ac Paſtores fidelium, eos, ſine ullo dignitatis, aut conditionis diſcrimine, docere debent, & quacúmque poſſunt ratione, ab ijs conſilijs, quæ & Eccleſiæ dignitati & propriæ animarum ſaluti infeſta forent, deterrere. Quotieſcúmque autem hæc præſtant, tantum abeſt, ut propriæ cauſæ judicium ſibi arrogent, ut potius proprio munere fungantur, & commiſſarum ſibi ovium ſaluti invigilent.

3. Deinde Epiſcopi non ſolum defenſorum Eccleſiaſticæ libertatis ac Paſtorum Dominici gregis perſonam ſuſtinent; *Apoſtolorum* etiam *ſucceſſores* ſunt, ut eos ipſimet Officiales regij alicubi vocant. Unde, juxta monitum Pauli debent ***bonum depoſitum cuſtodire***, hoc eſt, doctrinam fidei ac diſciplinæ regulas, quo utroque capite veræ opes Eccleſiæ conſtant, totúſque ejus theſaurus continetur, ſumma diligentia conſervare. Cùm itaque Eccleſia in uno aut altero horum capitum oppugnatur, id eſt, aut ejus fides falſis doctrinis violatur, aut diſciplina pernitioſis novitatibus, imminuta ejus juriſdictione ac libertate, labefactatur, Epiſcoporum eſt, damnatis Novatorum erroribus, cohibitíſque audacium hominum in Eccleſiam molitionibus, graſſanti malo occurrere.

4. Ejuſmodi controverſiæ ad totum Eccleſiæ corpus ſpectant, quarum proprij, &, ut ita dicam, naturales judices ſunt Epiſcopi; cùm *unus ſit Epiſcopatus*, ut ajebat S. Cyprianus, *Epiſco-*

Digitized by Google

Epiſcoporum multorum numeroſitate diffuſas cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur, utpote eodem charitatis vinculo, atque Eccleſiaſticæ communionis ſocietate conjunctis. Unde Eccleſiæ diſciplina, & inſtitutum poſtulat, ut ejuſmodi quæſtiones primum in Provinciarum, ubi exortæ ſunt, Concilijs, quorum celebrationem, ut omnino neceſſariam, nunquam non commendavit, definiantur; deinde verò ad Romanum Pontificem tanquam ad Collegij Epiſcopalis Principem, & communionis Eccleſiaſticæ Præſidem, Apoſtolica ejus auctoritate terminandæ, referantur. Id quod jampridem Innocentius I. ſanxit in celebri Epiſtola ſua decretali ad Victricium Rotomagenſem Epiſcopum cap. 3. ubi *Cauſas Majores* memorat, quæ, inquit, *ſi in medium fuerint devoluta, ad Sedem Apoſtolicam, ſicut ſynodus ſtatuit, & vetus conſuetudo exigit, poſt judicium Epiſcopale referri debent.* Cui conſentit Pelagius II. epiſt. 8. his verbis: *Majores verò & difficiles quæſtiones, ut ſancta Synodus ſtatuit, & beata conſuetudo exigit, ad Sedem Apoſtolicam referantur.* Hæ autem *Majores Cauſæ* & *difficiles Quæſtiones* ſunt quæ vel fidem ſpectant, vel generalia diſciplinæ capita, quando varia de his dubia & graves ac difficiles concertationes exiſtunt, de quibus ſolemnis mos erat, ut ex omnibus Eccleſiæ partibus Sedes Apoſtolica conſuleretur; vel ad eam Relationes, poſtquam in ſynodis provincialibus res dijudicata fuerat, mitterentur; vel definitivum ejus judicium expectaretur, ſi ij quorum intererat, Epiſcoporum judicio non ſtantes, Summum Pontificem appellaſſent. Hæc fusè explicat Illuſtriſſimus Petrus de Marca lib. I. de Concordia Sac. & Imp. c. 10. & lib. VII. c. 12. 13. oſtenditque in ijs potiſſimum cauſis nunquam non enituiſſe Apoſtolicæ Sedis Primatum, atque eam auctoritatem, quæ à Chriſto Domino in Petrum Romanóſque Epiſcopos ejus ſucceſſores ad Eccleſiæ gubernationem collata eſt.

5. Jam

Digitized by Google

5. Jam verò planum eſt, Regaliæ cauſam, de qua hic quæritur, inter eas *Majores Cauſas* referendam, quæ ad præcipua, & generalia diſciplinæ capita ſpectant; cùm in ea agatur de canonica libertate octo, aut novem Provinciarum Eccleſiaſticarum, quæ ſi Regaliæ jugo ſubdantur, tum reditibus temporalibus, tum collatione Dignitatum, Canonicatuum aliorúmque Beneficiorum, quandiu Sedes Epiſcopalis vacabit, ſpoliabuntur. Quis enim negaverit, duo hæc, quibus Regalia conſtat, præſertímque Beneficiorum collationem magni eſſe momenti; cùm vix quicquam in Eccleſiæ diſciplina & adminiſtratione gravius ſit, quam ſacrorum Miniſtrorum delectus, quin & officiorum Eccleſiaſticorum diſtributio? Quæ cùm ita ſint, Antiſtites hoc in negotio non partium, ſed potius judicum perſonam, tanquam ſacrorum arbitri, ſuſtinent. Accedit, quod introductionem Regaliæ recuſando, id unum agant, ut Concilij generalis Lugdunenſis mandato obtemperent; cúmque eos qui ſe inducendæ in eorum Eccleſias Regaliæ auctores, aut adjutores, vel etiam adminiſtros præbent, Eccleſiaſticis cenſuris percellunt, non tam novas in eos pænas ſtatuunt, quam ab eodem Concilio Lugdunenſi jampridem ſtatutas decernunt, atque exequuntur. Quamvis autem ea in re nihil niſi ordine, nihil quod non manifeſtè juſtum & legitimum ſit, præſtent, hæc tamen cauſa inter Majores & difficiliores, quæ unquam accidere poſſint, tum ob rei dignitatem, tum ob varia ei adjuncta, merito recenſenda eſt.

6. Hinc etiam ſequitur, latas ab Epiſcopis ea de re ſententias, quæ hactenus vim ſuam, ob adverſariorum contumaciam, obtinere non potuerunt, ex antiqua & conſtanti Eccleſiæ diſciplina, non niſi in Concilio provinciali, aut nationali, vel certè apud ſanctam Sedem Apoſtolicam recogno-

ſci ac denuo examinari potuiſſe. Cúmque jampridem Eccleſia à convocandis provincialibus Synodis, tametſi publica tum ſacrorum Canonum, tum civilium legum auctoritate ſancitis, prohibeatur; deinde verò ea ſit hujus controverſiæ conditio & adjunctorum ratio, ut vix ſpes ſit fore, ut tam canonicum, támque juſtum ac neceſſarium ſynodalis auctoritatis remedium adhibere liceat: quid reliquum erat Epiſcopis, qui jam nihil ſua interceſſione, atque intentatis cenſuris profeciſſent, quominus Regaliæ uſus in eorum Eccleſias introduceretur, niſi ut ad Apoſtolicam Sedem confugerent, ac totam rem ad ſanctiſſimum Pontificem Romanum, juxta Eccleſiaſticam regulam & antiquum morem, referrent?

7. Sin verò, poſtquam ijdem Antiſtites vi & auctoritate Concilij generalis Lugdunenſis freti, cenſuras in aliquot Regaliſtas promulgarunt, hos ſolus Metropolitanus, ad primam reorum poſtulationem, non citatis neque auditis Epiſcopis, aut eorum Procuratoribus, nullóque ſervato juris ordine, abſolvit: quis meritò illos Epiſcopos reprehendat, quod ejuſmodi abſolutionem nullam, atque irritam eſſe conteſtati, & interpoſita, quantum opus fuerat, ad Summum Pontificem appellatione, jus ac libertatem Eccleſiarum ſuarum, ex præſcripto ejuſdem Concilij generalis, contra Regaliſtarum vim & contumaciam defendere perrexerint? Quis eos jure incuſaverit, quaſi ea agendi ratione *juriſdictionis tum Eccleſiaſticæ, tum civilis gradus perturbarint, atque Archiepiſcopos ex hierarchiæ albo ſuſtulerint?* Quis arguendos putet, quòd in hoc rerum ſtatu negaverint, eam fuiſſe Archiepiſcopo poteſtatem, ut latas ab eis ſententias & cenſuras, ſolus reſcinderet, contenderintque id ab eo tentari non potuiſſe, niſi uſurpata in Collegas juriſdictione, & violato Eccleſiaſticæ diſciplinæ ordine? denique eò jam deductam eſſe hanc controverſiam, ut inconſulta

ſancta

Digitized by Google

ſancta Sede & abſque Romani Pontificis auctoritate terminari non poſſit?

8. Qui ſecus de his ſtatuunt, haud ſatis hujuſce quæſtionis conditionem & ſtatum attendere videntur, dum eam, perinde ac privatam aliquam litem, ex communibus contentioſæ juriſdictionis formulis dirimi vellent; cùm tamen cauſa ſit prorſus publica, atque extraordinaria, quæ nequaquam ex apicibus juris ac forenſi uſu, ſed ex canonum præſcripto, Eccleſiaſtica traditione, & Sanctorum Antiſtitum exemplis, qui varijs temporibus Eccleſiæ fidem, vel ejus diſciplinam, & juriſdictionem propugnarunt, æſtimari, & dijudicari debeat. Uno verbo, una eſt ex illis Majoribus Cauſis apud antiquos canones celebratis, quas etiam Concordatorum lex ab alijs communibus & ordinarijs cauſis clarè diſtinxit, & ſanctæ Sedi Apoſtolicæ nominatim reſervavit; ita ut quoties ad eam delatæ fuerint, illas non ex communi uſu per judices in partibus delegatos, terminari, ſed ab ipſo Summo Pontifice ſpeciatim cognoſci, & juxta veterem canonum formam, prout ex Apoſtolica ſua prudentia convenientius judicaverit, decidi ac definiri oporteat.

9. Denique ſicut immeritò illi Epiſcopi ab Officialibus regijs vapulant, quaſi propriæ juriſdictionis fines tranſgreſſi publicam pacem ac regni diſciplinam perturbarint; ita falsò ab eis in ſuſpicionem vocantur, quaſi debitam ab omnibus Regi fidelitatem, & reverentiam violarint. Hujus criminationis invidiam jam ſatis propulſavimus, cùm ſupra fusè oſtendimus, eos ſola officij neceſſitate adactos in eam contentionem veniſſe, atque hoc unum in propugnanda Eccleſiarum ſuarum libertate egiſſe, ut generalis Concilij mandatum perficerent. Bonis Principibus nunquam diſplicet, ut ſuo quiſque munere fungatur: imo ſi quis obſequij cauſa, &

ad eorum gratiam aucupandam, officio deeſſet, potius ſuccenſerent. Quandoquidem Reges pravis Miniſtrorum conſilijs & adulationibus ad ea induci poſſunt, quæ & eorum conſcientiam lædant, & communi Eccleſiæ bono officiant; eorum maximè intereſt, ut ſi quando id contigerit, eam in Epiſcopis libertatem, & animi conſtantiam reperiant, quæ animarum Paſtoribus imprimis convenit, neque ei poteſtati ſubiacere dedignentur, quam Chriſtus Eccleſiæ Miniſtris *in ædificationem, & non in deſtructionem* tribuit, quæque ipſis etiam Principibus utilis eſt & ſalutaris, ſi prudenter ad Spiritus Sancti normam exerceatur, neque extra veros fines ab ipſo Domino & ab Eccleſia præſtitutos, extendatur. Hanc agendi rationem omnibus retro ſæculis ſanctiſſimi quique Epiſcopi tenuerunt, ut alibi à nobis demonſtratum eſt; quos non ſolum eo nomine nemo reprehendit, quaſi debitam regiæ majeſtati fidelitatem, atque obſervantiam violaſſent, ſed ſæpiſſime ipſi Principes ob Zelum & præclaram in obeundo munere fidem, magnis laudibus ornarunt. Sin verò aliquando accidit, ut in aliquorum hominum reprehenſionem incurrerent, ipſemet Deus illos à culpa liberos declaravit, quos videlicet ut ſanctos miraculis fulgere, & publica Eccleſiæ veneratione celebrari voluit.

CAPUT XVI.

Digitized by Google

CAPUT XVI.

Refelluntur, qui opponunt, unum tantum aut alterum Epiſcopum regio Edicto non obtemperaſſe, atque inde inferunt, eos culpa non carere. Epilogus totius operis.

1. PLerúmque accidit, ut homines perperam de aliqua cauſa ex quibuſdam exterioribus adjunctis ac fallacibus præjudicijs decernant, quod eam vel ob tarditatem ingenij ponderare nequeant, vel ob ignaviam, ea, qua par eſt, diligentia perſcrutari negligant. Hujus inconſiderantiæ inſigne exemplum eſt, in hac Regaliæ controverſia, quam tractamus. Multos reperias, qui cùm longè majorem Epiſcoporum partem regio Edicto paruiſſe viderint, illico concludunt, nihil hîc eſſe, quod aut juſtitiam aut Eccleſiæ libertatem offendat, atque idcirco eos, qui parere detrectant, hoc ſolo præjudicio, damnandos putent. Num, inquiunt, tot inter Præſules, quorum in hac cauſa res agitur, unus tantum aut alter inventus eſſet, vel ita perſpicax, ut quod verum juſtúmque ſit, agnoſceret, vel ita animo fortis, ut agnitum ſolus defenderet? Nonne hæc ſingularis agendi ratio, qua ſeipſos à cæteris ſecernunt, meritò ſuſpecta eſt? Nonne potius vanitati, pervicaciæ ac ſuperbiæ, quam vero ac prudenti Zelo tribui debet?

2. Facilis eſt ad hanc objectionem reſponſio. Primùm enim falſo nititur, dum ponit paucos tantum eſſe Epiſcopos, qui regium Edictum improbarint. Duo quidem Zelo & pietate præſtantes, Nicolaus videlicet *Pavillon* bonæ memoriæ Epiſcopus Alectenſis, & Reverendiſſimus Franciſcus *Caulet* Appamienſis Epiſcopus ſuum fidelitatis Sacramentum in tabulas Cameræ computorum Pariſienſis, ex hujus Edicti præ-

præſcripto, referre renuerunt: Regi, quid eos, quominus hac in re Majeſtati ſuæ morem gererent, prohiberet, per litteras ſignificarunt, & decreta additis cenſuris, promulgarunt, ut Regaliſtas ab invadendis Eccleſiarum ſuarum Beneficijs arcerent. At plurimi alij Antiſtites, quid de hoc negotio ſentirent, & quam ægrè regium Edictum ferrent, ſatis apertè declararunt. Alij in ipſo ſyngrapho, quo fidelitatis Sacramenti in tabulas Cameræ computorum referendi poteſtatem tribuerunt, de conſervando Eccleſiarum ſuarum jure conteſtati ſunt. Alij in eam rem apud Tabelliones litteras publicas perſcripſerunt, quas in tabularijs ſuæ Diœceſis ad poſterorum memoriam reliquerunt. Alij cùm idem fidelitatis Sacramentum in tabulas Cameræ computorum per ſeipſos referre recuſaſſent, quominus Capitulum Eccleſiæ Cathedralis eorum nomine id faceret, obſiſtendum non putaverunt. Plerique jam ante promulgatum Edictum, pendente adhuc lite, id præſtiterant, quò ab injuſta Regaliſtarum vexatione in uſurpandis Beneficijs ſuarum Diœceſeon liberarentur, haud rati eo pacto principali liti præjudicium fieri, aut quicquam Eccleſiarum ſuarum immunitati derogari. Nonnulli ingenuè fatentur, ſe cùm Edicto paruerunt, hujus cauſæ dignitatem, & momenta nondum ſatis expendiſſe. Denique tot inter Antiſtites, qui relato in tabulas Cameræ computorum fidelitatis Sacramento ſuas Eccleſias novo Regaliæ jugo ſubjici paſſi ſunt, nemo fere eſt, quin, ubi ſe occaſio dederit, declaret, ſibi perſuaſum eſſe, magnam hoc Edicto Eccleſijs illatam eſſe injuriam, tametſi illam ob varias rationes diſſimulent, neque regiæ voluntati obſiſtere integrum jam ſibi eſſe putent.

3. Verùm etſi daremus, omnes quotquot Edicto paruêre, Antiſtites, id liberè ac ſuo judicio feciſſe; an inde ſequitur, ſi qui

qui hoc rerum ſtatu cauſam Eccleſiæ defendendam ac tuendam ſuſceperint, hoc ipſo damnandos eſſe, quod pauci fuerint, atque alios, qui numero vincebant, ſibi ad imitandum non propoſuerint? Peſſimè quis ex hac regula de hoc negotio decerneret. Revocandum hic in mentem divinum illud oraculum: *Non ſequêris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut à vero devies. Exod. 23. v. 2.* Quis neſciat, priſcis etiam ſæculis ac florentiſſima Eccleſiæ ætate, ſæpe contigiſſe, ut majoris Epiſcoporum numeri patrocinium meliori cauſæ defuerit, maximè cùm ad hanc defendendam civili poteſtati reſiſtendum ac Principum gratia excidendum fuit? Id patuit in ijs quoque controverſijs, ubi de Summa religionis agebatur. Sic Arrianis, poſtquam Conſtantium Imperatorem ad ſuas partes traxiſſent, omnia miſcentibus, ſolus in oriente S. Athanaſius Alexandriæ Epiſcopus, in Gallijs S. Hilarius Pictavienſis, in Italia S. Euſebius Vercellenſis, alijque pauci apertè orthodoxam fidem propugnarunt. Neque melius ſe res habuit in toto Oriente, Heraclio Imperatore alijſque ejus ſucceſſoribus Monothelitarum hæreſim potentia, & auctoritate confirmantibus; itemque Leone Iſaurico, Conſtantino copronymo alijſque Imperatoribus ſacras Imagines oppugnantibus: cùm utróque hoc tempore pauci admodum Epiſcopi Epiſcopatum amittere, in exilium pelli, aut alias ſubire pœnas maluerint, quam hæreticis communicare, atque Imperatorum Edictis ſubſcribere, ut obſervat doctiſſimus Annalium Eccleſiaſticorum Conditor ad an. 639. & ſeq. & ad an. 750. n. 34. & 816. n. 49.

4. Idem planè accidit, cùm jus ac libertatem Eccleſiæ contra vim Poteſtatum civilium defendere neceſſe fuit. Plura hujus rei exempla jam lib. 3. c. 14. probata ſunt, quæ hic ſummatim

ſummatim repetam. Solus ex Gallicanis Epiſcopis S. Injurioſus Turonenſis Archiepiſcopus Clotario II. reditus Eccleſiaſticos uſurpanti reſtitit. In Anglia, Guillelmo Notho Rege, *ſolus inter omnes Prælatos Egelvvinus Dunelmenſis Epiſcopus exul & proſcriptus Zelum Dei habens excommunicavit univerſos Eccleſiæ invaſores & rerum Eccleſiaſticarum raptores*, inquit Matthæus Pariſ. ad an. 1070. Solus in eodem regno S. Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus contra Guillelmum II. & Henricum I. Reges jus ac libertatem Eccleſiæ defendit, reliquis Angliæ Epiſcopis, præter unum Gondulphum Roffenſem Epiſcopum, Archiepiſcopi & Primatis ſui partes deſerentibus, quod idem Matthæus Pariſ. ad an. 1094. his verbis narrat: *Anſelmus à Rege ut læſæ Majeſtatis reus poſtulatur. Hinc accuſationi & plurimi Epiſcopi, præter Gondulphum Roffenſem Epiſcopum, ſuum calculum adjiciebant, & facti ſunt ut canes latrare non audentes.* Denique S. Thomas Cantuarienſis quoque Archiepiſcopus longam illam pro Eccleſiæ defenſione vexationem, in quâ martyrio coronatus eſt, ſolus pertulit; omnibus fere Angliæ Epiſcopis non ſolum eum deſerentibus, ſed Henrici II. eum oppugnantis partes apertè ſuſcipientibus. qua de re pluribus in epiſtolis graviter queritur. Adeò verum eſt, quibuslibet Eccleſiæ temporibus, magnitudinem animi, rerum humanarum deſpicientiam, & invictam conſtantiam rarò reperiri etiam in Epiſcopis, quoties pro juſtitia & veritate adverſus civiles Poteſtates decertandum eſt.

5. Non ab humilitate Chriſtiana diſcedit, qui in ejuſmodi cauſis officij fidem ſervat, tametſi ſolus relictus ſit, memor hujus divinæ admonitionis: *Noli eſſe humilis in ſapientia tua, ne humiliatus in ſtultitiam ſeducaris.* Eccli. 13. v. 11. Vera humilitas, quæ Chriſtianorum propria virtus eſt, eos, ubi Dei res agitur, & conſcientiæ ſatisfaciendum eſt, firmos atque immobi-

immobiles reddit: contra autem falſa humilitas, ut unius ex ſanctiſſimis & humillimis priſcorum temporum Epiſcopis verba uſurpem, *quæ non ex fide, ſed ex ignavia mentis hominibus adducitur, & humanam gratiam magis, quam ſuam ſalutem curat, mendacij famula, veritatis inimica, libertatis expers, iniquitati obnoxia eſt. S. Paulinus Epiſt. 21. ad Amandum.* Quibus addendum, quod de vera humilitate ſcripſit S. Bernardus ſerm. 1. de Virgine Deipara num. 13. *Agit hoc nimirum*, inquit, *in cordibus electorum gratiæ prærogativa divinæ, ut eos nec humilitas puſillanimes reddat, nec magnanimitas arrogantes; magis autem cooperentur ſibi, ut non ſolum nulla ex magnanimitate ſubintret elatio, ſed hinc maximè provehatur humilitas; ut inveniantur eo amplius timorati, & largitori munerum non ingrati: ac viciſſim ex occaſione humilitatis puſillanimitas nulla ſubrepat, ſed quominus de ſua quiſque vel in minimis præſumere conſuevit, eo amplius etiam in magnis quibuſque de divina virtute confidat.*

6. Si quis Epiſcopus hæc, Deo adjuvante, ſuum in animum induxerit, in defendenda veritate, & juſtitia conſtanter perſtabit, tametſi in ea defenſione ſolus remanſerit: neque verebitur, ne ſua hæc animi firmitas, tanquam ſingularis, & à communi uſu aliena cuiquam offendiculo ſit. Uno eodémque tempore diligenter & religiosè, tum proprio in Deum & Eccleſiam officio ſatisfaciet, tum debitam ordinatione divina Regibus obedientiam, fidelitatem ac reverentiam præſtabit. Præterea cum reliquis Epiſcopis collegis ſuis, etiamſi aliam in hac ipſa cauſa agendi rationem ſequantur, perfectam in vinculo pacis concordiam ſervabit. Sin verò adhuc aliqui ex ejus propoſito offendantur, hanc eorum offenſionem minimè ſibi curandam putabit, neque idcirco ab officio deſiſtet, hoc Sanctorum dictum memoria repetens:

Si de veritate ſcandalum ſumitur, utilius permittitur naſci ſcandalum, quam veritas relinquatur. S. Greg. in Ezech. hom. 7.

7. Neque etiam flecti ſe ſinet malignis nonnullorum judicijs & ſuſpicionibus, qui palam eum accuſarent: *Quod Sacerdotij & Imperij concordiam diſſolvere in animo habeat: quod jurium Eccleſiaſticorum adverſus temporales Poteſtates defenſoris nomen & gloriam captet: quod nemini ſubeſſe affectet; quódque ita ſe gerat, ut plus in eo acerbitatis & pervicaciæ, quam ſinceritatis ac bonæ fidei eſſe videatur.* Contra ejuſmodi temerarias & injuſtas accuſationes apud Deum ſolo ſuæ conſcientiæ teſtimonio ſeſe tuebitur: quod verò ad homines ſpectat, apud æquos rerum æſtimatores, & præjudicijs non occupatos, ſatis eum defendet, tum clara & evidens ipſius cauſæ juſtitia, tum verò impoſita ſibi illius, prout hactenus fecit, tuendæ neceſſitas.

EPILOGUS OPERIS.

8. Antequam hunc Tractatum abſolvo, omni, qua poſſum, aſſeveratione confirmo, in eo id ſolum mihi propoſitum fuiſſe, ut veritatem indagarem, Eccleſiæ jus in publica, & graviſſima cauſa defenderem, duorúmque Epiſcoporum religione præſtantiſſimorum, quorum alter vitam ſanctiſſimè nuper clauſit, alter paſtorali Zelo, vigilantia, charitate alijſque præclaris virtutibus, jampridem apud omnes commendatur, in hac ipſa cauſa defendenda integritatem, & innocentiam probarem.

9. Eadem ſinceritate declaro, à mea mente longè abfuiſſe; ut veris Coronæ juribus quidquam detraherem, aut Epiſcopos alióſque Regis ſubditos à debita ſuæ Majeſtati obedientia ac reverentia tantulum abducerem. Quin potius perſuaſum habeo, ad hanc ipſam obedientiam ac reverentiam

tiam

tiam maximè pertinuiſſe, ut ſuæ Majeſtati pateſieret, quam certum & perſpicuum ſit in hac cauſa jus Eccleſiæ, quod illi ſtudiosè diſſimulatum eſt, quantúmque per illam diſſimulationem ejus Religioni obreptum fuerit.

10. Præterea tantum abeſt, ut ejus cum Apoſtolica Sede concordiam dirimere, quod Deus avertat, his ſcribendis voluerim; ut potius pro certo mihi ſit, nullum hujus concordiæ arctius vinculum eſſe, quam ſi diſſidijs, quæ ex juris & immunitatis Eccleſiarum violatione, cujus nonnulli Officiales regij auctores & adjutores fuerunt, oriri neceſſe eſt, quamprimum occurratur. Ambarum Poteſtatum conjunctio, qua maximè publica pax & felicitas continetur, nunquam major eſt, aut diuturnior, quam cùm juſtitia nititur; quod tunc fit, quando finibus à Deo præſtitutis contentæ mutuam ſibi opem ferunt, nihilque altera in alteram contra jus molitur, aut ſibi uſurpat. Deinde innumeris præteritorum temporum exemplis manifeſtum eſt, cùm hæc jurium & libertatis Eccleſiæ violatio regnis, atque imperijs ſemper funeſta, & pernitioſa fuerit, nihil contra Francorum Monarchiæ tantum decus tantámque firmitatem attuliſſe, quam eximiam Chriſtianiſſimorum Regum pietatem propenſúmque in res ſacras, & Eccleſiæ dignitatem animum.

11. Hæc cùm Innocentius XI. Pontifex Maximus ad Regem graviſſimis, atque ad permovendum ejus animum aptiſſimis verbis non ſemel ſcripſerit, ſperandum eſt fore, ut hæc cauſa felicem exitum habitura ſit. Id ſpondet Regis prudentia, juſtitia, magnanimitas, religio, aliæque heroicæ dotes: cúmque hactenus pro ſua ſingulari moderatione in hoc negotio quorundam hominum impotentium violenta conſilia repudiarit, atque etiam nuperrimè pro ſua ſumma

æquitate, in alia cauſa ad Conſilium ejus delata, ſecundum Antiſtitem illum, quem tam invidioſè apud Eam criminantur, diſſentientibus pleriſque judicibus delegatis, pronunciarit; hinc novum adhuc argumentum ſumere licet, quidnam ab ejus pietate & juſtitia expectandum ſit, ſimul ac in hac Regaliæ cauſa rei veritatem penitus cognitam habuerit. Tunc enim nequaquam dubitandum, quin ſuapte natura eam finiendæ hujus controverſiæ rationem ineat, ex qua cuncti ejus ſubditi, imò univerſa Dei Eccleſia agnoſcat, quam verum ſit hoc divinæ Sapientiæ oraculum: *Rex qui ſedet in ſolio judicij, diſſipat omne malum intuitu ſuo. Proverb. 15. v. 8.*

F I N I S.

APPEN-

Digitized by Google

APPENDIX.

MONITVM.

HVic Tractatui confutationem unius, aut alterius ſcripti in defenſionem extenſionis Regaliæ publicati adiungendam duxi. Ex qua quivis poterit animadvertere, quam infirma ſit & complorata regiorum Officialium cauſa; quandoquidem ex tot eruditiſſimis ſcriptoribus, quibus Gallia abundat, nemo hucúſque calamum arripuerit, nulláque alia, poſt editum priorem Reverendiſſimi Epiſcopi Appamienſis Tractatum, ſcripta in defenſionem regij Edicti prodierint, præter hæc duo anonyma, quæ talia ſunt, ut hoc ipſo vel maximè pateat, quam firmæ & invictæ ſint rationes, quibus Eccleſiarum à Regalia immunium libertas hactenus defenſa eſt.

CONFUTATIO

Cujuſdam Scripti, quo Regaliæ ad omnes Galliarum Eccleſias extenſio defenditur.

Verba Scripti.

NOn ex conſuetudine aut uſu dijudicandum eſt, an Rex jus habeat Regalia in omnibus regni ſui Eccleſiis,

 Reſponſio.

Reſponſio.

HOc exordio ingenuè fatetur Auctor Scripti, conſuetudinem vel uſum in Gallia generali Regaliæ adverſari, adeóque Eccleſias, quæ huic juri per Edictum anni 1673. ſubjectæ ſunt, uſque ad Edicti promulgationem veteris ſuæ libertatis poſſeſſionem retinuiſſe. Neque etiam ait fieri poſſe, ut Regaliæ olim ſubjacuerint, Regémque Edicto ſuo id ſolum effeciſſe, ut jus aliquando vel omiſſum, vel interruptum in uſum revocaretur. Candidè agnoſcit jus iſtud nunquam in ijs locum habuiſſe. Ex quo conſequens eſt, meram fuiſſe novationem, cùm ex regij Edicti auctoritate in eas introductum eſt. Id revera certius & notius eſt, quam ut ulla tergiverſatione negari poſſit.

Verba Scripti.

QUamvis ex conſuetudine & poſſeſſione, quæ hominum memoriam excedit, aut quæ ad præſcriptionem ſufficit, jus acquiratur, non tamen hæc ſola regula adhibenda eſt, in Supremorum Principum juribus, ut & in ijs quæ ad Eccleſiam ſpectant. Quod enim ab initio juſtum non fuit, ſuccedente tempore juſtum non evadit, niſi accedente aliquo novo jure juxta hanc regulam: Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit.

Reſponſio.

HÆc quidem valere poſſunt ad defendendam Regaliam in locis, ubi antiquæ ejus conſuetudini expreſſa, vel ſaltem tacita Eccleſiæ conceſſio acceſſit, qui unicus eſt titulus, quo juſta & legitima evadere potuit. Cùm enim Regalia jus ſit prorſus extraordinarium, & à jure communi deflectens, nulla unquam etiam longiſſimi temporis præſcriptione legitimum

timum poſſet evadere: cui apprimè quadrat hæc regula: *Non firmatur tractu temporis, quòd de jure ab initio non ſubſiſtit.* Verùm quid hæc attinent ad Eccleſias,in quibus Auctor ſcripti nullum Regaliæ uſum fuiſſe agnoſcit, ſed potius eas fatetur in priſtina ſua libertate ,& juris communis obſervatione, uſque ad hanc noſtram ætatem perſeveraſſe?

Verba Scripti.

Cujúſque itaque juris origo inſpicienda eſt. Ejus fundamenta & titulos expendi oportet, ut quis dijudicare poſſit, an legitimum ſit. Qui ſecus egerit, in graviſſimorum errorum diſcrimen ſe conjicit.

Reſponſio.

In examinando jure Regaliæ, quid obſervandum eſſet, non ignoravit Concilium Lugdunenſe. Ejus originem inſpicere ac fundamenta expendere facile potuit, cùm adhuc recens & novellum eſſet. At ſuo decreto diſtrictè ſub pœna excommunicationis prohibuit, nequis, quantæcúmque dignitatis honore præfulgens, illud de novo in Eccleſias ab eo liberas introduceret, ſolúmque permiſit, ut in ijs, in quibus vel ab ipſa fundatione, vel ex antiqua conſuetudine receptum erat, adhibita moderatione legitima, continuaretur. Idque ita, præſentibus Galliæ Legatis, ſtatutum eſt, ac poſtea in regno per quadringentos fere annos conſtanter obſervatum. Hoc uno celeberrimi Concilij decreto omnes Auctoris rationes depelluntur, ac vanæ futiléſque eſſe arguuntur. Hoc velut oppoſito obice hæret immotus. Ad hunc veluti ſcopulum alliſa ejus argumenta diſſolvuntur. Unde hujus decreti auctoritati reſpondere nequaquam eſt auſus, ſatius ratus, ut plerique alij ejuſdem cauſæ patroni, nullam ejus mentionem facere.

Verba

Verba Scripti.

Quot res in Eccleſia ab hæreticis impugnantur, quòd in ferendo de ijs judicio ſolam primi, ſecundi, tertij vel quarti ſæculi conſuetudinem attendant. Prioribus, inquiunt, illis ſæculis ignotæ erant imagines: nullæ populi ſtructo agmine prodeuntis ſupplicationes memorantur: nullæ ad implorandam Sanctorum opem litaniæ, nulli erant Monachorum ſeu Religioſorum ordines: à divinorum myſteriorum celebratione multiplices aberant ceremoniæ, quas poſterior ætas ad venerandam illam primigeniæ Eccleſiæ ſimplicitatem adjunxit: mille quadringentos annos continuos fideles ſub utraque ſpecie Sacramentum Euchariſtiæ ſumpſerunt. Igitur, concludunt Novatores, evertendæ imagines, prohibenda Sanctorum invocatio, ſupprimendæ publicæ ſupplicationes & litaniæ: Monachorum ac Religioſorum ordines tollendi: minuendæ ceremoniæ: laicis reſtituendus calicis uſus. Abſurda & riſu digna hæc ratiocinatio; quia non ex ſola conſuetudine jus Eccleſiæ in ijs rebus expendendum eſt. Videndum enim prius, annon jus poteſtatémque habuerit erigendi in ædibus ſacris Chriſti Sanctorúmque imagines, quas pio honore proſequeretur: ſimiliter an ſolemnes quaſdam ſupplicandorum Sanctorum formulas approbare, Religioſos ordines inſtituere, ceremonias augere, calicis uſum Laicis adimere potuerit. Cùm autem validiſſimis rationibus probemus, Eccleſiam in his omnibus jure ſibi à Chriſto conceſſo uſam fuiſſe, nihilque præſtitiſſe, quod legi divinæ adverſetur, aut ſupremo numinis cultui officiat, imo quod non valde aptum ſit ad excitandam fidelium pietatem eorúmque ſalutem procurandam, aut tollendas irreverentias, quæ in diſtribuendo Euchariſtiæ Sacramento vix aliter evitari poterant; fruſtra jam hæretici priſcam nobis Eccleſiæ conſuetudinem objiciunt.

Reſponſio.

Digitized by Google

Reſponſio.

NOva certè & miranda hæc comparatio, jus Regaliæ cum rebus fidei, aut ad Sacramentorum adminiſtrationem, & Eccleſiæ ceremonias ſpectantibus confertur. Quis enim hæc planè diverſa nullámque inter ſe habere ſimilitudinem non intelligit? At magis adhuc miranda Auctoris concluſio, qua infert, eos qui Regaliam in Eccleſias ab ea hucúſque liberas introduci vetant, non potiori jure niti, quam hæreticos, qui ſupra memoratas Eccleſiæ ceremonias & conſuetudines oppugnant. Nam, ut alias hujus ratiocinationis abſurditates omittam, certè hæretici has conſuetudines & ceremonias in Eccleſia repererunt, eáſque admittere hoc ſolo nomine recuſarunt, quòd nullum per quadringentos poſt Chriſtum annos eis locum in Eccleſia fuiſſe contenderent. Quibus reſponderunt Catholici, aut eas jam à primis uſque ſæculis in uſu fuiſſe, aut, ſi quid in eis novatum eſt, id non ad ſubſtantiam dogmatis pertinere, ſed in ijs verſari, quæ Chriſtus Dominus Eccleſiæ poteſtati, atque ordinationi permiſit. Contra verò, qui Regaliæ in Eccleſias ab ea hucuſque liberas introductionem damnant, ea potiſſimum ratione nituntur, quòd id contra canonicam earum libertatem, Concilij generalis Lugdunenſis Decreto ſancitam, & hucúſque perpetua & conſtanti poſſeſſione retentam, per Officiales regios, in magnum Eccleſiaſticæ immunitatis damnum, tentari confirment.

Verba Scripti.

SI ex ſola conſuetudine jura Papa expenderentur, peſſimè ſe haberent Sedes Apoſtolica Summíque Pontifices. Ante Concilium Sardicenſe uſus appellandi Romanum Pontificem in cauſis Eccleſiaſticis nondum inoleverat. Epiſcoporum electiones non in tota

Eccleſia, ſed ne quidem in toto Occidente ab eo confirmabantur: id juris ſolum exercebat in provinciјs Suburbicarijs, hoc eſt in decem illis provinciјs, quæ juriſdictioni Vicarij Præfecti Prætorio in Urbe conſtituti parebant. Electis ad Epiſcopatus & Abbatias non ita pridem impoſita eſt neceſſitas obtinendi Bullas à Pontifice, eique Annatas ſolvendi. Olim tranſlationes Epiſcoporum ab una Diœceſi in alteram ſola auctoritate Metropolitani, & Synodorum provincialium fiebant. Penes Epiſcopum erat cum quibuslibet Diœceſis ſuæ hominibus diſpenſare, quorumlibet delictorum abſolutionem eis dare, itémque indulgentias non ad quadraginta tantum dies, ſed indiſtinctè pœnitentibus concedere. Non ſolius Papæ erat aliquos in Sanctorum numero adſcribere. Nulla erant Eccleſiarum prædia ante Conſtantini Magni ætatem. Urbis Romæ aliarúmque civitatum, & provinciarum, quibus Eccleſiaſtica ditio conſtat, ſupremum Dominium ad Pontificem non ſpectabat ante tempora Chriſtianiſſimorum Regum Pipini, Caroli Magni, Ludovici Pij, Caroli Calvi, quorum pietati & munificentiæ, quidquid habet temporalis amplitudinis, Romana debet Eccleſia. Si quis ſingula hæc Romanorum Pontificum jura, quòd adeò vetuſta non ſint, tanquam minus juſta & legitima damnare auderet, num audiendus eſſet? Nonne ejus temeritas ab omnibus exploderetur? Quid ita? Quia videlicet in ijs rebus jus ſuum Eccleſia Romana Summique Pontifices non ad ſolam conſuetudinem revocant. Siquidem ex ipſo Primatu, quem Chriſtus Petro ejuſque ſucceſſoribus contulit, proficiſcitur jus definiendi Cauſas Majores, quæ ad Sedem Apoſtolicam per appellationem deferuntur. Romani Epiſcopi ut totius Occidentis Patriarchæ jus confirmandorum Epiſcoporum habent, tametſi eo jure non ſemper uſi ſint. Ob utramque verò & primatus & Patriarchatus dignitatem multa ſibi in Eccleſiæ adminiſtratione excipere potuerunt. Unde hodie ad eos ſolos pertinet cum conſanguineis & affinibus ad contrahenda matrimonia in gradibus jure Eccleſiaſtico ſeu poſitivo prohibitis diſpenſare, voto-

rum

rum ſimplicium obligationem relaxare, quorundam atrocium criminum abſolutionem pœnitentibus concedere, cum pietatis laude vita functos in Sanctorum numerum referre, Religioſos ordines ſua auctoritate confirmare. Neque enim, verbi gratia, à Chriſto Domino interdictum eſt Eccleſiæ, ne fundos, caſtella, aut ditiones, etiam cum ſupremo dominio, poſſideret, ſi quando ei à fidelibus aut Principibus Chriſtianis donarentur.

Reſponſio.

NOn magis quadrat hæc comparatio, quam quæ ſuperiori articulo allata eſt: ſed hoc vitioſior eſt, quòd in majorem adhuc offenſionem, & invidiam incurrat. Omnes Catholici Primatum Romani Pontificis, ut certum, & inſtar illius Petræ, cui, juxta Evangelicum verbum, Eccleſia innititur, firmum atque inconcuſſum agnoſcunt. At non ita de ſingulis ejus dignitatibus ſeu prærogativis loquuntur. Ut enim aliquas ei proprias, &, ut ita dicam, innatas, adeóque juris divini, ita etiam alias ei deinceps additas, atque ideo juris tantum, ut vocant, poſitivi eſſe ſtatuunt. Has autem poſteriores fatentur nonnunquam mutari ac minui, aut etiam, quod ad exercitium ſpectat, prorſus intermitti, pro varia temporum & locorum conditione, & pro ipſius Reipublicæ Chriſtianæ utilitate, & commodo, cui omnis, quæ hominibus à Deo data eſt, poteſtas ſervire debet. Hujuſmodi ſunt multa jura, quibus hodie utitur Romanus Pontifex. Neque revera audiendi eſſent, qui ea hoc ſolo nomine reprobarent, quòd non ſemper eodem modo viguerint, imò eorum aliqua non ita pridem in uſum recepta ſint. Sufficit enim ad eorum defenſionem, ut bene advertit Auctor ſcripti, quòd in ipſo Primatu à Chriſto in Petrum ejuſque ſucceſſores collato fundata ſint, cujus Primatûs vis, & poteſtas ad ea

omnia, quæ Eccleſiæ regimen bonúmque ſpectant, extenditur. At quid hæc ad Regaliæ jus, quod, ut jamdiu ſeſe habet, Regibus acquiri, niſi ex Eccleſiæ conceſſione non poteſt; & quod tamen Officiales regij ad quam plurimas Eccleſias, ſine ullo Eccleſiæ conſenſu, imo contra expreſſam Concilij generalis prohibitionem, perpetuámque earumdem Eccleſiarum poſſeſſionem, ſola auctoritate regia extendere, adeóque generale efficere attentarunt?

Verba Scripti.

Eodem itaque modo de Regum juribus ratiocinandum eſt; ut rectè quis & convenienter ratiocinetur. Neutiquam ex ſola conſuetudine aut ſolo uſu dijudicandum eſt, an ad eos Regalia in univerſis regni Eccleſijs pertineat.

Reſponſio.

AD confutandam hac ratiocinationem ſat erit, ſi ei opponatur decretum Concilij generalis Lugdunenſis, Regaliam in Eccleſijs, ubi ex antiqua conſuetudine recepta erat, permittentis, & ne ad alias de novo inducatur, ſub anathemate prohibentis; quod quidem ita ab eo, præſentibus Regis Chriſtianiſſimi Legatis ſtatutum eſt, ac deinde conſtanter hucúſque in Gallia obſervatum.

Verba Scripti.

Neque enim Reges ſuo ſemper jure utuntur: ſed prout eis libuerit, multa Eccleſijs, & Epiſcopis, quemadmodum & reliquis ſubditis ſuis, gratificantur, eiſque interdum immunitates & privilegia concedunt.

Reſponſio.

HIs verbis Auctor ſibi ſumit, quod in quæſtionem vertitur, quam ratiocinandi fallaciam Logici *petitionem principij*

principij appellant. Supponit enim Regaliam ita Regum propriam eſſe, ut ad eos ſola vi regiæ Coronæ pertineat; quod falſiſſimum eſſe toto hoc Tractatu patuit, ubi clariſſimè demonſtratum eſt, Regaliæ jus, niſi accedente Eccleſiæ conceſſione, juſtum ac legitimum fieri non poſſe: quod adeò certum & evidens eſt, ut ſine graviſſimo errore negari non poſſit. Eadem fallacia Auctor gratis ſupponit, Eccleſias quæ per regium Edictum Regaliæ ſubjectæ ſunt, antea per privilegium & gratiam ab ea immunes fuiſſe; cùm certum ſit, hanc fuiſſe naturalem & canonicam earum libertatem, quam hactenus conſtanter retinuerant.

Verba Scripti.

QUæ quidem privilegia non ita Succeſſores obligant, quin juſtè exigere poſſint ea, quæ à prædeceſſoribus ſuis gratuitò, & ex benignitate condonata ſunt.

Reſponſio.

HOc nihil omnino facit contra Eccleſias, quæ nunqnam Regaliæ jugo, ob ſuam naturalem & canonicam libertatem ex auctoritate Concilij Lugdunenſis, variarúmque Conſtitutionum regiarum, nominatim verò Edicti ab Henrico Magno anno 1606. promulgati, & à Ludovico XIII. anno 1629. confirmati, conſtanter retinuerunt; de quibus Eccleſijs propriè in hac diſceptatione agitur. Quin etiam non valet hæc ratio contra Eccleſias, quæ cùm in Provincijs Regaliæ obnoxijs poſitæ ſint, ab hoc jugo per Chriſtianiſſimorum Regum privilegia, & conceſſiones liberatæ ſunt. Si enim juſti æquique ratió poſtulat, ut Principes privilegia urbibus, ſocietatibus, imò & privatis hominibus à Prædeceſſoribus ſuis conceſſa ſervent, neminémque parta ſibi immunitate

privari patiantur, niſi forte gravi aliquo delicto ab eis excidere meruerint: quanto adhuc æquius juſtiúſque, ut Chriſtianiſſimi Reges hanc eamdem juris regulam erga Eccleſias obſervent, in ea præſertim materia, ubi per privilegia Regum nil aliud conſecutæ ſunt, niſi ut in priſtinam naturalémque libertatem reſtituerentur? Quod cùm per ſe juſtitiæ & pietati conſentaneum videatur, tum verò ad id ſpecialius Reges Chriſtianiſſimi adſtringuntur ob religionem Sacramenti, quo in ipſa inauguratione pollicentur, ſe Prælatos eorúmque Eccleſijs *Canonicum Privilegium* conſervaturos, hoc eſt, ea omnia jura, quæ ex beneficio & conceſſione Regum obtinent, & quibus antea potiti ſunt.

Verba Scripti.

AD Regalia originem redeundum, ejuſque fundamenta inſpicienda; ſicque facile patebit, eam ad Regem in omnibus ſui imperij Eccleſijs duplici jure miniméque dubio pertinere, feudorum ſcilicet ſervitutis, bonorúmque Eccleſiæ Cuſtodia, quam cuſtodiam inter præcipua ſuæ coronæ jura Reges Chriſtianiſſimi reponunt.

Reſponſio.

QUis non exiſtimaret Auctorem ſcripti longum exordiri ſermonem ad ſtabilenda Regaliæ fundamenta, ejúſque in omnes Galliæ Eccleſias extenſionem probandam? At uno verbo rem abſolvit. Vult quippe omnibus perſuaſum eſſe, illam ad regem in univerſis regni Eccleſijs, duplici jure miniméque dubio, pertinere, ſervitutis videlicet feudorum, & bonorum Eccleſiaſticorum cuſtodiæ, quam Auguſtum jus Coronæ appellat. Quis non advertat, adhuc eum, nullis rationibus adductis, tanquam certum ſibi ſumere, quod in controverſiam vocatur? Pernegatur enim, Regaliam

liam, ut nunc ſeſe habet, Chriſtianiſſimis Regibus vel ratione feudorum, vel ob regiam bonorum Eccleſiæ tutelam jure vindicari poſſe. Fatendum quidem, eam ex duplici hoc capite præcipuè ortam videri, ac deinde in aliquibus Eccleſijs ſtabilitam vires & incrementum ſumpſiſſe. Sed nequaquam inde ſequitur, illam hoc ſolo nomine juſtam & legitimam cenſeri poſſe, eo maximè ſtatu, quo jamdiu eſt, & quatenus, ſede vacante, tum univerſorum bonorum Epiſcopalium uſumfructum, tum Beneficiorum omnium, præter parochias, collationem pleno jure comprehendit. Hæc Domini feudalis bonorúmque Eccleſiaſticorum Cuſtodis nomina, quibus Reges ornantur, obſtare non potuerunt, quominus Regalia eo modo accepta, diu tanquam abuſus & alieni juris uſurpatio habenda fuerit; adeò ut non niſi poſt diuturnam Regum poſſeſſionem, accedente Eccleſiæ conſenſu in Concilio Lugdunenſi, juſta & legitima evaſerit, in ijs videlicet rebus, quas certum eſt ab Eccleſia approbatas ac permiſſas fuiſſe.

Ut autem id adhuc manifeſtius probetur, ſimúlque pateat, utrúmque hunc feudalis Domini bonorúmque Eccleſiaſticorum Cuſtodis titulum non ſufficere, ut Regi in univerſas imperij ſui Eccleſias Regaliæ jus tribuatur, qui eſt præcipuus hujus controverſiæ cardo, ſequentes hic conſiderationes breviter adjungam.

1. Hos duos titulos attendit Concilium Lugdunenſe: Alterum quidem, dum *Regalia* plurali numero in decreto ſuo nominavit, quo vocabulo ſignificantur tum feuda, quibus Eccleſiæ Regum ac Principum munificentia ditatæ ſunt, tum jura, quæ ratione ejuſmodi feudorum Regibus ac Principibus debentur: Alterum verò dum geminatis verbis *Cuſtodiam* ſive *Guardiam, Advocationis* ſeu *Defenſionis* titulum appellavit. Cæterum tantum abeſt, ut ex duplici hoc titulo jus, quod Regaliæ

galiæ dicitur, Regibus aut Principibus attribui poſſe exiſtimaverit, ut potius hoc decreto ſub pœna excommunicationis prohibeat, ne quis, quantæcumque dignitatis honore præfulgeat, illud de novo in Eccleſijs, quæ hactenus ei obnoxiæ non fuerunt, uſurpet, permittens ſolum, ut continuetur in Eccleſijs, in quibus vel ab ipſa fundatione, vel ex antiqua conſuetudine introductum eſt, modo ejus abuſus tollantur.

II. Hoc utróque feudalis Domini bonorúmque Eccleſiaſticorum Cuſtodis titulo Reges Chriſtianiſſimi jam ab initio ornati fuerunt. Cur igitur Regalia primæ & ſecundæ Regum dynaſtiæ incognita fuit, nec ullum ejus veſtigium niſi poſt dimidium duodecimi ſæculi, imperante Ludovico ſeptimo & Philippo Auguſto, apparet?

III. Editum eſt ſupramemoratum Concilij Lugdunenſis decretum in Gallia, præſentibus Philippi Regis Chriſtianiſſimi Legatis, eique Philippus alijque Reges poſtea paruerunt, Regaliam exercere contenti in locis, ubi ex antiqua conſuetudine vigebat, eam verò nequaquam producentes ad ea loca, quæ hactenus ei obnoxia non fuerant, ut patet ex innumeris eorum Edictis & Conſtitutionibus, ex Cameræ computorum Pariſienſis regeſtis, & ex varijs Arreſtis per trecentos circiter annos à Parlamento Pariſienſi in hac materia latis. Num igitur tot Reges eorúmque Conſiliarij, & Officiales duplicis hujus tituli, Domini ſcilicet feudalis, & Eccleſiaſticorum bonorum Cuſtodis vim ac momentum ignorarunt? An jurium Coronæ adeò rudes & imperiti erant, ut quæ hodie tanquam certa & manifeſta proponuntur, eis prorſus incognita fuerint?

IV. Non ſoli Galliæ Reges, ſed alij etiam Reges & Principes feuda in Eccleſias contulerunt, bonorúmque Eccleſiaſticorum in ſuis ditionibus cuſtodes, & defenſores ſunt, ut Chriſtia-

Chriſtianiſſimi Reges in ſuo regno. Qui fit igitur, ut Regalia non utantur? Cur id juris, præter Angliam, ubi olim locum habuit, in cæteris orbis Chriſtiani partibus, excepta Gallia, penitus ignoratur? Nonne generale eſſe, & ubique vigere oporteret, ſi duplicem hunc feudalis Domini, & bonorum Eccleſiaſticorum Cuſtodis titulum, qui cunctis Principibus Chriſtianis communis eſt, neceſſariò conſequitur?

V. Chriſtianiſſimus Rex, ut ſupremus feudorum Epiſcopalium Coronæ nullo medio ſubjectorum Dominus, id tantum juris, ſede vacante, ſibi ad ſummum vindicare poſſet, ut ejuſmodi feudorum fructus ſuos faceret; idque tantum in provincijs juris conſuetudinarij, ubi hunc uſumfructum feudales Domini, mortuo vaſallo, vel ejus loco jus, quod Relevij vocant, capere conſueverunt. Verùm præterquam quòd Clerus ob ſolutionem decumarum & doni, ut vocant, gratuiti quibuſcumque relevij aut caduci alijſque feudalibus oneribus expreſsè liberatur; quid inde juris Regi acquiritur in alia Eccleſiarum prædia varióſque reditus, maximè verò in Decimas, Primitias, cæteráſque ejus generis oblationes, quod quidem bonorum genus plerúmque majorem redituum Epiſcopalium partem, in aliquibus verò Eccleſijs, quæ nulla aut pauciſſima feuda habent, totum Epiſcopi reditum conſtituit? Deinde quid huic feudorum juri commune cum Beneficiorum collationibus, quæ res ſpiritualis eſt, & merè hierarchica, & quæ præcipuam Regaliæ partem hodie conſtituit, ut ejus unius rationem habuiſſe videantur, qui de Regalia per totum regnum extendenda conſilium inierunt? Denique jus iſtud feudale locum non habet in provincijs juris ſcripti ſeu civilis Romani, quales ſunt Occitania aliæque vicinæ, ad quas de novo Regalia per Edictum regium producta fuit. In ijs enim feudorum fructus, mortuo vaſallo, Dominus ſuos

Digitized by Google

non facit, noménque Relevij, quod in locum hujus Uſusfructus ſubſtitutum eſt, hactenus ignoratur: quæ ratio eſſe videtur, cur jam à principio Regalia, quæ tunc ſolo vacantium feudorum uſufructu continebatur, in eas provincias introducta non fuerit, ut alibi explicatum eſt.

VI. Cuſtodis, Defenſoris ac Patroni Eccleſiarum partes ſunt, ut conſervandis earum bonis invigilet, maximè dum Paſtoribus orbatæ ſunt, potentium hominum ea uſurpare conantium violentiam cohibendo, & Oeconomos ijs adminiſtrandis præpoſitos, qui mox futuris Epiſcopis, ex canonum præſcripto, rationem reddant, ſua auctoritate muniendo. Itaque Chriſtianiſſimi Reges, ut Eccleſiarum vacantium Patroni, & Cuſtodes non ſolum earum fructus ſuos facere non debuerunt; ſed potius hoc nomine, ut futuris eos Epiſcopis conſervarent, admonebantur: nihilque eorum dignitate & munificentia magis alienum, quam ut hinc ſacrorum proventuum ſibi arrogandorum anſam ſumerent; quaſi verò Eccleſiarum viduatarum tutelam eo ſolùm fine ſuſciperent, ut earum ſpolijs ditarentur. Sed inprimis ab officio Cuſtodis & Tutoris omnino abhorrebat, Beneficiorum collationes ad ſe trahere, non alio colore, niſi quòd eas fructibus Epiſcopatus annumerare placuit; cùm ſint quid ſpirituale, & merè hierarchicum, majuſque ex eo damnum Eccleſia faciat, quam ſi quamlibet redituum temporalium partem amitteret.

Verba Scripti.

Ultra adhuc progredior. Quemadmodum enim Romani Pontifices, inconſultis Principibus, neque expectato eorum judicio, aut conſenſu, plurima jura, tanquam ex ſua Sedis Primatu profecta, ſibi tribuerunt, eáque vel editis decretalibus epiſtolis ad ſe

ſe pertinere declararunt, vel etiam, nullâ præmiſſa declaratione, in uſum induxerunt, tametſi Prædeceſſoribus uſurpata non fuiſſent, & multorum ſæculorum perpetua conſuetudini adverſarentur: ita confirmo Chriſtianiſſimum Regem non diſſimili jure, Regaliæ uſum, inconſulto Romano Pontifice, in univerſas regni ſui Eccleſias inducere potuiſſe.

Reſponſio.

QUid eſt, cur Pontifices de ejuſmodi juribus, quæ ſpiritùale regimen & Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectant, & ad Sedis Apoſtolicæ Principatum, quem non ab hominibus, neque per homines, ſed à Chriſto Domino conſecuti ſunt, revocantur, Chriſtianos Principes conſulerent, aut eorum judicium expectarent? Non eadem ratio Regaliæ in Principibus: quia Regalia, ut à multo tempore ſeſe habet, jus eſt maximam ſui partem Eccleſiaſticum, aut quaſi Eccleſiaſticum, quo Collatio Beneficiorum, quæ res eſt merè ſpiritualis & hierarchica, comprehenditur: ac proinde Regibus non vi regiæ coronæ vindicari, ſed ſola Eccleſiæ conceſſione acquiri poteſt. Itaque non licet Principibus aliquid in eo novare, aut illud in Eccleſias, in quibus hactenus locum non habuit, ſine Eccleſiæ conſenſu & inconſulta ſancta Sede, inducere: maximè cùm id eis expreſsè decreto Concilij generalis prohibeatur, cujus executionem Papa, pro ſuo Apoſtolico munere, urgere debet.

Verba Scripti.

SUfficit ut poſtquam jus ſuum examinavit, & à doctiſſimis quibuslibet Juris-conſultis, qui in ſuo Conſilio, & Parlamento Pariſienſi verſantur, examinari curavit, ubi comperit Regaliam nullis certis locorum terminis cohiberi, eam in univerſis regni ſui

Eccleſiis ad ſe pertinere, publico Edicto declaraverit, atque adeò ejus poſſeſſionem reipſa ubique inierit.

Reſponſio.

MIrum certè, quantum doctiſſimi hi Juris-conſulti, quos ſua Majeſtas conſuluiſſe dicitur, ſenſu & doctrina diſcrepent ab antiquis Galliæ Juris-conſultis celeberrimíſque Auctoribus, qui de hoc Regaliæ argumento ſcripſerunt, quales ſunt Ægidius *Le Maiſtre* Proto-præſes Parlamenti Pariſienſis, Guimerius Inquiſitionum Præſes in eodem Parlamento, Franciſcus Duarenus, Philippus Probus, Renatus Choppinus, Rebuffus, Carondas, Feraldus, Degraſſalio, Paſquierius, qui uno omnes ore Regaliam non eſſe generalem docuerunt. Quos inter Paſquierius, qui regij Advocati munere in Camera computorum Pariſienſi fungebatur, & rerum Gallicanarum juriſque Francici peritiſſimus erat, contrarium ſentientes *Aulicos adulatores*, potius quam *Juris-conſultos Gallos* appellare non dubitavit. Illuſtriſſimus Petrus de Marca, qui primùm cùm adhuc in regio Conſilio ſenator eſſet, hujus cauſæ Relator deſignatus fuerat, non ſolum poſtea ſuum ea de re ſenſum aperuit, ſed varijs eum validiſſimíſque argumentis in commentario in hanc quæſtionem edito, & in octavo libro de Concordia Sacerdotij, & Imperij confirmavit. Idem præſticit Illuſtriſſimus Franciſcus Boſquetus Monſpelienſis Epiſcopus juris & antiquitatum Eccleſiaſticarum ſcientiſſimus in præclara illa oratione, quam de hoc argumento habuit in publicis Cleri comitijs anni 1656. Præterea à viris fide dignis didici, Dominum *De Boucherat* in regio Conſilio Senatorem hujuſque cauſæ Relatorem, cùm de ea in Conſilio coram Rege retulit, ejus fuiſſe ſententiæ, ut Regalia generalis eſſe non declararetur, ſed Eccleſiæ hactenus ab ea liberæ

beræ in ſua immunitate conſervarentur. Quin & compertum eſt, conſultiſſimos quóſque Parlamenti Pariſienſis Advocatos etiamnum hanc ſententiam tenere, tametſi tum in reſponſionibus, tum in publicis actionibus, ob regij Edicti auctoritatem, contrarium ſequantur. Sin verò Procurator & Advocati regij, qui in Edicti proœmio memorantur, alijque nonnulli Parlamenti Pariſienſis Officiales, Regaliam eſſe debere generalem cenſuerunt, meritò ut ſuſpecti habendi erant, eorúmque judicium recuſandum, tum quòd in dilatanda Regalia ſuam quoque juriſdictionem & auctoritatem dilatarent, tum quòd res amplius eis integra non eſſet poſt Arreſtum anno 1608. ab eis latum, quo Edictum Henrici Magni ante biennium publicatum, & ab ipſis paulo ante in tabulas relatum quodammodo reſcindentes, de hac ipſa Regaliæ dilatatione præjudicaverant.

Verba Scripti.

UT Papa de juribus Primatus ſui ſuprema auctoritate à Chriſto ſibi tradita judicat, ita etiam Rex ſupremam judicandi de juribus coronæ ſuæ poteſtatem immediatè ab eodem Chriſto ſibi traditam habet. Chriſtianiſſimi Reges non alios rerum ſuarum, aut cauſarum judices agnoſcunt, quam ſeipſos aut Conſilij ſui, vel Parlamenti Officiales, quibus earum cognitionem & judicium tribuunt. Conſtitutionum, Declarationum, Edictorum, aut Arreſtorum, quæ ijs de rebus, aut promulgant, aut ferunt, nemini rationem niſi ſoli Deo reddere coguntur.

Reſponſio.

NOn accuratè loquitur, qui Regum poteſtatem eis immediatè à Chriſto traditam ait. Id rectè dicitur de poteſtate Papæ, Epiſcoporum aliorúmque Eccleſiæ Præpoſitorum, cujus poteſtatis auctor & inſtitutor Chriſtus

Dominus verus Deus verúſque homo. At Regum poteſtas, cum Apoſtolo Paulo, ad Deum Optimum Maximum, cujus vivæ quædam effigies ſunt, referri debet, cùm longe ante natum Chriſtum homines ſuos Reges ſuóſque Principes habuerint. Hæc obiter, ut pateat, Autorem Scripti non accuratiorem agere Theologum, quam Canoniſtam aut Juris-conſultum. Quod autem ait, Chriſtianiſſimos Reges non alios ſuarum rerum, aut cauſarum judices agnoſcere, niſi ſeipſos, aut Conſilj ſui vel Parlamenti Officiales, id ſolum concedi debet in rebus regij patrimonij & merè civilibus, quæ ad reipublicæ ſtatum, & gubernationem ſpectant. At ſecus ſentiendum, ubi agitur de rebus ſpiritualibus, aut quaſi ſpiritualibus, quæ ad Eccleſiæ regimen & diſciplinam pertinent, in quibus Reges & Principes, concedente vel conſentiente Eccleſia, certa quædam jura exercent. In his enim, ſi quid in controverſiam venit, Principes Matris Eccleſiæ, cujus ſe filios gloriantur, judicium expectant, non antevertunt; nihilque niſi ex præſcripto Canonum, & cum Epiſcoporum conſenſu & approbatione ſtatuendum ſibi arrogant, ut in hoc ipſo Regaliæ negotio patuit, quod ante quadringentos annos in Concilio generali Lugdunenſi, præſentibus Regis Chriſtianiſſimi Legatis, tractatum ac definitum fuit; quam definitionem in Corpus juris relatam omnes poſtea admiſerunt, & hactenus obſervarunt. Alioquin, ſi ut hujſmodi cauſarum cognitio & judicium Regi ejúſve Officialibus tribuatur, ſufficit, quòd in ijs de coronæ juribus agi dicatur, quis non videat eo pacto Eccleſiæ auctoritatem Laicorum Principum poteſtati ſubjici, regijſque Officialibus latum ad invadenda ejus jura & dignitatem opprimendam aditum pandi? Unde hac futili ratione nequaquam prohibiti ſunt Romani Pontifices alijque Epiſcopi, quominus contra iniquam quorumcúmque

conſilia

Digitized by Google

conſilia, & uſurpationes Eccleſiæ jus ac libertatem defenderent, ut ex Inveſtiturarum controverſia, & diuturna ſancti Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi cum Henrico II. Angliæ Rege concertatione manifeſtum eſt.

Verba Scripti.

IN his materijs Reges Pontificia juriſdictioni non ſubjiciuntur: tametſi in ijs, quæ ad eorum Majeſtatem privatim ſpectant, huic ſe juriſdictioni ultro ſubjicere poſſint; non verò in ijs, quæ ad regia corona jura pertinent, utpote quæ integra & ſine diminutione ad ſucceſſores tranſmittere debeant.

Reſponſio.

PRincipes juriſdictionem Eccleſiæ in hac Regaliæ materia jam ante quadringentos annos in Concilio Lugdunenſi agnoverunt. Nunc autem nil novi ſtatuit Innocentius XI. Summus Pontifex, ſed ſolum Decreti ab eodem generali Concilio promulgati executionem urget; qua in re eum ſuo Apoſtolici Primatus munere fungi nemo negaverit. Deinde hæc cauſa ad ejus tribunal legitimis appellationibus delata eſt, poſt Metropolitanorum Narbonenſis & Toloſani ſententias, quos Regaliſtæ adierant, ut à cenſuris in eos à felicis memoriæ Epiſcopis Alectenſi & Appamienſi, ex ejuſdem Concilij Lugdunenſis præſcripto, promulgatis, abſolverentur. Nil itaque attinet, ut Rex Pontificis juriſdictionem in hoc negotio, ſpeciali quadam ſummiſſione, agnoſcat. Cauſa eſt per ſe Eccleſiaſtica & ſpiritualis, quæ ordinaria appellationum via ad Sedem Apoſtolicam devoluta eſt, & quæ ſemper ad eam deferri debuit, cùm ſit ex ijs *Majoribus Cauſis*, quæ cùm generalia & gravia diſciplinæ ac libertatis Eccleſiaſticæ capita ſpectent, ſpecialiter Romano Pontifici, etiam in Con-

cordato

cordato Bononienſi, reſervantur: unde neceſſariò ad eum referri debent, neque ejus injuſſu aut ſine ejus auctoritate ab Epiſcopis in Conventibus & Synodis provincialibus terminari poſſunt.

Verba Scripti.

ID ut certum agnovit ac docuit Innocentius III. unus ex doctiſſimis Pontificibus, qui unquam Eccleſiæ præfuerunt. Cùm Rex, *inquit*, ſuperiorem in temporalibus minimè recognoſcat, ſine juris alterius læſione in eo ſe juriſdictioni noſtræ ſubjicere potuit. *Hæc habentur lib. 4. Decretal. tit. 17. cap. Per venerabilem.*

Reſponſio.

CAſum hujus Epiſtolæ Decretalis & verba Innocentij hic allata nihil prorſus ad præſentem quæſtionem pertinere ex ſola hujus Decretalis lectione patet. Cæterum Auctor ſcripti conſultò omiſit id, quod eodem loco ab erudiciſſimo Pontifice traditur, ſcilicet Romanos Pontifices in certis caſibus poſſe *caſualiter* temporalem juriſdictionem exercere etiam in locis extra ditionem Eccleſiaſticam poſitis. Nihil autem neceſſe eſt, ut hanc doctrinam hic uſurpem, aut expendam, quandoquidem Innocentius XI. Pontifex Maximus non *caſualiter*, aut quaſi ex occaſione, ſed per ſe & pro ſuo jure de hac Regaliæ cauſa cognoſcit, quæ videlicet cùm ſit una ex Majoribus Cauſis Apoſtolicæ Sedi ſpeciatim reſervatis, ad eam quoque per legitimam & ordinariam appellationis viam deducta eſt, ut ſupra obſervavi.

RESPONSIO

RESPONSIO
Ad alterum Scriptum.

HAnc prioris Scripti confutationem abſolveram, cùm aliud Italico idiomate compoſitum ad me miſſum eſt, quod Romæ Eminentiſſimis ac Reverendiſſimis Cardinalibus oblatum eſſe dicitur. In hoc nihil novi, quod peculiari reſponſione indigeat, occurrit, maximè ſi quis Tractatum generalem legerit, ubi ea quæ aliquam difficultatem parere poſſent, fusè diſputata ſunt, & ad ea quæ in hoc ſcripto opponuntur, jam antea abunde reſponſum eſt. Ne itaque eadem repetere cogar, ſat erit ſequentes obſervationes hic attexere.

I. Arreſtum Parlamenti Pariſienſis anno 1608. die 24. Aprilis latum, quod Auctor hujus Scripti tanquam eorum, quæ in hac cauſa geſta ſunt, fundamentum ſtatuit, apertè violabat Edictum ab Henrico Magno ante biennium promulgatum, & ab ipſo Parlamento duobus ante menſibus, hoc eſt die 29. menſis Februarij in tabulas relatum. Quod quidem Arreſtum in cauſarum auditorio, occaſione privatæ cujuſdam litis de Canonicatu Eccleſiæ Bellicenſis latum eſt, principali generalis Regaliæ quæſtione, conſueto ex more & partibus auditis nequaquam excuſſa aut inſtructa; quo uno defectu caſſum redderetur iſtud Arreſtum, tametſi dares Parlamento legitimam dirimendæ huic controverſiæ juriſdictionem non defuiſſe. Unde huic Arreſto ſtatim Clerus Gallicanus interceſſit, delatíſque ad Henricum IV. querelis, quòd uſurpata à Parlamento juriſdictione, & in apertam Eccleſiaſticæ libertatis violationem latum eſſet, non ſolum ut ejus executione ſuperſederetur, ſed ut eo penitus reſciſſo, Edictum ſuæ Majeſtatis in executionem mitteretur, poſtulavit: quod

deinceps, iteratis ſupplicationibus, tam à Ludovico XIII. quam à Ludovico XIV. feliciter hodie regnante, flagitare non deſtitit.

II. Ad ſolum Parlamentum Pariſienſe, inquit Auctor ſcripti, pertinet de materijs Regaliæ cognoſcere. Conceditur, ſi per materias Regaliæ intelligas lites, quæ occaſione Regaliæ in locis, ubi jamdiu in uſum recepta eſt, oriuntur. Sed pernegatur eam fuiſſe Parlamenti auctoritatem, ut Regaliam eſſe generalem decerneret, ac in multas Eccleſias, & integras Provincias, quæ nunquam ei obnoxiæ fuerant, ſuo Arreſto extenderet; maximè cùm ea extenſio prohibita eſſet, tum decreto Concilij generalis Lugdunenſis, tum Henrici Magni Edicto ab ipſis Officialibus Parlamenti nuper in tabulas relato. Deinde meritò ſuſpecti erant hujus curiæ Officiales, & à diſceptatione hujúſce cauſæ ſummovendi, quòd eorum non parum intereſſet juriſdictionem ſuam in tot Eccleſias, & Provincias, quoties de Regalia ageretur, producere. Imò neque etiam Clerus Gallicanus ordinarios Conſilij regij Officiales in hac cauſa judices agnovit. Ad ipſum Regem querelas ſuas & expoſtulationes detulit. Sin autem diu generalis cauſa Regaliæ in regio Conſilio hæſit, id ſolum factum eſt ratione litium, quas Regaliſtæ Beneficiarijs Eccleſiarum à Regalia immunium ſuſcitabant, & quæ, interdicta Parlamento Pariſienſi earum cognitione, ad regium Conſilium evocatæ fuerant, donec de exequendo Henrici IV. Edicto regia auctoritate caveretur.

III. Singula hæc nomina Patroni vel Fundatoris, Domini feudalis, Cuſtodis ſeu Defenſoris bonorum Eccleſiæ, quæ hoc loco commemorat Auctor Scripti, eſto cauſam ortus Regaliæ dederint, ac deinde ejus amplificandæ in certis quibuſdam Eccleſijs anſam præbuerint: at eam, prout jamdiu in multis

multis locis exercetur, juſtam & legitimam efficere nequaquam potuerunt. Id ſolum præſtare potuit Eccleſiæ conceſſio, vel ſaltem conſenſus, in ijs ſcilicet, quæ ab ea probata, aut permiſſa eſſe conſtant. Jam ab initio Reges ſupra memoratis titulis ornati fuerunt, neque tamen ſemper jus Regaliæ, de quo hic agitur, obtinuerunt. Illud enim duodecimo demum ſæculo cæpiſſe, nec niſi in certis quibuſdam Eccleſijs & Provincijs, juxta decretum Concilij Lugdunenſis, hactenus locum habuiſſe, compertum eſt. Quod deinde in ſcripto additur de feudalibus ſervitijs, quibus olim Epiſcopi ratione feudorum obſtringebantur, qualia ſunt Regem ad caſtra comitari, certum ei militum numerum ſuppeditare, ejus Majeſtatem aut Officiales hoſpitio excipere; hæc omnia nihil peculiaris affinitatis habent cum jure Regaliæ, neque ullatenus ad præſentem de ejus extenſione quæſtionem dirimendam pertinent. Mitto quòd jamdiù omnibus illis ſervitijs liberatæ ſunt, atque etiamnum Clerus Gallicanus eorum immunitatem, ob decumarum & doni gratuiti ſolutionem, ſingulis quinquennijs expreſsè à regijs procuratoribus ſtipulatur.

IV. Jam verò nil opus eſt, ut hic felicis memoriæ Reverendiſſimos Epiſcopos Alectenſem & Appamienſem ab hujus ſcripti maledicentia & convitijs vindicem. Sat illos ab ejus criminationibus abſolvit tum perſpecta omnibus eorum ſapientia, tum vigilantia, æquanimitas, Zelus, charitas & indefeſſus labor, quo uterque in Eccleſiæ ſibi commiſſæ adminiſtratione, & procuranda animarum ſalute, ille per quadraginta, hic verò per triginta ſex annos, deſudavit. Qui Alectenſem familiarius noverunt, teſtantur eum recto ad veri cognitionem ingenio à natura præditum fuiſſe, tum judicio plurimum valuiſſe, ſingularíque in rebus diſcernendis ac dijudicandis

Digitized by Google

judicandis prudentia: quas naturæ dotes dona gratiæ illuſtrabant, maximè verò ſpiritus ille precum, quem in eum Deus largiter effuderat, & continua mentis Deo inhærentis applicatio, quam in eo omnes ſuſpiciebant: ut omittam ſtudiorum curſum, quem Pariſijs, unde oriundus erat, & in Sorbona peregerat, ſingularémque illam experientiam, quam longo, & aſſiduo Epiſcopalis officij uſu quæſierat. Hinc illum ex omnibus Galliæ partibus viri dignitate, ſcientia, pietate inſignes conſulebant. Multi etiam ex remotiſſimis regionibus ad eum in ultimis Galliæ finibus intra Pyrenæorum juga commorantem ſe contulerunt, ut coram de rebus ad conſcientiam, aut Eccleſiæ diſciplinam ſpectantibus cum illo communicarent. Quos inter Armandus Borbonius Princeps *De Conti*, cujus ſingularem ingenij præſtantiam, multo verò adhuc magis eximiam pietatem moréſque religioſiſſimos, poſtquam prioris vitæ pœnitens ad meliorem ſe frugem recepit, omnes admirati ſunt, præclarum illum Antiſtitem, cujus ope Deus eum ad piam vitæ rationem traduxerat, ſemper loco parentis & conſiliorum ſuorum moderatoris habuit, ejus monitis cum admirabili animi demiſſione obtemperans, eúmque ſumma obſervantia ad ultimum uſque ſpiritum proſecutus, ut ex ejus teſtamento typis vulgato manifeſtum eſt. Multa quoque, ſi opus eſſet, afferri poſſent de dotibus, tum naturæ, tum gratiæ, quibus Reverendiſſimus Epiſcopus Appamienſis ornatus erat; unde meritò ab omnibus inter præſtantiſſimos Galliæ Epiſcopos ſemper habitus eſt. Quæ cùm ita ſint, quis non cum ſtomacho legat in hoc ſcripto, ambos hos Epiſcopos minus intelligentes ac peritos fuiſſe, quam ut hanc Regaliæ quæſtionem caperent, neque etiam ſatis eam examinaſſe, ut quid ſibi in hac cauſa gerendum eſſet, per ſeipſos ſtatuerent? Contrà verò hujus quæſtionis cuivis

obvia

obvia & facilis eſt intelligentia, modò eam cum aliqua diligentia, & animo à præjudicijs vacuo examinet. Duobus autem his Epiſcopis ſat erat ad eam probè intelligendam, ut quæ de hoc argumento in ultima Actorum Cleri Gallicani collectione, cujus exemplaria ad ſingulos Antiſtites paulo antea miſſa erant, perlegerent. Deinde per tempus eis licuit hanc quæſtionem excutere, & quid in hoc negotio ſibi agendum eſſet, perpendere, utpote qui non niſi anno 1675. editis contra Regaliſtas ſententijs ſuam ea de re mentem aperire cæperint, hoc eſt, biennio poſtquam Edictum Regis, cujus exempla ſtatim à Cleri Procuratoribus miſſa acceperant, promulgatum fuiſſet.

V. Quod ad Janſenianam cauſam ſpectat, quæ cum Regaliæ cauſa, etſi nihil huic cum illa commune ſit, de induſtria hìc permiſta eſt, patet id non alio conſilio factum, niſi ut Romæ, quoad fieri poſſet, horum Epiſcoporum famæ, & exiſtimationi detraheretur, eorúmque nomen in cauſa juſtiſſima & ſummo favore digna, tanquam ſuſpectum & odioſum, injecta hac criminatione, traduceretur. Ut tam fraudulento conſilio occurratur, quæ occaſione libri Cornelij Janſenij Iprenſis Epiſcopi acta ſunt, nequaquam hic refricanda exiſtimo. Id unum obſervo, Reverendiſſimos Epiſcopos Alectenſem & Appamienſem formulam à Comitijs Cleri Gallicani anno 1656. conditam admittere noluiſſe; tum quòd eam in Comitijs Cleri auctoritatem non agnoſcerent, ut formulas fidei ab omnibus Epiſcopis publicandas condere poſſent; tum quòd regium Edictum, quo ejuſdem formulæ ſubſcriptio jubebatur, graviſſimum ſpirituali Epiſcoporum auctoritati vulnus inferret, quatenus videlicet in eo cautum erat, ut ſi quis Epiſcopus hujus formulæ ſubſcriptionem exigere detrectaret, ejus Diœceſeos Clerici alijque in Edicto

nominati coram vicinioribus Magiſtratibus regijs eamdem formulam ſubſcriberent. Cæterum quod Conſtitutiones Summorum Pontificum præſcriptámque ab Alexandro VII. fidei formulam attinet, has omni, qua par eſt, obſervantia exceperunt, & in ſuis Diœceſibus ab omnibus excipi & obſervari curarunt; ut planè compertum habuit Clemens IX. Pontifex maximus, cùm ejus Sapientia & æquitate, poſt epiſtolam ſuæ Sanctitati ab undeviginti ex præſtantiſſimis Galliæ Antiſtitibus ea de re ſcriptam, tota hæc controverſia ſedata eſt, id etiam Rege Chriſtianiſſimo poſtulante & efflagitantibus præcipuis ſuæ Majeſtatis Miniſtris: quam in rem tunc non parum operæ contuliſſe Eminentiſſimum Cardinalem Eſtræum notum eſt. Idem dicendum de Ritualis Alectenſis cauſa, quam hic etiam objiciendam putavit Auctor ſcripti. Felicis memoriæ Epiſcopus Alectenſis, quam ſincerè Sedis Apoſtolicæ auctoritatem coleret, in hoc ipſo negotio ſatis teſtatus eſt; quandoquidem morti proximus, ejuſdem Sedis cenſuræ ac judicio iterum hunc librum ſubjecit, per Epiſtolam ad Sanctiſſimum Pontificem Innocentium XI. ſcriptam, in qua ſuam Beatitudinem reverenter oravit, ut librum illum denuo examinare, aut alijs ſpeciali ſuo mandato examinandum committere dignaretur.

VI. Denique ineptè obſervat Auctor Scripti, Reverendiſſimum Epiſcopum Appamienſem in Seminario ſancti Sulpitij Pariſienſis, Janſenianis, ut vocant, non parum infenſo, Eccleſiaſticis diſciplinis imbutum fuiſſe. Potuiſſet addere, Reverendiſſimum quoque Antiſtitem Alectenſem, antequam ordinatus eſſet Epiſcopus, & longo adhuc poſt tempore, cum alterius Societatis Presbyteris Pariſienſibus erga eoſdem Janſenianos male affectis, amicitia & conſuetudine conjunctum fuiſſe. At quid hæc obſervatione ſibi vult, quæ, præter

ejus

ejus ſententiam, id unum probat, hos Epiſcopos propriæ opinioni plus æquo addictos non fuiſſe, & à falſis præjudicijs, quibus fortè præoccupati erant, ubi verum cognoviſſent, facilè receſſiſſe? Cùm enim pro ſuo Epiſcopali officio ad hanc Theologorum concertationem diligentius examinandam animum adjeciſſent; ubi perſpexerunt eos, qui odioſo hoc Janſenianorum nomine afficiebantur, erroribus, quibus inſimulabantur, eſſe alienos, fidémque Catholicam, ſive in defendenda, juxta ſanctos Auguſtinum & Thomam, auxiliorum divinorum efficacitate, ſive in doctrina Morali à laxiorum Caſuiſtarum flagitijs vindicanda, ſive in alijs Eccleſiaſticæ diſciplinæ capitibus propugnandis, egregiè adjuvare, denique Eccleſiæ auctoritati inprimis obedientes, & ſubjectos eſſe; à priori opinione & præconceptis in eos ſuſpicionibus ſibi recedendum duxerunt: unde poſtmodum ea in hoc negotio geſſerunt, quæ nemini ignota ſunt, cùm hoc quidem ſtatu res eſſet, ut quantum ea agendi ratione ſibi apud nonnullos invidiæ ac moleſtiæ arceſſerent, facile eſſet animadvertere. Quo clarius eſt, eos tunc ſolius veritatis ac juſtitiæ amore impulſos, próque officij ſui fide & ſtudio placendi Deo potius quam hominibus, in tantas ſe difficultates conjeciſſe; quod utique ſemper proprium fuit ſanctorum Epiſcoporum, qui Zelo fidei & animi magnitudine hactenus in Eccleſia floruerunt. Quin & manifeſtum eſt, non alio illos ſpiritu aliíſve de cauſis, negotium Regaliæ ingreſſos eſſe, propria commoda, facultates, vitæ tranquillitatem, & quidquid illis carius fuit, libertatis Eccleſiarum ſuarum defenſioni poſtponentes: in qua difficillima cum Aula regiíſque Officialibus concertatione, poſt multos labores exantlatos, ætate & ærumnis confecti glorioſè occubuerunt: ut omnino indignum ſit hodie apud Sanctam Sedem ejuſmodi accuſationi-

bus

Digitized by Google

bus & maledictis eorum memoriam proſcindi. Qua in re tum hujus ſcripti Auctores, tum ejus diſtributores non ſatis advertiſſe videntur, ſeſe apertè contradicere, non ſolum felicis memoriæ Clementi IX. qui invidioſam illam de Janſenij doctrina controverſiam ſapientiſſimè diremit, ſed etiam Sanctiſſimo Pontifici noſtro Innocentio XI. qui hos duos Antiſtites ſua approbatione ac benevolentia digniſſimos, non ſemel ad eos perhonorificè reſcribendo declaravit. Verùm ordinaria eſt hodie, & quaſi ad manum hæc accuſatio. Ei obnoxius eſt, quiſquis laxam novorum Caſuiſtarum doctrinam non ſequitur, aut Satrapis minus placet: & ut ſedatæ jampridem Janſeniani ſenſus quæſtiones, Romæ ad obſcurandam duorum præſtantiſſimorum Antiſtitum gloriam refricantur; ita in Gallia paſſim in eos, qui Janſeniani audiunt, tota præſentis de Regalia contentionis invidia confertur, quaſi eorum conſilijs & inſtigatione duo illi Epiſcopi in hoc ſe certamen dederint; cùm tamen proprio id motu fecerint, neque antequam manum operi admoverent, Theologos illos conſuluerint, aut eorum opera uſi ſint in componendis vel retractandis ſcriptis, quæ de hoc argumento ediderunt, prout in alijs quibuſdam materijs antea feciſſe perhibentur.

EX

Digitized by Google

EX TESTAMENTO POLITICO
Armandi Richelij S. E. R. Cardinalis Gallicè ſcripto ad Ludovicum XIII. Regem Chriſtianiſſimum, hæc latinè reddita excerpſimus.

SECTIO VI. *Oſtendit, quanti ſit momenti Regalia, quam ſancta Capella Pariſienſis ſibi vindicat, ejúſque tollendæ vias ſuppeditat.*

QUantumvis Canonici ſanctæ Capellæ Pariſienſis Regaliam ab ipſo ſancto Ludovico fundatore ſuo ſibi dono collatam contendant, tamen verum eſt, hujus donationis originem non altius referendam, quam ad Carolum VII. qui primus eis fructus Epiſcopatuum vacantium, in quibus Regalia locum haberet, conceſſit, idque in tres tantum annos, quibus elapſis, tres alios, ac deinde quatuor addidit; ea ſemper conditione appoſita, ut dimidia pars pecuniæ ex ijs fructibus redactæ in Cantorum divina ibi officia celebrantium victum cultúmque cederet, altera verò pars in Capellæ ſarta tecta, feneſtrarum vitrea clauſtra, ornamenta, & nutriendos pueros Clericos choro addictos, ex præſcripto Cameræ computorum Pariſienſis, impenderetur. Hoc quippe beneficium Carolus VII. præfatis Canonicis, in locum reſiduæ pecuniæ quarumcúmque rationum à Camera exceptarum, quam olim eis Carolus V. in ſarta tecta tum Palatij, tum ſanctæ Capellæ expendendam donaverat, ſuccedere voluit.

Poſt Caroli VII. obitum Ludovicus XI. ejus filius eumdem Regaliæ uſumfructum ſanctæ Capellæ, quoad ipſe viveret, conceſſit: id quod tunc temporis tam extraordinarium viſum eſt, ut donationis litteras Camera computorum in no-

vem tantum annos ſuo decreto confirmandas judicaverit. Mortuo Ludovico, Carolus VIII. ejus ſucceſſor ac deinceps Ludovicus XII. Franciſcus I. & Henricus II. in ſuum quiſque vitæ tempus, idem beneficium in ſanctam Capellam contulerunt.

Carolus IX. ultra progreſſus, quod reges prædeceſſores ſanctæ Capellæ ad tempus conceſſerant, eidem in perpetuum conceſſit per edictum anno milleſſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto publicatum.

Laudandi ſunt illi Principes, quod quæſitum ſibi jus bono ac pio conſilio in alios tranſtulerint: at valde vituperandi ſanctæ Capellæ Canonici, quod conceſſo jure non contenti, illud ultra debitos fines producere, atque univerſos Galliæ Epiſcopatus Regaliæ ſubjicere conati ſint.

Parlamentum Pariſienſe, quod ſibi uni Regaliarum cognitionem vindicat, *ita proprij commodi ſtudio hac in cauſa occæcatum, ut ejuſmodi ſervituti etiam Epiſcopatus hac noſtra ætate coronæ adjunctos, ſubjicere non dubitarit*; imò & conceptis verbis Advocatis præceperit, ne poſthæc in dubium revocarent, quin Regalia tam latè pateret, quam ipſum regnum.

Hæc juris Eccleſiarum violatio apertior erat, quam ut diſſimulari poſſet: unde Eccleſiæ à Regalia immunes, ejurata Parlamenti juriſdictione, à Rege obtinuerunt, ut quaſcúmque ea de re lites ad ſuum Conſilium evocaret.

Hanc per totum regnum Regaliæ extenſionem nullo planè jure niti vel ex uno patet inſtrumento, cujus autographum in tabulis Cameræ computorum aſſervatum, ab Ægidio *Le Maiſtre* Proto-præſide editum eſt, in quo nominatim Epiſcopatus tum Regaliæ obnoxij, tum ab ea immunes enumerantur.

Quondam erat communis ſententia, Regaliam in ſolis provincijs citra Ligerim poſitis locum habere.

Ludovicus

Digitized by Google

Ludovicus Craſſus & Ludovicus Junior ejus filius Archiepiſcopatum Burdigalenſem ejuſque ſuffraganeos Epiſcopatus immunes à Regalia declararunt.

Raymundus Comes Toloſanus eamdem Epiſcopis Occitaniæ & Provinciæ immunitatem conceſſit, quam deinde Philippus Pulcher confirmavit. Sanctus verò Ludovicus in pactis conventis cum Petro Mauclero Britanniæ Duce initis, Regaliam in tota hac provincia Ducibus reliquit; unde liquet hanc minimè ab eo ſanctæ Capellæ in ipſa ejus fundatione donatam, ut volunt ejuſdem Capellæ canonici.

Plures alios Epiſcopatus, ut Lugdunenſem, Auguſtodunenſem, Autiſſiodorenſem multóſque alios ab ea ſervitute liberos eſſe ita certum eſt, ut id minimè in dubium revocetur.

Regiæ conſtitutiones varijs temporibus editæ clarè demonſtrant, nunquam Chriſtianiſſimis Regibus propoſitum fuiſſe Regaliam in univerſis Epiſcopatibus, ſed in aliquibus tantum exercere: id quod tam certi támque manifeſti juris eſt, ut Stephanus Paſquierius regius in Camera computorum Advocatus coactus ſit ſecus ſentientes non *tam Juris-conſultos, quam aulicos adulatores* appellare. Hanc in rem plures citantur conſtitutiones, quas inter celebris eſt illa quæ incipit: *Dum Epiſcopus alicujus Epiſcopatus, ubi Rex habet Regaliam.* Eodem modo loquuntur Philippus IV. & Philippus VI. in conſtitutionibus, quæ ab ijs dictæ ſunt Philippinæ: *In Epiſcopatibus*, inquiunt, *in quibus habemus Regaliam.* Ludovicus XII. in Edicto anni milleſimi quadringenteſimi nonageſimi noni relato apud Ægidium *Le Maiſtre* Proto-præſidem: *Inhibemus*, inquit, *ſingulis Officialibus noſtris, ne in Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Abbatias aliáve Beneficia, in quibus jus Regaliæ aut cuſtodiæ non habemus, ſe intromittant; quod ſi ſecus fecerint, tanquam ſacrilegi puniuntor.*

[*Citatur deinde ad marginem edictum ab Henrico IV. publicatum anno 1606. Itémque aliud Edictum Ludovici XIII. anno 1629. promulgatum, atque ejuſdem Regis nomine à commiſſarijs facta ad Clerum declaratio circa poſterius iſtud Edictum, de quibus vide ſupra Tract. lib. 1. cap. 19.*]

Quam modò perturbationem experiuntur Eccleſiæ, non parum auxit quorundam Epiſcoporum inſcitia vel potius ignavia, ac propriæ utilitatis ſtudium, dùm privati incommodi cauſa oblatas à Canonicis ſanctæ Capellæ acceptilationes, quaſi Regaliæ nomine pecunias eis ſolviſſent, admiſerunt: quam quidem culpam hoc leviorem fore arbitrati ſunt, quòd nulla eis ſpes obtinendæ cauſæ ſupereſſet, ſi eam apud judices, quos adverſariorum loco habebant, diſceptarent; cùm tamen ex hoc eorum facto maximum Eccleſijs damnum impendeat, niſi eorum imbecillitati atque imprudentiæ regia veſtra benignitas ſuccurrat.

Jure communi cautum eſt, ut fructus vacantis beneficij futuro ſerventur ſucceſſori: unde nemo in eis alio jure uti poteſt, niſi ex authentico titulo, qui hanc ei tribuat facultatem. At nullus ejuſmodi titulus adducitur, ex quo cum aliqua evidentia probetur, Reges de his fructibus pro ſuo libitu ſtatuere poſſe: quocirca ad conſuetudinem confugere coguntur.

Id tam exploratum eſt, ut in omnibus conſtitutionibus ea de re promulgatis, ſolam poſſeſſionem ſuam commemorent.

Verùm cùm pronum ſit, Principes multa ſibi contra jus, varijs coloribus quæſitis, tribuere, proindéque quod initio ab eis per vim ac præter juſtitiam introductum eſt, ſucceſſu temporis, ob continuatam poſſeſſionem, tanquam legitimum haberi incipiat, meritò dubitari poſſet, an in regibus ac ſupremis dominis ſola poſſeſſio, aut conſuetudo vim tituli authentici obtineat.

Cæterum

Cæterum cùm de juribus Veſtræ Majeſtatis diſputare nequaquam velim, ſed ſolum eorum moderationem ita ſuadere, ut nullum ex ijs animarum ſaluti detrimentum inferatur, Regaliæ ortum ac fundamenta, quæ hic pro firmis & validis habere libet, diligentius examinare ſuperſedeo. Quippe non aliud mihi propoſitum eſt, niſi oſtendere, quid ſanctæ Capellæ à Prædeceſſoribus veſtris conceſſum fuerit, & qua ratione providendum, ne hac regia liberalitate in damnum Eccleſiarum abuti pergat.

[*Proponit deinde idem Cardinalis, ut ad tollendum hunc abuſum, & Epiſcopis ſubveniendum, qui in adeundo Epiſcopali munere, tum ſolvendis Romæ annatis, tum alijs neceſſarijs ſumptibus magnum ſæpe æs alienum contrahunt, Abbatia aliqua Capellæ ſanctæ loco Regaliarum aſſignetur, ratione habita ejus reditus, quem ex Regalijs tempore donationis à Carolo IX. facta percipiebat, quò fructus Eccleſiarum vacantium ſucceſſoribus Epiſcopis, prout canones præcipiunt, relinquantur. Huic conſilio paruit Ludovicus XIII. adjuncta ſanctæ Capellæ ex auctoritate Romani Pontificis Abbatia ſancti Nicaſij Remenſis, ut habetur in ejus conſtitutione, de qua Tract. lib. 1. c. 19.*

Cæterum ut curta eſt omnis humana providentia, & errori obnoxia, quod conſilium à ſolertiſſimo viro ad Eccleſiarum utilitatem datum eſt, ſummo illis poſtea damno fuit. Poſtquam enim Rex ad ſe Regaliam recepit, nova ſpe ducti ſunt regij Officiales, fore ut per totum regnum facilius extenderetur, neque ante ab inceptis deſtiterunt, quam publico Edicto Ludovicus XIV. eam extenſionem confirmaret.]

DE DISSERTATIONE

R. P. F. Natalis Alexandri Ordinis Prædicatorum ad canonem XII. Concilij Lugdunenſis II. Generalis, quæ habetur inter ejus ſelecta Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capita ad ſæculum 13. & 14. Parte III. tom. XXII.

I. POſtquam Diſſertationem R.P. Natalis Alexandri de Jure Regaliæ ad can. XII. Concilij Lugdunenſis II. generalis diligenter evolvi, vix aliud animo occurrit, niſi eum potius in illa cauſidici, quem quis ad injuſtam litem defendendam ampla mercede conduxiſſet, quam Theologi in graviſſima Eccleſiæ cauſa, quid verum juſtúmque ſit, inveſtigantis, partes agere. Quin & facile eſt ſuſpicari, non aliam hic operam ab eo collatam eſſe, niſi ut ea, quæ à quibuſdam Advocatis & Officialibus regijs, in extenſionis Regaliæ patrocinium, hinc inde collecta erant, latinè redderet, ſuóque nomine in Eccleſiaſtico opere evulgaret: cùm alioquin veriſimile non ſit, virum Theologum & Religioſum propria ſponte eò proceſſurum fuiſſe, ut in hoc argumento tot propoſitiones, quarum falſitatem ipſi etiam Epiſcopi paulo ante regio juſſu, Pariſijs congregati, agnoverant, in medium proferret ac defendendas ſuſciperet.

II. Harum autem propoſitionum ſumma huc redit.

1. Regaliam regium jus eſſe, Francicæ Monarchiæ coævum, Chriſtianiſſimis regibus jam inde à temporibus Clodovæi perpetua & conſtanti poſſeſſione quæſitum.

2. Collationes Beneficiorum, quæ ob Regaliam pleno jure fiunt, citra ullam Eccleſiæ conceſſionem, ad reges Chriſtianiſſimos pertinere.

3. Ad regem regióſque Officiales omnium Regaliæ cauſarum

ſarum cognitionem ſpectare, etiam ubi de Regalia ad Eccleſias antea liberas extendenda agitur.

III. In confirmanda prima propoſitione P. Alexander lectori apertè illudit, dum ea omnia, quæ regibus eorúmque miniſtris introducendæ Regaliæ anſam occaſionémque præbuerunt, pro ipſamet Regalia ſumit. Itaque poſtquam ſtatuit, reges Chriſtianiſſimos, duplici potiſſimum nomine, videlicet, tum ut Eccleſiarum cuſtodes ac defenſores, tum ut ſupremos feudorum dominos Regaliam ſibi vindicare, in prioris illius tituli confirmationem id unum agit, ut collectis hinc inde teſtimonijs probet, reges Chriſtianiſſimos Eccleſiarum regni ſui, præſertim quamdiu paſtoribus orbatæ ſunt, cuſtodiam & defenſionem ſuſcepiſſe, atque id muneris etiam ſub prima & ſecunda dynaſtia, conſentientibus imo & exhortantibus Epiſcopis, exercuiſſe; ut inde concludat, Regaliæ jam tum fuiſſe locum. Quod quam vanum ſit, nemo non videt, cùm cuſtodis, & defenſoris Eccleſiarum proprium munus fuerit, earum fundos, jura & facultates, quocúmque tempore, maximè verò dum ſedes vacaret, adverſus iniquorum vim tueri, atque adeò curare, ut redditus eo temporis intervallo provenientes, futuris ſucceſſoribus, juxta Eccleſiaſticam regulam, ſervarentur: Regaliæ autem jus in eo poſitum ſit, ut Reges univerſos vacantium Eccleſiarum redditus ſuos faciant, ijſque haud ſecus ac reliquis dominij ſui fructibus utantur, aut ſaltem uti poſſint.

IV. Præterea manifeſtum eſt, reges in tuendis Eccleſiarum bonis, & facultatibus, non tam privato cuſtodum ſeu defenſorum, quam publico Principum officio fungi, cùm ad hoc primum reges conſtitui videantur, ut per eos juſtitia inter ſubditos regnet, & ſuum cuique habere liceat, quo maximè publica pax continetur.

V. Adde

V. Adde hunc cuſtodis ac defenſoris Eccleſiarum titulum nulli Chriſtiano Principi non convenire: unde ex P. Alexandro concludendum eſſet, jam olim quoslibet reges Chriſtianos in ſuarum ditionum Eccleſijs Regaliam exercuiſſe, atque etiamnum poſſe exercere; etſi alibi ſolis regibus Chriſtianiſſimis id juris tribuat, atque jam initio Monarchiæ in Gallia locum habuiſſe contendat.

VI. Neque ille aptiora aut magis inter ſe cohærentia de altero Regaliæ titulo, videlicet feudorum jure profert. Fusè probat, Eccleſias ſub prima & ſecunda regum dynaſtia poſſediſſe feuda, ut inde inferat, jam tum eos Regalia potitos eſſe. Cùm autem plerúmque Eccleſiæ, præter feuda, alios etiam fundos, aliáque prædia habeant, quæ adjunctis decimis, primitijs cæteriſque oblationibus majorem redditųum Epiſcopalium partem, aut etiam alibi fere totam conſtituunt; ut huic incommodo occurrat, fingit univerſa illa bona, ne exceptis quidem decimis alijſque oblationibus, quas fideles in templorum cultum ſacrorúmque miniſtrorum ſtipendium Deo dicant, nobilia fieri, & ad feudorum conditionem evehi, non quò ſic nobilitata ſanctiora evadant, magiſque in tuto ſint, ſed ut Laicorum Principum, quamdiu Sedes Epiſcopalis vacat, dominio mancipentur, quo nihil iniquius, aut abſurdius excogitari poteſt.

VII. Deinde ſtudiosè diſſimulat, diſtinguendas eſſe cum Illuſtriſſimo Domino Petro de Marca, Provincias *juris conſuetudinarÿ*, in quibus olim Dominus, mortuo vaſallo, feudi fructus interim capiebat, donec novus vaſallus, accepta inveſtitura, fidem ei hominiúmque præſtitiſſet, cui juri deinde ſucceſſit jus *Relevÿ*, quod etiamnum in pleriſque illis Conſuetudinibus, locum habet; & Provincias juris, ut vocant, *Scripti*, in quibus Dominus, poſt mortem vaſalli, feudo non

potiebatur,

potiebatur, unde factum eſt, ut hucuſque in ijs jus Relevij incognitum ſit: qua ex diſtinctione eruditiſſimus Præſul cauſam afferri poſſe exiſtimat, cur primùm Regalia in illas Provincias, non autem in has introducta fuerit.

VIII. Neque etiam advertere voluit Auctor Diſſertationis, jampridem Clerum Gallicanum, ob decumas, quas regio fiſco pendit, omnibus ſervitijs & oneribus, quæ ab eo ratione feudorum exigi poſſent, eſſe liberatum, ut conceptis verbis cavetur in contractibus, quos ſingulis quinquennijs in Comitijs generalibus cum regis Procuratoribus inire ſolet.

IX. Poſtremò cùm Eccleſiæ jampridem in alijs etiam regnis & provincijs, præſertim verò in Anglia varia feuda ex Principum munificentia obtinuerint, ſequeretur, Regaliam olim cum feudis in eas introductam fuiſſe; quod tamen negat P. Alexander, id regum Chriſtianiſſimorum proprium peculiare eſſe contendens, qui hoc jure nunquam non potiti ſint; cùm in Anglia non ante undecimum ſæculum, Guillelmo Notho ac Guillelmo ſecundo regibus, uſurpatum fateatur.

X. Non erit abs re hic obiter refutare aliam falſam nonnullorum Scriptorum ſumptionem, qua ponunt Reges Franciæ jam à principio habuiſſe dominium pl[illegible], tam directum quam utile bonorum omnium [illegible] nobilium ſive ignobilium in Gallijs, ut inde concludant, nequaquam mirandum eſſe, ſi peculiaria jura, etiam in Eccleſiarum facultates, ſibi vindicent. Hanc rationem reperi in Scriptura celebris Canoniſtæ, cujus nomini ac purpuræ parco. *Cùm gens Francorum*, inquit, *ſub Pharamundo eorum duce ſeu primo rege expulſis Romanis dominantibus, aliquas Galliarum provincias vel regiones vi bellica occupaſſet, illúdque obtinuiſſet dominium, quod præbet jus belli, eodem modo quo Romani expulſi occupaverant*

& obtinuerant: uſus inolevit, ut hoc dominium non eſſet ſolum juriſdictionale & ſimpliciter territoriale, ſed eſſet plenum tam directum, quam utilitarium omnium bonorum, tam nobilium & jurisdictionalium conſiſtentium in civitatibus, oppidis & villis vel caſtris, ſed etiam ignobilium & de ſui natura privatorum, conſiſtentium in prædijs, campis, ſylvis, foreſtis alijſque ſimilibus, quorum omnium dominium directum eſt penes regem, penes autem privatos incolas & poſſeſſores ex titulo, vel jure feudi, ſive emphyteuſis, aut perpetuæ coloniæ, eſt dominium utile & ſubalternum, cum obligatione alicujus ſervitij vel alicujus præſtationis erga regem in recognitionem directi dominij. Eadem doctrina, diverſa licet occaſione, traditur à Leonardo Duardo in Commentarijs ad Bullam Pauli V. lectam in die Cœnæ Domini can. 15. q. 19. n. 73. his verbis: *Nec ex eo, quòd in Gallia Eccleſiæ non poſſunt ædificari citra regis conſenſum, ſequitur quòd alij Principes ſimiliter id ſancire poſſint; quia in Gallia Rex habet directum dominium ſuper omnia ſtabilia illius regni: quapropter non modo eſt Princeps, ſed etiam privatus dominus feudorum, & ideo cùm illorum dominium habeat, poteſt de illis ad ſui libitum diſponere, cùm quilibet rei ſuæ ſit moderator & arbiter.*

Ignoſcendum exteris Scriptoribus, quod de rebus Galliæ parum accuratè loquantur. Nam 1. falſum eſt & inauditum apud rerum Francicarum hiſtoricos, Pharamundum alióſque prioris ilius ævi reges ita Galliarum terras ſubegiſſe, ut omnes antiquos poſſeſſores earum proprietate exturbarint, conceſſo eis poſtea ſolo utili dominio, novóque jure inducto poſſidendis quibuslibet prædijs legibus Romanis penitus incognito: quaſi verò jam tum univerſa Galliæ bona feudalia, aut feudorum conditionibus obnoxia evaſerint: cùm tamen ex hiſtoria certum ſit, totam illam feudalium bonorum rationem, quæ in multis Galliæ provincijs recepta

eſt,

eſt, non niſi circa finem ſecundæ dynaſtiæ, hoc eſt exeunte nono ſæculo conſtitutam fuiſſe. Deinde pro varijs regionibus varia etiam fuit feudorum aliorúmque bonorum conditio, ut patet ex varijs legibus & conſuetudinibus, quæ hodie circa feuda & bona allodialia vel plebeia obſervantur. Non enim in quibuslibet provincijs receptum eſt, ut nulla terra à feudorum lege libera, ſeu ut loquuntur, *ſine domino*, cenſeatur: imò plures ſunt etiam ex ijs, quæ jure conſuetudinario reguntur, in quibus prædia optimo jure poſſidentur, & à quocúmque ſervitio habentur immunia, niſi contrarium ex actis & titulis probetur, quæ quidem *provinciæ liberi allodij* vocantur: quo etiam jure utuntur omnes provinciæ *juris ſcripti*, ſeu Romani civilis, quales ſunt Occitania, Provincia, Delphinatus aliæque vicinæ, quæ fere dimidiam regni partem conſtituunt, ut conſtat ex varijs autoribus, qui de hoc argumento tractatus ediderunt, & publica judiciorum auctoritate in Parlamentis alijſque tribunalibus earum provinciarum quotidie confirmatur. Poſtremò præcipuum, & quod magis ad rem facit, provinciarum Galliæ diſcrimen, illud eſt, à nobis paulo ante memoratum, quòd in pleríſque provincijs juris conſuetudinarij, ut Normania, Picardia, Campania alijſque vicinioribus jus *Relevij* circa feuda locum habeat; in provincijs verò juris ſcripti, hoc eſt Occitania alijſque finitimis, prorſus ignoretur; quæ quidem differentia, etſi alia deeſſent argumenta, ad evertendam ſupradicti ſcriptoris pro Regalia ratiocinationem ſufficeret.

XI. Altera Patris Alexandri propoſitio, videlicet Beneficiorum collationes, quæ ob Regaliam pleno jure fiunt, citra ullam Eccleſiæ conceſſionem Chriſtianiſſimis regibus competere, vel hoc ipſo falſa eſſe convincitur, quòd apertè repugnet declarationi Epiſcoporum, qui anno milleſimo ſex-

Digitized by Google

centeſimo octuageſimo ſecundo Lutetiæ convenerunt, ut in eorum actis refertur. *Semper*, inquiunt, *nobis perſuaſum fuit, jus Regaliæ eſſe ſervitutem, quæ maximè quod ſpectat ad collationem Beneficiorum, nunquam niſi ab Eccleſia, aut ejus conſenſu introduci potuit.*

XII. Eam Diſſertator probare conatur hoc vulgari Canoniſtarum axiomate: *Collationes Beneficiorum computantur in fructu.* At eum minimè fugit, primos hujus axiomatis auctores idcirco illud protuliſſe, ut ſede Epiſcopali vacante, Capitula à Beneficiorum collationibus arcerent, eáſque futuris Epiſcopis reſervarent, ut latè explicatur in Gloſſa *ad c. cum olim. de Majoritate & obed.* Unde nihil à canonica ratione alienius, quam ut hoc eodem effato quis utatur ad ejuſmodi collationes in Reges conferendas.

XIII. Deinde eamdem propoſitionem confirmat Auctoritate Joannis Pariſienſis Ordinis Prædicatorum Theologi, quem ſibi ad imitandum videtur propoſuiſſe. Is famoſo illo tractatu de Poteſtate Regia & Papali, quem pro Philippo Pulchro contra Bonifacium VIII. ſcripſit, haud veritus eſt docere, collationem Beneficiorum non eſſe rem propriè ſpiritualem, ſed tantum ſpirituali annexam per antecedentiam, ut ipſe loquitur, quatenus videlicet ex collatione Beneficij ſequitur jus celebrandi divina officia in aliqua Eccleſia, aliáque munia ſpiritualia obeundi. Quæ quidem doctrina hic à P. Alexandro adoptata apertè Simoniæ favet, Beneficijſque pretio addicendis viam ſternit. Quanquam fortaſſis cùm primùm Regalia ad Beneficiorum collationes extenſa eſt, hæc explicatio aliquatenus defendi potuiſſet, quòd tum Reges collatione Præbendarum in Eccleſijs Cathedralibus contenti, Clericos ad vacantes Præbendas, id eſt, portiones fructuum ſingulis canonicatibus aſſignatas nominarent, quos deinde Capitulum

Capitulum ipſum admittebat, atque inſtallabat, eóque ipſo canonicam eis inſtitutionem, & ad obeunda ſpiritualia officia poteſtatem conferebat. At poſtquam, ſuccedente tempore, non ſolum Canonicatus, & Dignitates tam in Eccleſijs Cathedralibus, quam in Collegialibus, verum etiam in tota Diœceſi Prioratus, Capellanias, omnia denique Beneficia præter Parochias, conferre cœperunt, idque ea auctoritate ac prærogativa, quæ Epiſcoporum, imò & Summi Pontificis in conferendis Beneficijs jus poteſtatémque ſuperet; qui jam ejuſmodi collationes non eſſe rem propriè ſpiritualem, ſed ſolum per antecedentiam aſſerat, quæ Regi citra ullam Eccleſiæ conceſſionem poſſit competere, vix graviſſimi erroris notam ac hierarchiæ haud mediocriter violatæ crimen effugiat.

XIV. Quapropter plerique Juriſconſulti Galli, ut Aufrerius, Chaſſaneus, de Graſſalio, Choppinus, relicta hac Joannis Pariſienſis doctrina tanquam futili & falſa, aliam inierunt viam ad ejuſmodi Beneficiorum collationes defendendas. Siquidem eas ex Apoſtolico privilegio, adeóque ipſius Eccleſiæ conceſſione, quam vetuſtus & conſtans earum uſus argueret, proficiſci docuerunt. At hæc ſententia Patri Alexandro minimè placuit. Probè enim vidit, ei locum non eſſe in Eccleſijs Occitaniæ, aliarúmque provinciarum, ad quas regio Edicto producta eſt Regalia, & in quibus conſtat Reges nullam conferendorum Beneficiorum poſſeſſionem habuiſſe. Unde ad illam Joannis Pariſienſis doctrinam, etſi erroribus implicatam, & ab ipſis Epiſcopis Lutetiæ congregatis nuper damnatam confugere coactus eſt.

XV. Tertia propoſitio, quæ omnium Regaliæ cauſarum cognitionem Regi ac regijs Magiſtratibus tribuit, captioſa eſt, & falſa ratiocinatione nititur. Satis enim putavit P. Alexander, oſtendere Regaliam, ſi ejus ortum attendas, rem eſſe

 feudalem

feudalem, ut inde inferret ſolum Regem ejuſque Curiam de ea cognoſcere. Huc redit longa multorum ejus paragraphorum diſputatio. At ignorare non potuit, Regaliam, quæ primùm ſolis feudis continebatur, poſtea ad alia quæcúmque Eccleſiarum bona, etiam ad decimas, primitias & oblationes, quibus nihil cum feudis commune, imò ad Beneficiorum collationes pleno jure eſſe prolatam. Cùm itaque ratio & æquitas poſtulet, ut ſi quis de re præſertim civili & morali velit decernere, non ea ſolum ſpectet, quæ ejus ortus cauſam vel occaſionem præbuerunt, aut aliquam tantum partem eámque minus principalem, ſed ut totum quod ipſa eſt, præcipuáſque partes, quibus præſens ejus ſtatus conſtituitur, conſideret; quis æquo animo ferat, Diſſertatorem aliam omnino hic rationem inire, ijſque omnibus omiſſis, ex quibus nunc maximè jus Regaliæ conflatur, ſola feuda attendere?

XVI. Neque verò magis urget altera ejus ratiocinatio, qua probare nititur, cùm Parlamenti Pariſienſis ſit de ſingulis Regaliæ controverſijs, etiam in prima, ut vocant, inſtantia, cognoſcere, ad ejus quoque juriſdictionem ſpectaſſe, ut Regaliam in univerſas Regni Eccleſias extenderet. Aliud eſt enim de privatis litibus circa Regaliæ exercitium, in locis ubi ex antiqua conſuetudine recepta eſt, jus dicere; aliud Regaliam ipſam declarare univerſalem, hoc eſt ad dimidiam fere regni partem, quæ nunquam ei obnoxia fuerat, proferre; quam auctoritatem privato Arreſto ſibi Parlamentum arrogavit contra expreſſa Chriſtianiſſimorum Regum edicta, præſertimque Edictum Henrici IV. duobus ante annis promulgatum, & ab ipſo Parlamento in tabulas relatum. Prius ab Eccleſia toleratum eſt, etiam ubi de collationibus Beneficiorum agitur, tametſi id nunquam expreſsè probaverit. At poſterius omni prorſus ratione caret, nec niſi uſurpata juriſdictione

dictione, & contra Eccleſiæ jus ac libertatem tentari potuit. Quapropter huic Arreſto ſtatim Clerus Gallicanus reclamavit, querelis ad Henricum regem delatis, qui rei cognitione Parlamento interdicta, totum ad ſe negotium evocavit.

XVII. Jam verò nihil æquè hic P. Alexandrum moleſtum impeditúmque habet, ac decretum Concilij Lugdunenſis generalis, quo vetatur, ne quis Regaliam de novo uſurpet, aut ea, in locis ubi jam recepta erat, abutatur. Quis enim poſt tam ſolemne decretum aſſerere audeat, ad ſolum regem regióſque Officiales Regaliæ cognitionem ſpectare, aut etiam eorum auctoritate ad Eccleſias ab ea liberas extendi potuiſſe? Ad hunc ſcopulum adverſariorum navis affligitur. Nec eos quidquam juvare poſſunt nonnulla Gloſſæ verba, quibus in dubium revocari videtur, an iſtud decretum de Regalia interpretandum ſit. Hanc enim dubitationem ſequentia Gloſſæ verba ſtatim tollunt. Deinde tum ex ipſo textu decreti, tum ex teſtimonio Guillelmi Durandi Mimatenſis Epiſcopi, qui Concilio interfuit, ejuſque canonibus componendis operam adhibuiſſe creditur, cæterorúmque Interpretum conſenſu, adeò clarum eſt in eo agi de Regalia, quæ jam tum in aliquibus Eccleſijs, Galliæ præſertim & Angliæ inoleverat, ut qui ſecus ſentiat, non tam argumentis confutandus, quam ſibilis excipiendus videatur. Quid igitur conſilij capient regij Officiales in has compulſi anguſtias? En præſto eſt opportunè eorum Advocatus. Negandum, inquit, reges hoc decreto comprehendi, cùm in eo expreſsè non nominentur, & audacter dicendum, illam de non uſurpanda Regalia legem ſolos duces alióſque privatos dynaſtas ac viros nobiles ſpectare.

XVIII. Atqui, reponent libertatis Eccleſiarum defenſores, Regalia, ut vos ipſi ſæpe aſſeritis, jus eſt merè regium, quod

quod Ducibus aliįsque Dynaſtis niſi ex peculiari regum conceſſione, communicari nunquam potuit. Cùm itaque Concilium his verbis ſtatuit: *Generali conſtitutione ſancimus univerſos & ſingulos, qui Regalia, cuſtodiam ſive gardiam, Advocationis ſeu Defenſionis titulum in Eccleſiis, Monaſteriis ſeu quibuslibet aliis locis de novo uſurpare conantes, &c.* Quis unquam dubitet, quin *Regalia* vocabulo jus ad Reges ac ſupremos Principes potiſſimum ſpectans deſignarit?

XIX. Deinde ſupra laudatus Durandus, in Commentario ad hujus Concilij Canones edito, diſertè ait, quòd *Regalia hic vocantur jura Regi, in quibuſdam Eccleſiis & Monaſteriis competentia, quia videlicet illis vacantibus Rex ſub prætextu cuſtodiæ facit fructus ſuos, & etiam in quibuſdam Præbendas confert, ſicut patet in quibuſdam Eccleſiis Franciæ.* Quibus addit, *præſentem conſtitutionem fuiſſe ad clamorem Prælatorum Franciæ & Angliæ promulgatam,* qui ſcilicet apud Concilium graviter conqueſti eſſent, tum quòd regij Miniſtri jus iſtud ad Eccleſias ab eo liberas, proferre niterentur, tum quòd circa ejus exercitium in locis ubi jamdiu receptum erat, multa præter modum in detrimentum Eccleſiarum committerent. Denique ad hæc verba decreti: *Quantacúmque dignitatis honore præfulgeant*, omne prorſus effugium intercludit: *ſive regiæ*, inquit, *ſive comitativæ, vel cujuſcumque alterius, quia reatus hominum honorem excludit.*

XX. Idem planè declarant Archidiaconus Joannes Andreas & Joannes Monachi Cardinalis in gloſſis ad hunc locum: *Regalia, id eſt, quæ capiunt Reges vacante Eccleſia, ut patet in regno Franciæ & Angliæ. Nam illic vocantur Regalia jura Regi in quibuſdam Eccleſiis vacantibus competentia.*

XXI. Poſtremò Edicta Chriſtianiſſimorum Regum, quæ de Regalia paulo poſt hanc Concilij Lugdunenſis conſtitutionem

tionem, ac deinceps promulgata ſunt, monumenta Cameræ computorum Pariſienſis, variáque Parlamenti Pariſienſis Arreſta per trecentos amplius annos lata, manifeſtè probant id juris locum obtinuiſſe tantum in certis quibuſdam Eccleſijs, ijs videlicet, in quibus, juxta definitionem Concilij, ex antiqua conſuetudine jam introductum erat.

XXII. Utut hæc ſint, ajunt regij Officiales eorúmque Advocatus: neque enim hæc, quæ in facto poſita ſunt, inficiari poſſumus; tamen ne nos Regi fucum feciſſe fateamur, quando ei ſuaſimus, ut Regaliam propria auctoritate, & inconſulta, vel etiam renitente Eccleſia, per totum regnum dilataret, potius aſſeremus Legatos Philippi Regis aliorúmque Principum in Concilio Lugdunenſi peſſimè ſe geſſiſſe, qui Patribus hujus rei cognitionem permiſerint, ejuſque non intercesſerint decreto: cæteros quóque Chriſtianiſſimos reges eorúmque Miniſtros & Conſiliarios, ipſóſque Parlamenti Pariſienſis Officiales, qui trecentos amplius annos huic decreto parendum putarunt, graviter erraſſe, nec ſatis jura regis in hoc negotio habuiſſe perſpecta. Deinde verò, cùm jura regia nulli alienationi, aut præſcriptioni ſubjaceant, quæ regula nobis certiſſima eſt, ac pro ſtatus publici fundamento, contendemus Regem, ſimul ac jus ſuum melius cognitum, atque exploratum habuit, ritè edixiſſe, Regaliæ in univerſis regni Eccleſijs locum eſſe, abrogatis etiam privilegijs, quibus nonnullæ hujus oneris immunitatem obtinuerant, quantumvis antiqua eſſent ejuſmodi privilegia, & longo uſu ac perpetua poſſeſſione confirmata.

XXIII. Sin verò quis objiciat, id videri pugnare cum ſolemni jurejurando, quo Rex in ipſa inauguratione Epiſcopis eorúmque Eccleſijs *canonicum privilegium debitámque legem ac juſtitiam* ſervaturum ſe promiſit; faciléque inde conſecuturum,

 rum,

rum, ut ſimili ratione penes eum eſſet, ampliſſima feuda, fundos aliáque bona à regibus jam à temporibus Clodovei in Eccleſias collata ad ſe recipere, atque ad dominium ſuum revocare; fidenter reſpondebunt, his ſe objectionibus & conſequentijs minimè moveri, dummodo huic quæſtioni tenebras offundant, & quod ipſis auctoribus à rege factum eſt, quacúmque ratione tueantur. Certè ſi ſincerè & ex animo velint loqui, ita neceſſe eſt eos ad objecta reſpondere.

XXIV. Hæc eadem immoderata augendorum regiæ coronæ jurium cupiditas, vel potius turpis aſſentatio ſæpe eos obcæcat, ut contrarias aut parum cohærentes in hac materia ſententias proferant. Verbi gratiâ, poſtquam ut inconcuſſum axioma ſtatuerunt, jura coronæ nulli alienationi, aut præſcriptioni ſubjacere, quo Edictum regis de extendenda ad univerſas Eccleſias Regalia tueantur, ſtatim ſummis laudibus ejus benignitatem extollunt, quod altero Edicto menſe Januario anni milleſimi ſexcenteſimi octuageſimi ſecundi publicato nonnulla circa Regaliæ uſum ad Epiſcoporum poſtulationem remiſerit, quibus certum ſit reges prædeceſſores ipſúmque ſanctum Ludovicum potitos fuiſſe; quaſi verò jam eis exciderit, ea omnia quæ ad coronæ jura, maximè verò ad Regaliam pertinent, nunquam alienari, aut præſcriptione amitti poſſe?

XXV. Similiter regem valde commendant, quòd ultro agnoverit, Regaliam ſibi in Abbatias non competere, & Parochias à collationibus, quæ ob Regaliam fiunt, eſſe immunes. At quid hoc Eccleſiam juvat, ſi ſemel admittas, Regaliam, ut eximium ac præcellens jus coronæ, cum ſingulis ſuis dignitatibus, & prærogativis, alienationi aut præſcriptioni non ſubeſſe? Quid enim obſtabit, quominus aliquando Rex ipſe aut aliquis ex ejus ſucceſſoribus, illam ad omnes Abbatias,

tias, quarum olim nonnullæ huic oneri ſubjacuerunt, imò & ad Conventuales Prioratus, aliáque inſignia Beneficia extendat? Quis etiam præſtabit Parochias à collationibus regijs ſemper exemtas fore, cùm etiam hodie non deſint, qui editis libris eas huic jugo ſubjicere tentaverint? id quod jam regijs Miniſtris non adeò difficile videri poterit, ſi nominati à rege, ad obtinendam à Vicarijs generalibus Capituli miſſionem canonicam atque inſtitutionem adſtringantur, uti ſanctiſſimo Regis Edicto (ita illud vocat P. Alexander) anno 1682. publicato circa Decanos, Archidiaconos, Canonicos Theologales alióſque Beneficiarios, qui jurisdictionem, aut munia ſpiritualia exercent, præſcriptum eſt. Certè has in Eccleſiam molitiones aliáſque ſimiles eadem prorſus ratione defendere poterunt, ac hodie extenſionem Regaliæ in omnes Eccleſias Cathedrales defendunt. Quis enim eos prohiberet dicere, cùm de jure coronæ agatur, ejus rei cognitionem ad regem regióſque Officiales ſpectare, contrariáſque ſuperiorum regum declarationes non ultra eorum vitam valuiſſe, neque reges ligare ſucceſſores? Quorſum hæc evadant, facile eſt proſpicere, quæ ſi ſemel admittas, latum regijs Officialibus aditum ad evertendam Eccleſiæ libertatem, ejuſque bona uſurpanda, aperueris.

XXVI. Hæc ſufficiat breviter ad P. Alexandri de Regalia Diſſertationem annotaſſe, quam ſi quis diligenter & animo præjudicijs libero expenderit, facile agnoſcet, eum cauſæ, quam defendendam ſuſcepit, nihil ponderis aut momenti addidiſſe; multum verò proprio nomini atque exiſtimationi apud bonos omnes detraxiſſe.

ANIMADVERSIONES

In Tractatum ſingularem de Regalijs, ſeu de iuribus Regis in Beneficia Eccleſiaſtica, Gallicè editum à Franciſco Pinſſon Advocato Pariſienſi anno 1688.

I. CUm inter Advocatos Pariſienſes Franciſcus *Pinſſon* Juri canonico, & rei Beneficiariæ maximè animum adjecerit, vixque alius noſtrâ ætate plures de hoc argumento libros ediderit, facilè omnes ſperabant, fore ut in hac Regaliæ quæſtione tot jam diſputationibus ventilata, nihil eſſet niſi ſolidum ac ſumma cura elaboratum allaturus; præſertim in Tractatu quem & Regi inſcripſit, & *Singularem*, hoc eſt, omnium, qui hactenus in lucem prodierunt, præſtantiſſimum, nuncupavit. At mirum quantum ea in re omnium expectationem fefellit. Vix enim aliud apud illum in hac materia reperias, quam propoſitiones falſas ac vanas ratiocinationes, quibus tota ejus diſputatio nititur: imò & ſæpe in apertam dictorum labitur repugnantiam, hoc uno ſibi conſtans, quod regias Beneficiorum Eccleſiaſticorum collationes, nulla æqui ac juſti ratione habita, ſed ſolo placendi Aulæ deſiderio, magis magiſque ſtudeat dilatare.

II. Omitto ea, quæ ſpectant nominationes regias ad Epiſcopatus aliáque Beneficia ex vi Concordatorum, jus Patronatus in ſanctas Capellas aliáſve Eccleſias à regibus fundatas, Indulta aliáque ſimilia jura, quæ generali Regaliarum nomine comprehendit, in quibus paſſim ardentiſſimum hoc ſuum dilatandi regias collationes ſtudium prodit. Ea ſolum mihi propoſitum eſt expendere, quæ attinent ad *Regaliam* propriè dictam, quod argumentum ita tractat, ut non tantum in confirmanda Regaliæ per totum regnum extenſione,

verùm

verùm etiam in augenda vi & multiplicandis effectibus nemini concedere velle videatur.

III. Id patet vel ex una *Diſſertatione hiſtorica*, quam anno milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo ſecundo ante promulgationem regij edicti de uſu Regaliæ elucubratam, nunc demum edidit hujus Operis tom. 2. pag. 396. In hac quippe Diſſertatione, jam univerſis Epiſcopatibus Regaliæ jugo per Declarationes regias ſubjectis, duo ſuſcipit probanda: Alterum, in Abbatias, Prioratus Conventuales aliáque inſignia Beneficia eam extendi oportere: Alterum verò, Parochias, haud ſecus ac reliqua Beneficia, à rege conferri poſſe, hoc ſolum adhibito temperamento, ut regiæ collationi *inſtitutio auctoriſabilis*, ſeu miſſio canonica Vicariorum Capituli, aut aliorum Eccleſiæ Præſulum accedat. Quod utrúmque caput, cùm hactenus inauditum eſſet, atque ipſi Pariſienſis Parlamenti, tam veteri quam novæ jurisprudentiæ contrarium, in regio Conſilio minimè probatum eſt, ut conjicere licet ex Edicto paulo poſt publicato, in quo altum ea de re ſilentium: de quibus videri poſſunt, quæ dicta ſunt in Tractatu generali lib. IV. c. 6. & ſupra in Appendice contra P. Alexandrum pag. 374.

IV. Veniendum ad propriam ac principalem hujus loci quæſtionem, quæ eſt de extenſione Regaliæ in univerſas regni Eccleſias; cui adjungitur altera minus principalis de collationibus Beneficiorum pleno jure. Utrumque hoc caput Pinſſonius tractat tum in Præfatione hiſtorica Operis, tum in quinque primis capitulis prioris tomi, quibus addenda, quæ poſteriore tomo exhibet in recenſione documentorum à pag. 345. uſque ad pag. 516. Nihil quidem ille in tam longa diſputatione affert, quod in Tractatu generali alijſque ſcriptis pro defenſione juris Eccleſiæ hactenus publicatis non fuerit confutatum. Id unum ſingulare ac proprium habet, quòd ſcripta

illa omnia diſſimulans, ſat habuerit eorum Auctores, etſi illi incognitos, injurijs onerare, eos *publicos jurium regiorum hoſtes* paſſim appellans: deinde verò, quaſi hic convitijs non rationibus res ageretur, incredibili confidentia ea omnia iterum, tanquam certa & inconcuſſa, profert, quæ funditus in eiſdem ſcriptis everſa ſunt, res clariſſimas, atque in omnium oculis poſitas falſiſſimis explicationibus & cavillis obſcurat, multa denique non cohærentia & erroris ac fallaciæ plena, nullo veri ac honeſti ſtudio, effundit.

V. Hæc breviter oſtendere ſufficiet, ne alibi ſæpe dicta uſque ad nauſeam repetantur: ejus autem verba latinè reddita ut plurimum afferam, ne quis me illum calumniari, aut ejus rationibus, quo nullius ponderis, vel etiam riſu dignæ appareant, aliquid detraxiſſe aut addidiſſe exiſtimet.

VI. Quod ſpectat ad Regaliæ extenſionem, quæ eſt præcipuum ac fere unicum totius controverſiæ caput, probè animadvertit Pinſſonius, nihil æquè univerſalis Regaliæ patronis officere, ac decretum Concilij Lugdunenſis. Itaque ut aliquid novi in hac parte, pro ſuo ſingulari in Regaliam ſtudio, præſtaret, non ſatis duxit negare eam fuiſſe Concilij auctoritatem, ut regio juri certos aliquos limites præſcriberet; vel hoc ejus decretum in regno unquam receptum, aut in executionem miſſum; vel denique cùm reges ſpeciatim non nominet, ad ſolos privatos dynaſtas ſpectare. Has aliorum exceptiones tanquam nimis vulgares aſpernatus, majus aliquid molitur. Decretum ipſum ad ſuas partes trahere conatur, ac per illud Regaliam Chriſtianiſſimorum regum in toto regno confirmatam contendit. Quanam, inquies, ratione id probare tentat? Nimirum decreti verba ad alienum prorſus & abſurdum ſenſum detorquet, quod jam videndum eſt.

VII.

Digitized by Google

VII. Primum duas decreti partes diſtinguit; alteram, qua interdicitur, ne quis Regaliam de novo uſurpet,& in Eccleſias ab ea immunes introducat; alteram, qua abuſus, qui in ea exercenda irrepſerant, damnatur: quam quidem diſtinctionem, ſatis per ſe claram, Durandi Epiſcopi Mimatenſis auctoritate confirmat. Deinde verò jam de ſuo addit, priorem illam partem non alios quam privatos Dominos ſpectare; imò & Philippum III. Regem Chriſtianiſſimum hoc in eos interdictum per ſuos Legatos à Concilio impetraſſe: cæterum in poſteriore parte Regaliam regibus, tum ex fundatione Eccleſiarum, tum ex antiqua conſuetudine debitam, eo ipſo confirmari, quòd ſolum eis denuntietur, ne quem in ea exercenda abuſum admittant, aut à miniſtris ſuis admitti patiantur.

VIII. In Concilio, inquit, generali Lugdunenſi anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quarto, Præſidente Gregorio X. Summo Pontifice congregato, Philippus Audax ſancti Ludovici filius & ſucceſſor, privatos regni dynaſtas *volens cohibere, qui obtentu Regaliæ, cuſtodiæ, advocationis ſeu defenſionis Eccleſiarum ac Monaſteriorum vacantium fructus uſurpabant & diſſipabant, de illis apud Concilium generale per Legatos ſuos conqueſtus eſt; cui rei à Concilio proviſum eſt per decretum quod incipit:* Generali. *De Elect. in ſexto. Quam conſtitutionem, ut & reliquas ejuſdem Concilij Guillelmus Durandus Mimatenſis Epiſcopus juſto commentario illuſtravit, in quo duas hujus decreti partes diſtinguit. In priore damnantur privati Domini, qui prætextu Regaliæ, cuſtodiæ, advocations ſeu defenſionis Eccleſiarum, & Monaſteriorum vacantium bona uſurpabant, eiſque ſub pœna excommunicationis interdicitur, ne impoſterum id perpetrare audeant.*

IX. At

IX. At in ſecunda parte ejuſdem decreti confirmatur uſus & poſſeſſio Regaliæ in ÿs, quibus id juris ex fundationibus, vel antiqua conſuetudine competebat, eóſque ſolum exhortatur Concilium, ut à Regalia abuſu abſtineant, ſuóſque Officiales abſtinere faciant, hoc eſt, ut intacta relinquant, quæcumque ad fructus ac redditus vacantium Eccleſiarum non pertinerent. Præfatione hiſtorica pag. 6.

X. Idem repetit in Tractatu cap. IV. n. 7. pag. 61. & cap. V. n. 11. pag. 76. ubi ſignificat Concilium in priore ſtatuti parte id unum egiſſe, ut regibus Franciæ & Angliæ Regaliam à privatis dynaſtis uſurpatam ad ſe revocantibus opem ferret. Eodem verò capite V. n. 3. p. 70. *Non amplius*, inquit, *dubitari poteſt, quin Gregorius X. Pont. Max. Regaliæ uſum in eis* (Regibus Chriſtianiſſimis) *confirmaverit conſtitutione, quæ incipit* Generali, *in Concilio generali Lugdunenſi, poſtquam in priori parte privatos Dominos, qui illam de novo obtentu cuſtodiæ Eccleſiarum, ſeu Dignitatum Antiſtitum tam ſæcularium, quam Regularium uſurpabant, damnavit.* Quæ verba, quaſi eſſent ipſius Concilij, Italicis characteribus exprimenda curavit; quibus ſtatim, ijsdem characteribus, adjungit: *Neque etiam dubium, quin pariter eumdem uſum approbaverit ſecunda ejuſdem Decreti parte, in ÿs qui Regaliæ jus fundatum habebant in ipſa Eccleſiarum fundatione, & antiqua conſuetudine, eis ſolum interdicens, ne eo abuterentur, videlicet ea ſibi tribuentes, quæ ad fructus tempore vacationis provenientes non pertinebant.*

XI. Denique cap. I. n. 4. pag. 27. pleróſque Canonum interpretes vel malitiæ vel ignorantiæ arguit, quod hoc decretum peſſimè intellexerint, quaſi Regaliam damnet, cùm potius ejus confirmationem à Gregorio X. in Concilio generali editam exhibeat.

XII. Hæc autem omnia in eam ſemper partem accipit, ut Pontifex Regaliam ubique in Gallia, quod ad Reges ſpectat, locum

locum habere agnoverit. *Neque enim*, inquit pag. 77. *antiquam conſuetudinem commemoravit, ut jus illud intra aliquas tantum Eccleſias coërceret, cùm adhuc hujuſmodi circumſcriptioni locus non eſſet, ſed tantum ut legitimum & canonicum Regaliæ Francicæ ſtatueret fundamentum, eámque minimè certis Eccleſijs addiceret.*

XIII. Jam verò, ut hanc tam novam, atque ex ejus cerebro natam interpretationem confirmet, graviſſimam dicam ijs impingit, qui Romæ correctioni Juris canonici, Gregorio XIII. Summo Pontifice, operam dederunt, quaſi de induſtria multa ex hujus decreti gloſſa reſecârint; primùm videlicet ea, quæ in ipſa caſus propoſitione ab Elia Reinerio Pictavienſi Juris-conſulto allata erant de diſſidio Bonifacij VIII. Pontificis maximi & Philippi Pulchri, quibus adjuncta erant verba epiſtolarum, quas in ipſo diſſenſionis æſtu ſibi invicem ſcripſiſſe dicebantur: deinde clauſulam hanc, quæ in nota Joannis Monachi Cardinalis, verbo *Regalia*, prius legebatur; *Vel dic Regalia illa, quæ Rex capit Eccleſia vacante, quæ plena, id eſt, non vacante, Prælatus percipit illa.* Non alio autem conſilio hæc ab eis ſublata contendit, niſi ut Regaliæ, qualis jam in uſum recepta erat, & etiamnum in Gallia uſurpatur, *ſacra veſtigia in ipſo Juris canonici corpore impreſſa obliterarent.* cap. 1. n. 7. & 8. pag. 28. 29.

XIV. En præclaram decreti Lugdunenſis interpretationem, quam obtrudit Pinſſonius. At primùm ab eo quærere vellem, quo jure ſibi tantum arroget, ut ſola ſua auctoritate tam novam ipſiſque decreti verbis tam repugnantem explicationem lectoribus ſe perſuaſurum putaverit? Quid enim? Nonne ipſum *Regaliæ* nomen, quod in ipſo decreti limine legitur, juxta etymologiam, id propriè juris ſignificat, quod Reges in feuda regiæ coronæ obnoxia retinuerant? Nonne etiam vulgo Regaliſtæ docent, Regaliam eſſe jus merè re-

Ccc gium,

gium, quod ſolis Regibus ac ſupremis Principibus ſua natura conveniat? Cùm igitur hæc verba Concilij: *Univerſos & ſingulos, quantacúmque dignitatis honore præfulgeant*, generalia ſint, cur Reges ac ſupremos Dominos, in re quæ ad illos potiſſimum ſpectat, non comprehenderent? Aut quis unquam putet ſic locuturos fuiſſe Patres Concilij, ſi ſolos privatos feudorum dominos, non verò Reges notare voluiſſent?

XV. Præterea quis unquam ſibi perſuadeat, eos non alio fine tam ſolemne támque ſeverum decretum edidiſſe, niſi ut privatos dynaſtas ab uſurpandis Eccleſiarum vacantium bonis arcerent, quò Reges ea ſibi liberius & impunius vindicare poſſent? An Regibus deerat vis & poteſtas ad cohibendos privatos feudorum dominos, ne vacantium Eccleſiarum bona diriperent, ut neceſſe fuerit ad Gregorij X. Pontificis maximi & Concilij generalis opem confugere, *jus ſuum vindicaturos*? ut loquitur Pinſſonius. Num tanti Eccleſiarum intererat, redditus ſuos, mortuis Paſtoribus, potius in Regum poteſtate ac Dominio eſſe, quàm Ducum, Comitum aliorúmque privatorum Dynaſtarum, ut hac de cauſa publicam conſtitutionem, adjuncta graviſſima excommunicationis pœna, condiderit, quo Reges hac in re à vaſallorum ſubditorúmque injuria & uſurpatione tutos redderet?

XVI. Denique ecquis potius hic audiendus, an Durandus Mimatenſis Epiſcopus, qui Concilio interfuit, & ejus canones conſcripſiſſe dicitur, eóſque ampliſſimo commentario illuſtravit, an verò cauſidicus Pariſienſis, qui poſt quadringentos annos novam & hactenus inauditam hujus decreti interpretationem commentus eſt? Atqui Durandus in hoc ipſo commentario, verbo *quantacúmque dignitatis*, disertè ait, *ſive Regiæ ſive comitativæ, vel cujuſcumque alterius ſit:* Ibidémque teſtatur, hanc conſtitutionem *ad clamorem Prælatorum Franciæ & Angliæ*

pro-

promulgatam fuiſſe: Non igitur ad poſtulationem Legatorum Philippi Regis, qui hoc jus privatis Dominis de novo illud uſurpantibus invideret, ut ſomniavit Pinſſonius.

XVII. Deinde tum Reinerius in propoſitione caſus, tum Joannes Monachi Cardinalis in Gloſſa, nec non Joannes Andreas & Archidiaconus in commentarijs V. *Regalia*, non ſolos Duces aut Comites, ſed & ſupremos Principes ac nominatim Reges Franciæ & Angliæ commemorant. *Alij dicunt*, inquit Reinerius, *quod Regalia accipiuntur pro juribus, quæ habet Princeps, in aliquibus Eccleſijs, videlicet quod vacante aliqua Eccleſia Rex percipiat fructus & Eccleſiam conferat.* Joannes autem Cardinalis ad idem verbum *Regalia: Dic Regalia illa, quæ Rex capit Eccleſia vacante, quæ plena, id eſt, non vacante, Prælatus percipit illa.* Joannes verò Andreas & Archidiaconus ad idem verbum: *Dic*, inquiunt, *Regalia, id eſt, quæ capiunt Reges vacante Eccleſia, ut patet in regno Franciæ & Angliæ. Nam illic vocantur Regalia jura Regi, in quibuſdam Eccleſijs vacantibus competentia, quibus Prælatis ordinatis, illa percipiunt Prælati & non Rex.* Unde ipſa luce clarius eſt, unumquemque eorum, tam in priori hujus decreti parte, quam in poſteriori, Regaliam eodem ſenſu accepiſſe, atque utramque partem tum de Regibus, tum de Ducibus alijſque privatis dominis interpretatos, ut videlicet Concilium pariter omnes & ab uſurpanda de novo Regalia in Eccleſijs ei nondum ſubjectis, & ab ejus abuſu in locis ubi jam recepta erat, prohibuiſſe intelligatur: vixque à crimine falſi excuſari poteſt Pinſſonius, qui hæc eorum verba à priori decreti parte avulſa, ad poſteriorem partem transferre, eique ſoli aptare non dubitavit, Præfatione hiſtor. n. 6. p. 6.

XVIII. Hinc etiam patet, quam temere Correctores Romanos in crimen vocet, quaſi idcirco has Gloſſas amputarint,

rint, quod tam expreſſa vetuſti Regaliæ uſus momenta in corpore juris reſtare nollent. Cùm enim Gloſſæ illæ priorem Decreti partem ſpectent, qua prohibetur, ne quis Regaliam de novo in Eccleſias introducat, cur tantopere Pinſſonio dolet, quòd ſublatæ ſint, aut quid emolumenti caperet, ſi reſtituerentur? Nonne ex ijs adhuc clarius pateret, regium de propugnanda in omnes Eccleſias Regalia Edictum Concilio adverſari? Quocirca de hac Gloſſæ emendatione ſic in eum argui poſſet: aut in priori Decreti Lugdunenſis parte de Regibus non agitur; & tunc gloſſas illas meritò reſecarunt Romani Correctores, neque ea de cauſa eis ſuccenſere debet, ſed potius gratulari: aut revera ea decreti parte etiam Reges notantur, ut declarant Gloſſæ illæ; & tunc fateri debet regium edictum de proferenda in omnes Eccleſias Regalia apertè Concilio repugnare.

XIX. Injuſta ergo ac futilis eſt hæc Pinſſonij in Correctores Romanos accuſatio. Et certè quantum ab eo, quod eis affingit, conſilio abfuerint, vel inde patet, quòd in caſus propoſitione, ut vocant, hæc Reinerij verba reliquerint: *Alij dicunt quod Regalia accipiuntur pro juribus, quæ habet Princeps in aliquibus Eccleſijs, videlicet quod vacante aliqua Eccleſia, Rex percipiat fructus & Eccleſiam conferat,* quibus clarè exprimitur Regalia, de qua inter nos quæritur. Sin verò ea, quæ de diſſidio Bonifacij VIII. cum Philippo Pulchro ſequebantur, expunxerunt, manifeſtum eſt non alia id mente ab eis factum, niſi quòd tam odioſam támque lugendam contentionem, in qua multa utrímque potius ex concitato animi motu, quam ex rationis conſilio perpetrata erant, oblivione perpetua obruendam judicarunt. Unde Boetius Epo Juris-conſultus Belgicus à Pinſſonio citatus pag. 30. jampridem obſervavit, gloſſema iſtud non immeritò à Gregorio XIII. prorſus oblitera-

tum.

Digitized by Google

tum. Imò & idem illud gloſſema jam aberat ab editionibus Juris canonici anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo tertio, & milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono, hoc eſt triginta circiter annos ante correctionem Romanam evulgatis, qua obſervatione Franciſcus Florens Anteceſſor Aurelianenſis, longè Pinſſonio æquior, ad liberandos à culpa Romanos Correctores utitur.

XX. Præterea iiſdem Correctoribus convenientius magíſque ad mentem Concilij viſum eſt, nullam de collationibus Beneficiorum, quam velut præcipuam ejus diſſidij cauſam Gloſſa illa afferebat, mentionem fieri. Etſi enim ejuſmodi collationum aliqua jam exempla præceſſiſſent, Patres Lugdunenſes eas in decreto ſuo ſilentio prætericrunt, ſolóſque redditus ac proventus temporales, quibus propriè conſtabat jus Regaliæ, commemorarunt. Qua etiam ratione videntur ijdem Correctores ex Gloſſa Joannis Monachi hanc clauſulam reſecaſſe: *Vel dic Regalia illa, quæ Rex capit Eccleſia vacante, quæ plena, id eſt, non vacante, Prælatus percipit illa*; quod generalior eſſet, & nullo diſcrimine ea omnia Regi, vacante Ecelesia, tribueret, quæ Prælato conveniſſent.

XXI. Neque verò melior Pinſſonij fides in explicanda poſteriori decreti Lugdunenſis parte, dum eam ad ſolos Reges, rejectis privatis Dominis, referendam contendit; quaſi ipſo jure ad illos Regalia, in omnibus ditionum ſuarum Eccleſijs, tum titulo fundationis, tum ex antiqua conſuetudine, pertineat, idque Concilium ſignificare voluerit, dum eos ſolum ab ejus abuſu temperare, & redditibus vacationis tempore provenientibus contentos, bona reliqua, tanquam patronos ac tutores, conſervare præcepit. Hæc quam parum cohæreant nemo non videt. Neque enim vel minimam veri ſpeciem habent, niſi cum Pinſſonio admittas, Concilium de

 alia

Digitized by Google

alia Regalia in priori decreti parte, de alia verò in poſteriori agere, prorſuſque diverſos eſſe, quibus primùm interdicit, ne eam de novo uſurpent, ac deinde ne ea abutantur: quod ex ipſo decreti textu commentitium eſſe convincitur. Siquidem fingendum foret, eaſdem voces vario ac diverſo planè ſenſu à Concilio eſſe uſurpatas, nulla adhibita hujus variæ ſignificationis nota, quo nihil vitioſius in oratione, aut obſcurius excogitari poteſt; ut omittam conſentientem omnium Interpretum expoſitionem, qui poſteriorem decreti partem prioris exceptionem eſſe docent, ita ut primum generaliter damnentur, quotquot Regaliam de novo uſurpaſſent, aut impoſterum uſurpare tentarent; deinde verò ab hac damnatione illi excipiantur, qui vel ex titulo fundationis Eccleſiarum, vel ſaltem ex antiqua conſuetudine hoc jus ſibi vindicabant, dummodo poſthac ab omni ejus abuſu ſeſe continerent.

XXII. Quo loco Pinſſonius alia adhuc ratione Decretum depravaſſe convincitur cap. v. n. 4. pag. 70. ejus verba ſic interpretatus, quaſi eo ipſo quo Reges Eccleſiam aliquam fundaverint, jus in ea Regaliæ obtinere cenſendi ſint. Neque enim id docet Concilium, ſed ſolum ſtatuit, ut ſi quis ex ipſo fundationis inſtrumento jus iſtud ſe habere oſtendat, aut jam ab ipſa Eccleſiarum fundatione, vel ſaltem ex antiqua conſuetudine id obtineat, eo ſe abdicare non cogatur, dummodo impoſterum ab omni temperet abuſu. Quippe vetus illa & per longum continuata poſſeſſio tacitum ſaltem Eccleſiæ conſenſum arguebat, cujus vi res etſi primum minus juſta, poſtea vitio quodammodo exui, & licita evadere potuerat.

XXIII. Poſt decretum Concilij Lugdunenſis tam fœdè corruptum, pergit Pinſſonius confidenter affirmare, jam à tempore Concilij ac deinceps Reges Chriſtianiſſimos Regaliam

liam in omnibus Galliæ Eccleſijs Cathedralibus exercuiſſe. *Philippus Audax*, inquit cap. v. n. 12. p. 77. *cùm Regaliam jure hæreditario è manibus puris ac ſanctiſſimis Divi Ludovici parentis ſui, ab avis Philippo Auguſto, Ludovico Craſſo, & Ludovico Juniore traditam accepiſſet, eodem illam modo exercere perrexit, minimè ad certas quaſdam Eccleſias coercens, nec de legitima ejus poſſeſſione quidquam dubitans: unde toto cœlo aberrant, qui dicunt eum in aliquibus tantum Eccleſijs Regalia potitum eſſe, aut de ea dubitantem ad Patres Concilij Lugdunenſis, qui eam ſua auctoritate probarent, confugiſſe, ut auſi ſunt affirmare infenſi hoſtes Regaliæ.* Hæc ultima verba Illuſtriſſimum Petrum de Marca maximè petunt, qui de Philippo III. Rege Chriſtianiſſimo ejuſque legatis ad Concilium Lugdunenſe in eam ſententiam diſſeruit. Verùm omiſſis Pinſſonij convicijs, rem ipſam intueamur. Cùm tam audacter confirmat, Philippum Regaliam in omnes Galliæ Eccleſias exercuiſſe, num ei exciderat ſolemne Arreſtum ab eodem Philippo duobus ante Lugdunenſe Concilium annis pro Eccleſia Albienſi latum, quod ab eodem Petro de Marca refertur his verbis lib. VIII. Concordiæ Sacerdotij & Imperij cap. 26. *Sabbato poſt Aſcenſionem Domini reſtituta fuerunt apud Appamias, & reddita per Dominum Regem Procuratoribus Capituli Albienſis Regalia, quæ mortuo Epiſcopo Albienſi, Seneſchallus Carcaſſonenſis ad manum Domini Regis ceperat & ſaiſinaverat ſine cauſa, cùm Dominus Rex ſuper hoc alias nunquam uſus fuiſſet, prout ex aliorum & ipſius relatione fuit inventum?* An è memoria evanuerat aliud Arreſtum Parlamenti & Edictum ſancti Ludovici, quo, in cauſa Capituli Eccleſiæ Cathedralis Anicienſis, poſt diligentem ac legitimam inquiſitionem, pro ejus Eccleſiæ libertate, tum in collatione Præbendarum, tum in pleríſque alijs Regaliæ capitibus pronuntiatum eſt, cujus controverſiæ acta etiamnum apud regeſta Parlamenti leguntur, & à Domi-

à Domino de Marca citantur? An hæc nullius eſſe ponderis contendet, quòd ab ijs, quos jurium Regis apertos hoſtes appellat, ad confirmandum jus Eccleſiæ proferantur?

XXIV. At quid objiciet Durando, Joanni Andreæ, Archidiacono, Reinerio alijſque Gloſſatoribus, qui una voce Regaliam, *in aliquibus tantum Franciæ Eccleſijs* locum habere teſtificantur? An eis fidem in re, quæ omnium oculis ſubjecta erat, derogabit? Quid verò opponet longè vetuſtiſſimis de Regalia Edictis Philippi Pulchri & Philippi Valeſij, tótque alijs deinceps à Regibus promulgatis, in quibus perpetuò Regalia ad *aliquas Eccleſias* coercetur? Volupe eſt videre, quo pacto hac ſe difficultate expediat. *Hic loquendi modus*, inquit loco ſupra citato, *in aliquibus Eccleſijs regni noſtri; in Eccleſijs, in quibus jus Regaliæ habemus, quo Reges in Edictis utuntur, cœpit tantum uſurpari tempore Philippi Pulchri & Philippi Valeſij, à quibus illum poſtea mutuati ſunt Reges ſucceſſores, qui quidem hac in re alij aliorum verba, duorum Philipporum exemplo, exſcripſerunt. Cæterum nemini eorum hac loquendi formula propoſitum fuit, Regaliæ uſum ad certas quaſdam Eccleſias Cathedrales, quaſi reliquæ immunes eſſent, coercere; ſed ſolum ſignificare, Cathedrales Eccleſias huic juri obnoxias eſſe, Collegiales verò aliaſque privatas Eccleſias, quæ ad Epiſcoporum collationem & procurationem non ſpectabant, intactas relinqui.*

XXV. Hæc ubi legeris, fruſtra expectes, quidnam reſpondeat ad recenſiones Cameræ computorum Pariſienſis Concilio Lugdunenſi penè ſuppares, in quibus Eccleſiæ Cathedrales tum Regaliæ obnoxiæ, tum ab ea immunes ſingulatim enumerantur; ad Edictum Ludovici XII. quo ſacrilegij pœna in Miniſtros & Officiales regios decernitur, qui in Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, aliáque Beneficia Regaliæ, nequaquam obnoxia ſeſe intromiſerint; ad auctoritates

Ægidij

Digitized by Google

Ægidij Magiſtri Proto-præſidis, Renati Choppini, Philippi Probi, Joannis Feraldi, Caroli de Graſſalio, Franciſci Duareni, Stephani Paſquerij cæterorúmque Juris-conſultorum Galliæ, qui conſtanter docent Regaliam in aliquibus tantum regni Eccleſijs Cathedralibus locum habere. Certum eſt illi hæc minimè curare. Itaque hæc omnia diſſimulans ſic loquitur Præfatione hiſtorica n. 6. p. 16. *Per omne illud tempus* (quod Concilium Lugdunenſe ſubſecutum eſt) *nunquam Regalia certis locis circumſcripta eſt, ſive ex auctoritate conſtitutionum Philippinarum, ſive alterius conſtitutionis, quæ incipit: Dum Epiſcopus, quæ in regeſtis Cameræ computorum aſſervatur, tametſi videantur negare eam eſſe generalem, & de aliquibus tantum Eccleſijs, in quibus locum haberet, mentionem injiciant. Regis quippe auctoritas ex æquo ubique viget; & ſi qui olim Reges huic ſe circumſcriptioni ſponte & ſine cauſa ſubjecerunt, non idcirco hanc legem ad ſucceſſores, qui idem cum illis imperium eamdémque poteſtatem obtinent, tranſmiſerunt.* Quo loco obſervandum eſt, eum agnoſcere, Reges ſponte ſe ad Regaliæ circumſcriptionem accommodaſſe, tametſi alibi id planè neget, ut ſupra vidimus.

XXVI. Denique, ſi ei credimus, non ante Regalia intra certos terminos cohiberi cæpta eſt, quam latum fuit à Parlamento Pariſienſi Arreſtum, die 24. Aprilis anni 1608. in cauſa Eccleſiæ Bellicenſis, quo pronuntiatum eſt: *Regem habere jus Regaliæ ſancti Joannis Bellicenſis, quemadmodum in alijs omnibus regni ſui, & Advocatis ac Procuratoribus interdictum, nequid in contrariam partem auderent aſſerere. Quapropter*, inquit cap. v. n. 12. pag. 77. *cùm ad ſolos Reges pertineat propria edicta interpretari, meritò Ludovicus Magnus in ultimis ſuis de Regaliæ conſtitutionibus anno 1673. 1675. & 1682. publicatis edixit his verbis: Declaramus jus Regaliæ nobis univerſim competere in omnibus Archie-*

piſcopatibus, & Epiſcopatibus regni noſtri, Terrarum ac ditionum noſtro imperio ſubjectarum.

XXVII. Sanè qui ſuſceptam à ſe cauſam non aliter defendit, quam res in facto poſitas, tam claras tótque evidentiſſimis teſtimonijs confirmatas inficiando, ſatis prodit ſe non quid verum æquúmque poſtulet, inveſtigare, ſed hoc unum in animo habere, ut quæſtioni per ſe facili tenebras offundat, & quod à Principe pravis conſilijs circumvento præter jus perpetratum eſt, quocúmque modo tueatur.

XXVIII. Nunc veniendum ad alteram hujus diſputationis partem, quam minus principalem, & prioris quaſi additamentum libet appellare, in qua de collationibus Beneficiorum agitur. Principio probare contendit Pinſſonius Regem *Beneficiorum collationem pro ſuo jure ſibi vindicare, citra ullam Apoſtolicam aut aliam cujuſcumque generis conceſſionem, quòd*, inquit, *collatio Beneficiorum non ſit res merè ſpiritualis, ſed neceſſariò mixta, id eſt, ex ſpirituali & corporali compacta, atque ideò inter fructus recenſeatur: unde certis caſibus ad Regem pertinet, quandoquidem* Dominus *eſt fructuum Beneficiorum Eccleſiaſticorum. Præfat. hiſt. n. 3. p. 3.* Primùm ab eo quæri poſſet, quo nixus fundamento tam confidenter aſſerat, Regem eſſe dominum fructuum Beneficiorum Eccleſiaſticorum, quæ propoſitio hæreticorum propria eſt, & apud nullum bonæ notæ Juriſconſultum, aut Canoniſtam reperitur. Verùm privato cauſidico ex falſo principio falſam inferenti conſequentiam, ſufficit opponere judicium Antiſtitum, qui anno 1682. Pariſijs congregati, perorante Illuſtriſſimo Remenſi Archiepiſcopo declararunt, *ſemper ſe perſuaſum habuiſſe, jus Regaliæ eſſe ſervitutem, quæ, maximè quod ſpectat ad collationem Beneficiorum, nunquam niſi ab Eccleſia aut ejus conſenſu, introduci potuit:* Quod quidem eos ſola vi veritatis adactos in ejuſmodi conventu declaraſſe, nemo dubitaverit.

XXIX.

Digitized by Google

XXIX. Cùm verò Pinſſonij doctrina planè abſurda ſit, & Juris canonici regulis repugnans, tum verò ex ea peſſimè adhuc argumentatur. Neque enim auſus eſt abſolutè pronuntiare collationem Beneficiorum rem eſſe merè civilem & temporalem, ſed mixtam ſeu ex ſpirituali & temporali conflatam. Verùm quia inde inferre non poterat, eam Regibus, jure coronæ, ſine ulla Eccleſiæ conceſſione competere, alio loco addit: *Tametſi Beneficia ex anima & corpore, hoc eſt ex ſpirituali & corporali conſtent, mixtum illud æquè eſſe corporale, ac ſpirituale.* cap. III. n. I. p. 46. Falſa omnino videtur hæc conſequentia. Cùm enim agatur de toto morali ſeu civili, quod ex pluribus partibus coaleſcit, ratio & æquitas poſtulant, ut ejus denominatio ſumatur à potiori ac principali parte. At certo certius eſt hic temporali præponderare ſpirituale, cùm alterum ex altero pendeat, & propter hoc detur illud, juxta celebre Canoniſtarum axioma: *Beneficium datur propter officium.* Sed Pinſſonio concedamus, Beneficium rem eſſe æquè temporalem, ac ſpiritualem; quâ ratiocinatione inde inferet, eam Regibus, ſolo jure coronæ, nulla accedente Eccleſiæ conceſſione, tribuendam?

XXX. Neque eum juvat, ordinationem, qua jus & poteſtas exercendi munia Eccleſiaſtica confertur, rem ſcilicet merè ſpiritualem, diſtingui à conceſſione tituli, ſeu addictione Clerici ad aliquem locum peculiarem, ubi munia illa exerceat, quam rem contendit eſſe merè civilem ac temporalem, quando præſertim utrumque illud, non ut olim ſimul eodémque tempore, ſed ſeorſim ac diverſis actibus peragitur, quam diſtinctionem fusè explicat cap. III. n. 2. & 3. p. 46. & ſequentibus. Hæc enim tituli Eccleſiaſtici conceſſio, ſeu addictio Clerici ad Eccleſiaſtica munia alicubi obeunda, non poteſt non eſſe quid hierarchicum & ſpirituale,

Digitized by Google

etiam poſtquam ab ordinatione ſejuncta eſt, ac ſeparatim per Beneficij collationem fieri cæpit, ut multis ab hinc ſæculis in morem receptum eſt. Quod quidem adeò certum eſt ac juris canonici regulis conſonum, ut ne quidem Patronatus aut ſimplex præſentatio ad Beneficia res merè civilis, aut temporalis habeatur. Unde contraria, quam hic ſequitur Pinſſonius, doctrina, omnino rejicienda eſt, utpote quæ latam Simoniæ ac Beneficiorum nundinationi viam aperiat.

XXXI. Nihil autem attinet hic repetere, quâ ratione collationes ob Regaliam primum introductæ ſint, Rege ad vacantes Eccleſiarum Cathedralium Præbendas Clericos nominante, Capitulo verò eos admittente, hócque ipſo canonicam eis inſtitutionem, & ad obeunda munia Eccleſiaſtica poteſtatem conferente. De hoc videri poteſt Tract. gener. lib. I. c. x. & ſupra contra Patrem Alexandrum num. XII. Sanè hoc eodem modo explicandæ videntur abſolutæ Beneficiorum collationes Patronis Laicis, imò & fœminis peculiari privilegio conceſſæ, quas multum hic venditat Pinſſonius, nonnulla ex antiqua collectione citans capitula, quæ in nova editione Romani correctores expunxerunt.

XXXII. Ut ut ſit, abſolutas Beneficiorum collationes ob Regaliam, nulla accedente Eccleſiæ auctoritate, quales hic à Pinſſonio deſcribuntur, ab ipſa Eccleſia expreſsè unquam approbatas eſſe pernegamus. Id patet ex facto Bonifacij VIII. ejuſmodi Beneficiorum collationes ea maximè de cauſa damnantis, quòd Philippus Pulcher eas ſibi pleno jure nullóque habito ad Eccleſiam reſpectu vindicaret, quaſi res fuiſſet merè humana & civilis: qua in re Bonifacij cauſam jure & ratione potiorem fuiſſe vix aliquis negaverit. Verùm cùm de multis alijs capitibus diſſiderent, jámque invicem exulcerati eſſent animi, Philippus de ipſa Regalia ſibi controver-

ſiam

ſiam moveri ratus, admonitiones & minas Bonifacij reſpuit, & ne quidem dignatus rationes afferre, quibus ejuſmodi Beneficiorum collationes defendi potuiſſent, ſibi eas regio jure deberi, atque à Prædeceſſoribus acceptas ſe velle retinere reſpondit.

XXXIII. Falsò autem aſſerit Pinſſonius cap. I. n. II. p. 3. & c. III. n. 9. p. 52. ea omnia, quæ à Bonifacio adverſus Philippum Pulchrum geſta ſunt, ita reſciſſa eſſe à Benedicto XI. & Clemente V. ejus Succeſſoribus, ut Beneficiorum collationes abſolutè ac citra ullam Eccleſiæ conceſſionem à Regibus fieri probaverint. De hoc enim nihil in eorum reſcriptis ad Philippum legitur, tametſi eum Beneficia, more anteriorum Regum, donare ſiverint: id quod poſtea ſecuti ſunt alij Romani Pontifices, Eccleſia ejuſmodi collationibus connivente, quòd non ita eas Regum proprias crederet, ut non etiam in ijs Capitulum aut Vicarij generales, nominatos à Rege ſuſcipiendo & in Beneficiorum poſſeſſionem mittendo, ſuas partes interponere cenſerentur. Quam defenſionem niſi hac in cauſa admittas, dicendum erit ejuſmodi Beneficiorum collationes tantum ab Eccleſia tollerari, nequaquam verò ut licitas ac verè legitimas probari, ut revera minimè ab ea probantur tot earum dignitates & prærogativæ à Parlamento Pariſienſi inductæ, quibus factum eſt, ut Reges Chriſtianiſſimi in donandis Beneficijs, majori auctoritate, quam Epiſcopi quorum vices ſupplent, imò quam ipſi Romani Pontifices, potiantur.

XXXIV. Alia occurrit Pinſſonij hallucinatio cap. I. n. 13. p. 31. & cap. III. n. 12. pag. 54. Ubi adducta Joannis Monachi gloſſa in cap. *Licet.* de Præbendis in ſexto, docet hanc de collationibus Beneficiorum quæſtionem à Bonifacio VIII. excitatam, iterum Nicolao III. Summo Pontifice, Romæ exami-

Digitized by Google

natam fuiſſe, & rejecta Bonifacij ſententia, pro Regibus pronuntiatum. Neque enim hæc quæſtio agitata eſt tempore Nicolai, ſed tantum an Beneficia Regaliæ obnoxia, ſi in curia vacare contingeret, ad Pontificis collationem ſpectarent vi ſupra memorati capituli, quo generaliter Beneficia apud Sedem Apoſtolicam vacantia Romano Pontifici reſervantur: & viſum eſt non ſpectare, quòd hujus peculiaris caſus Clemens IV. capituli conditor expreſsè non meminerit. Id clarum ex gloſſa Joannis Monachi, qui unicus locus eſt, in quo hujus controverſiæ mentio habeatur. *Hæc quæſtio*, inquit, *tempore Nicolai III. fuit tractata, & ſubſequenter tempore plurium Romanorum Pontificum, præſertim in illo caſu, quo Rex Franciæ & Angliæ in nonnullis Eccleſijs ſuorum regnorum dicunt ſe habere collationem Præbendarum, ſede vacante, & ſunt uſi pacificè ante iſtam conſtitutionem, & non plus, cùm hæc conſtitutio conſuetudinem, ſeu jus iſtorum non tangat expreſsè, videtur remanere intactum.* Hanc gloſſam hóc ſenſu etiam ipſe Pinſſonius explicat Præfat. hiſt. n. II. p. 7. quam poſtea, à ſeipſo diſcedens, in alium prorſus ſenſum detorſit.

XXXV. Non melior ejus fides in explicanda Gloſſa Pragmaticæ ſanctionis, qua dicitur Concilium Lugdunenſe *nihil in decreto ſuo de jure conferendi Beneficia ob Regaliam providiſſe.* Quæ verba cap. III. n. II. pag. 52. & c. IV. n. 7. p. 61. ita interpretatur, quaſi Gloſſator docuerit, generaliter à Concilio approbatam eſſe Regaliam ſpiritualem, quæ in collatione Beneficiorum poſita eſt, neque certos illi terminos præſcriptos, aut ullam conditionem appoſitam, ut in Regalia temporali, quæ fructuum perceptione conſtat, quam vetuit de novo in Eccleſijs ab ea liberis uſurpari, aut ad fructus tempore vacationis non provenientes per abuſum extendi. Quis verò ex ipſa Gloſſæ lectione hujus explicationis falſitatem non ſtatim advertat?

Digitized by Google

vertat? Neque enim, ut legenti patet, Gloſſator ſignificat Concilium jus conferendi Beneficia, tanquam legitimum, aut Regibus in omnibus Eccleſijs Cathedralibus quæſitum approbaſſe, cùm expreſsè dicat, Reges Franciæ & Angliæ *in quibuſdam* tantum *Eccleſijs* id ſibi juris vindicare; ſed tantum declarat, cùm de Regalia ſtatuit, de ſola fructuum perceptione verba feciſſe, omnino autem ſiluiſſe de collationibus Beneficiorum.

XXXVI. Cæterum ubi Gloſſam Pragmaticæ ſanctionis, qua diſertè collationes Beneficiorum à fructuum perceptione diſtinguuntur, tam falsa interpretatione adulteravit, haud multo poſt ex auctoritate Gloſſæ in cap. *Cùm olim. De Majoritate & obed.* contendit eaſdem Beneficiorum collationes inter fructus vacantium Epiſcopatuum computari, quo inferat eas jure merito, durante Regalia, Regibus attribui, dictorum repugnantiam parum curans, dummodo cauſæ ſerviat; quantumvis etiam eum minimè fugerit, Gloſſam eo loco Beneficiorum collationes non alia de cauſa inter fructus reponere, niſi ut probet eas ad Capitula, ſede vacante, non ſpectare, ſed futuris reſervandas Epiſcopis: unde nihil ab ejus mente alienius, quam ut inde quis inferat, eas Laicis Principibus poſſe attribui.

XXXVII. Aliam orationis contradictionem in Pinſſonio libet obſervare. Cap. I. n. 16. p. 33. docet Regaliam ita Regum Chriſtianiſſimorum propriam eſſe, *ut ſit veluti peculiaris eorum prærogativa, quæ nullis alijs Principibus communicari queat, quemadmodum & plures aliæ ſacræ illorum ac mirificæ unctionis dotes, ut ex contactu, aut ducta in crucem manu infirmos curare.* Idem habet c. IV. n. 59. ubi ait, *Regaliam Regum Franciæ propriam ac ſingularem dotem eſſe nullo cum alio Rege communicandam:* Itemque c. V. n. 7. p. 73. *Francorum Regum corona*

corona ita propriam eſſe, ut cum alio nemine communicari poſſit. At varijs locis ipſemet plures citat Auctores, ut Guillelmum Durandum, Joannem Cardinalem, Archidiaconum, Gloſſam Pragmaticæ Sanctionis, qui diſertis verbis jus iſtud æquè in Regibus Angliæ, atque in Franciæ Regibus agnoſcunt. Quis hanc verborum pugnam conciliet? Quilibet alius præter Pinſſonium hic ſudaret. Verùm nullo ille negotio rem conficit. Hoc eodem loco videlicet cap. 5. p. 73. pronuntiat: *Si quid unquam Regalia Reges Angliæ participarint, id totum à Gallia quaſi mutuò accepiſſe, aut quodam vicinitatis jure, vel certè quando in regno Franciæ pedem poſuerunt.* Quaſi verò Regalia Anglis incognita fuerit ante Carolum VI. Regem Franciæ, quo tempore totam fere Galliam ſubegerunt, neque ab eis jam in uſum recepta eſſet Henrico II. & Richardo I. Regibus, qui ſimul Normaniæ Duces fuerunt, eodémque tempore Regaliam in Epiſcopatibus Angliæ & Normaniæ exercebant, ut ex Matthæo Pariſienſi alijſque Auctoribus conſtat.

XXXVIII. Temeraria Pinſſonij in hoc argumento confidentia iterum ſe prodit cap. v. n. 1. p. 69. cùm antiquiſſimam eſſe Regaliam, maximè in conferendis Beneficijs, & jam à principio Monarchiæ Francorum obtinuiſſe, confirmat: tametſi hactenus omnes agnoverint, ne leviſſimum quidem ejuſmodi collationum veſtigium reperiri ſub prima & ſecunda Regum dynaſtia, neque etiam initio tertiæ dynaſtiæ, ſed ſolum Ludovico Juniore & Philippo Auguſto regnantibus, poſt ſedatam graviſſimam Romanos inter Pontifices & Imperatores de Inveſtituris controverſiam. *At*, inquit, *quod non tam certa & expreſſa ejus* (Regaliæ) *documenta in prima & ſecunda Regum dynaſtia, ac in tertia occurrant, id tribuendum liberiori illi & abſoluta ſuperiorum Regum in conferendis quibuslibet Dignitatibus*

tatibus & Beneficijs Eccleſiaſticis potentiæ, quæ jus Regaliæ quodammodo abſorbebat. Quis non miretur hominis ſolertiam in confirmanda Regaliæ antiquitate? Quis tam ſubtili ratione non ſibi perſuadeat, eam à primis uſque temporibus in tota Gallia uſurpatam?

XXXIX. Eadem illa amplificandæ per fas & nefas Regaliæ cupiditas eum impulit, ut contraria prorſus & ſecum pugnantia de Beneficijs Patronatui Eccleſiaſtico vel Laico obnoxijs diſſereret. Nam poſtquam cap. IV. n. 3. p. 57. varijs auctoritatibus oſtendit, collationes Beneficiorum inter fructus Epiſcopatuum vacantium computari, ſequentibus paragraphis pag. 58. 59. cogitur fateri, id ſolum intelligendum de collationibus liberis & abſolutis, quæ pleno jure ad Epiſcopos ſpectant, non verò de collationibus neceſſarijs & coactis, quæ ad nominationem ſeu præſentationem Patronorum fiunt: itaque priores ex præſcripto canonum & jure communi futuris Epiſcopis reſervari, non verò poſteriores, quæ Capitulis, ſede vacante, ſeu eorum Vicarijs permittuntur. Quis non inde ſtatim inferat, ſolas illas priores collationes, quæ inter fructus numerantur, Regaliæ jure comprehendi, quod reipſa diu certa & conſtanti juris-prudentia ab ipſo Parlamento Pariſienſi ſervatum eſt, ut teſtantur duo non infimi ſubſellij Juris-conſulti Philippus Probus & Guido Coquillius, qui ſuperiori ſæculo floruerunt? At cùm quadraginta abhinc annis Parlamento Pariſienſi placuerit, abjecta veteri juris-prudentia, Regaliam ad quaslibet collationes Beneficiorum extendere, (quam quidem novitatem mirum eſt Hieronymo Bignonio Advocato regio ſummæ eruditionis ac ſingularis pietatis viro probatam fuiſſe) Pinſſonius pro ſuo amplificandæ Regaliæ ſtudio, cap. V. n. 19. 20. p. 83. duo illa collationum genera, quæ prius diſtinxerat, in unum permiſcens, diſertè

docet, Regem ad præſentationem Patronorum, imò etiam ſpreto Patrono Eccleſiaſtico, inſtar Pontificis Romani, Beneficia conferre. Cujus tam novæ támque extraordinariæ doctrinæ non aliam affert rationem, niſi quòd ita Parlamenti Pariſienſis Arreſtis definitum eſt: *Quæ*, inquit, *regula in hac materia nequaquam rejicienda eſt, cùm Regalia tota conſtet præjudicatis:* Quibus verbis apertè fatetur, Regaliam hocce in capite, ut & in pluribus alijs, nullo jure niti, ſed totam à beneplacito & arbitrio Officialium Parlamenti Pariſienſis pendere. Unde ſequenti paragrapho pag. 84. agnoſcit, nondum in uſum receptas ejuſmodi regias collationes ad præſentationem Patronorum, aut etiam ſpretis Patronis Eccleſiaſticis; quapropter optandum ait, *ut ea de re voluntatem ſuam Rex publico edicto declaret.*

XL. Per Pinſſonium alióſque ſimiles adulatores non ſtetit, quominus Parlamentum Pariſienſe abſoluta illa & planè libera poteſtate, regias collationes extenderet in Canonicatus & Beneficia, quæ ad Capitulorum collationem ſpectant, id eſt, quæ aut Capitulum ſolum, aut alternis vicibus, aut per orbem, ſeu, ut loquuntur, per turnum cum Epiſcopis confert, ut ſunt pleraque Capitula quatuor Provinciarum per regium edictum jugo Regaliæ ſubjectarum. Quin & jampridem regij Miniſtri id in praxim deduxerant, rati præcipuum eſſe hunc fructum, quem in quatuor illis Provincijs ex regio edicto capere poſſent. Sanè ea res jam ante quadraginta annos ipſi Parlamento Pariſienſi adeò injuſta, atque intolerabilis viſa erat, in cauſa Capituli Catalaunenſis, quæ Diœceſis una eſt ex ijs, quæ jamdiu Regaliæ aſſueverunt, ut ſolemni Arreſto, aſſentiente etiam D. *Briquet* regio Advocato, ſecundum Capitulum pronuntiaverit. Veruntamen D. *Talon* regius Advocatus, in procuranda Regaliæ extenſione, non tam celebris,

bris, quam famoſus, haud ita pridem in cauſa Eccleſiæ Sanctonenſis, quæ una eſt ex Eccleſijs de novo Regaliæ ſubjectis, prolixa oratione ejuſmodi collationes, in Capitulorum damnum, Regi vindicare conatus eſt. At parum ei commodè accidit, ut rem cum duobus ſuis collegis, regio videlicet Procuratore D. *Du Harlay*, & altero Advocato D. *De Lamoignon*, minimè communicarit. Unde, cùm decretum eſſet à Parlamento, cauſam ex ipſis actis in ſecreto ſeceſſu cognoſcendam eſſe, contigit aliquanto poſt tempore, ut regius Procurator ex ſcripto in contrariam prorſus ſententiam abierit, non ſine magna fori admiratione; cùm prius regij Triumviri unius ſemper labij fuiſſent, prout ajebat Proto-Præſes *De Molé* relatus à Pinſſonio, qui ſe hac regij Procuratoris & Advocati diſcrepantia obſtupefactum ſignificat. Cæterum Curia Capitulum Sanctonenſe, juxta aſſenſum & poſtulationem regij Procuratoris, atque adeò reliqua penè quatuor Provinciarum Capitula, à Regaliſtarum petitione ſuo Arreſto abſolvit die 16. Januarij an. 1680. Id quod biennio poſt, regio edicto, flagitantibus Epiſcopis Lutetiæ congregatis, generaliter circa reliqua ejuſdem generis Capitula, ſancitum eſt.

XLI. Poſtremò idem Pinſſonius in definienda Regalia cap. v. n. 5. p. 71. adhuc ſecum pugnat. Cùm enim ſuperiori capitulo fusè oſtendiſſet, collationes Beneficiorum inter fructus vacantium Epiſcopatuum computari, eóque nomine ad Reges, durante Regalia, ſpectare, hoc loco alterum ab altero tanquam res prorſus diverſas, diſtinguit: cúmque hactenus celeberrimi quique Galliæ Juris-conſulti ſpiritualem Regaliam, quæ collatione Beneficiorum continetur, in temporali Regalia, hoc eſt, in fructuum perceptione fundatam eſſe docuerint, adeò ut Petrus Pithæus ambas neceſſariò conjunctas eſſe, atque unum idémque jus conflare voluerit: hic

Digitized by Google

tanquam cæteris Regaliæ defenſoribus conſultior & perſpicacior, eas inter ſe dividit, & inverſo ordine ſpiritualem Regaliam temporali præponit, quaſi hæc illius tantum appendicula, ac velut quoddam additamentum foret. *Regalia.* inquit, *optimè definiri poteſt, jus regium Franciæ ad omnes Eccleſias Cathedrales pertinens, quod poſitum eſt in collatione Beneficiorum ſimplicium & ſine animarum cura, quæ ad collationem Epiſcoporum ſpectant, dum ea, ſede Epiſcopali vacante, contigerit vacare, aut vacantia reperiri: cui Beneficiorum collationi adjuncta eſt adminiſtratio fructuum temporalium.* Quibus verbis eam Regaliæ partem in ejus definitione prætulit, quæ ipſi cæteríſque univerſalis Regaliæ Patronis longè carior eſt; vel potius rationem habuit explicationis decreti Lugdunenſis, quam ſupra attulerat, quæ funditus corrueret, niſi Regaliam ſpiritualem omnino à temporali ſejunxiſſet.

XLII. Alia hujus Auctoris ἀσύστατα, hallucinationes, falſáſque conſequentias perſequi, tum quia per ſe ſatis patent, tum quia in Tractatu generali, præſertim verò libro IV. ubi ad oppoſitiones adverſariorum reſponſum eſt, quadam veluti anticipatione confutantur. Quæ hic animadverſa ſunt, ſufficient, ut omnes intelligant, inprimis huic ſcriptori convenire veriſſimum Stephani Paſquierij elogium, quo jamdiu univerſalis Regaliæ patronos non tam *Juris-conſultos Gallicos*, quam *aulicos adulatores* nuncupavit.

CONSTI-

CONSTITUTIO *Dominus Rex*, de qua ſupra lib. 1. cap. 16 ex Codice manuſcripto Arreſtorum, qui fuit primùm Domini *Ruzé* Conſiliarij Parlamenti Pariſienſis, deinde Domini *Petau* ejuſdem Parlamenti Conſiliarij, nunc verò dicitur extare Romæ in bibliotheca Chriſtinæ Auguſtæ Suecorum Reginæ. Quæ hic Italico charactere exhibentur, deſiderantur in eadem Conſtitutione relata ab Ægidio *Le Maiſtre* & alijs ſcriptoribus.

DOminus Rex, prout conſtat per antiqua ſcripta cameræ, conſuevit capere Regalia, cùm vacaverint in Provincijs & Diœceſibus, quæ ſequuntur, videlicet.

In tota Provincia Senonenſi, & ejus ſuffraganeis, excepta Diœceſi Autiſſiodorenſi, in qua Decanus & Capitulum dicuntur feciſſe communicationem cum Rege.

In tota Provincia Remenſi, excepta Diœceſi Cameracenſi.

In tota Provincia Bituricenſi, excepta Lemovicenſi, Cathurcenſi, Ruthenenſi, Albienſi, Mimatenſi. *Rex habet Regaliam in duobus caſtris dictæ Diœceſis Albienſis.*

In tota Provincia Turonenſi, excepta Maclovienſi, Trecorenſi, Coriſopitenſi, Briocenſi, Venetenſi, Nannetenſi & Dolenſi.

In Provincia Burdigalenſi ſolum, veruntamen de Pictavienſi computatum fuit anno 1306. *Sed Rex per litteras præcepit totum reſtitui Epiſcopo, tunc conditione habita, quòd inquireretur diligenter, ſi prædeceſſores Epiſcopi feciſſent homagium Regi, & ſi ſic, quòd recuperaretur ſuper ipſum Epiſcopum, quod ei fuerat reſtitutum.*

In tota Normania habet Regale.

In Provincia Auxitanenſi & Arelatenſi & per conſequens in tota lingua Occitana nihil habet.

Extractum à Regiſtris Cameræ computorum Domini noſtri Regis, cum quibus per ordinationem Dominorum ibi collatum per me Le Blanc.

CATALOGUS

Eccleſiarum, quæ in Gallia vel Regaliæ obnoxiæ ſunt, vel ab ea liberæ.

IN Gallia aliæ ſunt Eccleſiæ Regaliæ jam à longo tempore obnoxiæ: aliæ quæ cùm huic juri ſubjectæ olim eſſent, priſtinam libertatem per privilegia Regum, aut per contractus cum ijs initos recuperarunt: aliæ verò, quæ ab hac ſervitute omnino liberæ, nunquam ei ante noſtra hæc tempora ſubditæ ſunt. Eas omnes præſens catalogus exhibebit.

Eccleſiæ Juri Regaliæ ex antiqua conſuetudine obnoxiæ.

In Provincia Senonenſi.

I. Senonenſis.

II. Trecenſis.

Extat tamen in promptuario antiquitatum Trecenſium Camuſati, Declaratio Philippi Auguſti, quòd Prabendæ, Archidiaconatus, & alia beneficia, tempore vacantis ſedis, futuro Epiſcopo reſerventur, ad conferendum quibus vellet.

In Provincia Pariſienſi.

III. Pariſienſis.
IV. Carnotenſis.
V. Meldenſis.
VI. Aurelianenſis.

Eccleſiæ per privilegia, & conceſſiones Regum à Regalia liberatæ.

I. Antiſſiodorenſis, *ex contractu & titulo oneroſo, ut patet ex Regeſto Cameræ computorum.*

II. Nivernenſis, *ſimiliter, ut creditur, ex titulo oneroſo.*

In Pro-

Digitized by Google

In Provincia Remenſi.

VII. Remenſis.

VIII. Bellovacenſis.

IX. Bononienſis.

X. Catalaunenſis.

In Eccleſia Cathedrali Catalaunenſi Regalia locum non habet in collationibus Præbendarum, ut judicatum eſt Arreſto Parlamenti Pariſienſis die 23. Aprilis anno 1643. quòd illas non conferat Epiſcopus, ſed Capitulum: id quod peculiare eſt huic Eccleſiæ, cùm in aliјs juri Regaliæ ex antiqua conſuetudine obnoxiјs, ſoli fere Antiſtites Canonicatus & Præbendas Eccleſiarum Cathedralium conferant.

XI. Laudunenſis.

XII. Noviodunenſis.

XIII. Silvanectenſis.

XIV. Sueſſonienſis.

In Provincia Rothomagenſi.

XV. Rothomagenſis.

XVI. Ebroicenſis.

XVII. Lexovienſis.

XVIII. Sagienſis.

XIX. Bajocenſis.

XX. Conſtantienſis.

XXI. Abrincenſis.

In Provincia Turonenſi.

XXII. Turonenſis.

In Provincia Bituricenſi.

XXIII. Bituricenſis.

Olim Regalia in hac Eccleſia locum non habebat, ſaltem in collatione Præben-

III. Ambianenſis. *Ex privilegio Caroli IV. an. 1327. quod varijs Arreſtis Parlamenti Pariſienſis confirmatum eſt apud Choppinum lib. 1. de ſacra Polit. tit. 6. & Ægidium Le Maiſtre Tract. de Regalia.*

IV. Andegavenſis, *ſaltem quod ad collationem Beneficiorum attinet. Apud Ægidium Le Maiſtre.*

V. Cenomanenſis, *quod ſpectat ad collationem Beneficiorum. Apud eumdem Le Maiſtre, & ex inſtrumento inter Probationes libertatum Eccleſiæ Gallicanæ edito cap. 15. n. 7.*

darum,

Digitized by Google

darum, ut patet ex Arreſto tribus poſt Concilium Lugdunenſe annis lato.

XXIV. Claromontana.

Quondam libera erat à Regalia in collatione Præbendarum, & potiori parte redditnum, ut probat Arreſtum anno 1309. latum.

XXV. San-Floriacenſis.

Primùm Regaliæ non ſubjiciebatur, tum quòd ante annum 1317. quo ad titulum Epiſcopatus evecta eſt, Abbatia eſſet à Toparchis illius regionis fundata; tum quòd poſita ſit in ſuperiore Arvernia, quæ tota Jure civili ſcripto regitur, uti Occitania, & aliæ finitimæ Provinciæ, in quibus incognitum fuit jus Regaliæ.

In Provincia Lugdunenſi.

XXVI. Lingonenſis.

A Regalia immunis erat ex declaratione Philippi Auguſti ante Concilium Lugdunenſe edita. Sed à longo jam tempore huic oneri ſubjecta eſt.

XXVII. Cabillonenſis.

XXVIII. Matiſconenſis.

Probabile eſt utramque hanc Eccleſiam olim à Regalia immunem fuiſſe, cùm nulla earum mentio fiat in regeſto Cameræ computorum. De Matiſconenſi extat diploma Philippi Auguſti an. 1209. tom. 3. Galliæ Chriſtianæ, quo Pontio de Thoire Epiſcopo ejúſque ſucceſſoribus in perpetuum Regaliam remittit.

In Provincia Cameracenſi.

XXIX. Tornacenſis.

VI. Cameracenſis. *Ex regeſto Cameræ computorum.*

XXX.

XXX. Santaudomarenſis.

Epiſcopali dignitate donata eſt præterito ſæculo, ad poſtulationem Regis Hiſpaniarum, in cujus dominio erat: unde ab origine ſua Regaliæ non ſubjacuit. Sed cùm avulſa ſit ex antiqua Morinenſium Diœceſi, Regaliæ jampridem obnoxia, ei ſubdita eſt ab Officialibus regijs, poſtquam Sanctaudomarum in poteſtatem Regis Chriſtianiſſimi redactum eſt.

VII. Atrebatenſis. *Ex privilegio, quod conceſſit Philippus Auguſtus anno 1203. apud Choppinum lib. 1. de ſac. Polit. tit. 6. Idem confirmarunt per ſuas declarationes Philippus Pulcher anno 1302. & Carolus VI. anno 1392. & Parlamentum Pariſienſe per ſua Arreſta.*

Eccleſiæ à Regalia liberæ,

Neque huic unquam juri ante hæc noſtra tempora ſubditæ.

In Provincia Narbonenſi.

I. Narbonenſis.
II. Agathenſis.
III. Alectenſis.
IV. Biterrenſis.
V. Carcaſſonenſis.
VI. Lodovenſis.
VII. Monſpelienſis.
VIII. Nemauſenſis.
IX. Sancti Pontij de Tomerijs.
X. Ucetícenſis.

Ex regeſto Cameræ computorum: ex conſtitutione Philippi Pulchri anno 1303. ex declaratione Raymundi Comitis Toloſani anno 1209. longè ante Concilium Lugdunenſe facta; & ex perpetuo uſu.

XI. Elnenſis ſeu Perpiniacenſis.

Ex eadem declaratione Raymundi Comitis, & ex perpetuo uſu; cùm jus Regaliæ incognitum fuerit in Provincia Tarraconenſi, ad quam pertinebat Elnenſis Eccleſia, antequam Comitatus Ruſcinonenſis in dominium Regis Chriſtianiſſimi deveniſſet.

In Provincia Toloſana.

XII. Toloſana.
XIII. Vaurenſis.
XIV. Lombarienſis.
XV. Mirapicenſis.
XVI. Montalbanenſis.
XVII. Sancti Papuli.
XVIII. Rivenſis.
XIX. Appamienſis.

Ex iiſdem titulis, quibus Provincia Narbonenſis, ex qua Toloſa cum ſuis ſuffraganeis delibata eſt, & ad Metropolis dignitatem evecta à Joanne XXII. Pontifice Maximo.

Digitized by Google

In Provincia Auſcitana.

XX. Auſcitana.
XXII. Adurenſis.
XXII. Aquenſis.
XXIII. Baionenſis.
XXIV. Bajatenſis.
XXV. Convenenſis.
XXVI. Conſeratenſis.
XXVII. Lectoratenſis.
XXVIII. Laſcarienſis.
XXIX. Oleronenſis.
XXX. Tarbienſis.

Ex iiſdem titulis ac præcedentes Provinciæ, & ex uſu perpetuo.

In Bituricenſi Provincia.

XXXI. Albienſis, nunc Metropolis.
XXXII. Cadurcenſis.
XXXIII. Caſtrenſis.
XXXIV. Ruthenenſis.
XXXV. Mimatenſis.

Ex regeſto Cameræ computorum: ex declaratione Raymundi Comitis Toloſani; ex Arreſto Parlamenti lato anno 1272. hoc eſt, duobus annis ante Concilium Lugdunenſe, in cauſa Capituli Eccleſiæ Albienſis, ſede vacante; & ex uſu perpetuo.

XXXVI. Lemovicenſis.

Ex regeſto Cameræ computorum, & ex perpetuo uſu.

XXXVII. Tutellenſis.

Eodem titulo, cùm diſtracta fuerit ex Diœceſi Lemovicenſi & Epiſcopatus honore donata à Joanne XXII.

XXXVIII. Vabrenſis.

Ex iiſdem titulis, cùm diſtracta fuerit ex Diœceſi Ruthenenſi, & ad dignitatem Epiſcopalem evecta ab eodem Joanne XXII.

XXXIX. Anicienſis.

Ex iiſdem titulis ac præcedentes, & ex celebri Arreſto Parlamenti lato tempore ſancti Ludovici, & litteris patentibus ejuſdem ſancti Regis confirmato, quo, poſt legitimam inquiſitionem factam, certorum quorumdam bonorum redditus Regi adjudicati ſunt; in reliquis verò nominatim in collationibus Præbendarum, pro libertate Eccleſiæ pronuntiatum eſt.

In Provincia Arelatenſi.

XL. Arelatenſis.
XLI. Maſſilienſis.
XLII. S. Pauli Tricaſtinenſis.
XLIII. Tolonenſis.
XLIV. Arauſicana.

Ex regeſto Cameræ computorum: ex declaratione Raymundi Comitis Toloſani, & ex conſtitutionibus Frederici II. Imperatoris, cui ſuberat Arelas titulo regni decorata; & ex perpetuo uſu.

In Provincia Aquæ-Sextienſi.

XLV. Aquæ-ſextienſis.
XLVI. Aptenſis.
XLVII. Forojulienſis.

XLVIII.

XLVIII. Vappincenſis.
XLIX. Regienſis.
L. Ciſtarienſis.

Ex iiſdem Conſtitutionibus Frederici II. Imperatoris, & ex perpetuo uſu.

In Provincia Viennenſi.

LI. Viennenſis.
LII. Valentinenſis, & Dienſis.
LIII. Gratianopolitana.
LIV. Vivarienſis.

Ex iiſdem Conſtitutionibus Frederici Imperatoris, cùm Delphinatus feudum eſſet Imperij, antequam donatione ab Humberto facta anno 1349. Chriſtianiſſimorum Regum coronæ acceſſiſſet: & ex uſu perpetuo.

In Provincia Ebrodunenſi.

LV. Ebrodunenſis.
LVI. Dinienſis.
LVII. Glandatenſis.
LVIII. Graſſenſis.
LIX. Vencienſis.
LX. Senecenſis.

Ex iiſdem titulis, ac provincia Viennenſis.

In Provincia Burdigalenſi.

LXI. Burdigalenſis.
LXII. Agennenſis.
LXIII. Engoliſmenſis.
LXIV. Condomienſis.
LXV. Lucionenſis.
LXVI. Rupellenſis.
LXVII. Petracoricenſis.
LXVIII. Pictavienſis.
LXIX. Sanctonenſis.
LXX. Sarlatenſis.

Ex regeſto cameræ computorum: ex declaratione Ludovici VI. Ludovici VII. anno 1138. ex ſolemni Arreſto Parlamenti lato anno 1277. pro Capitulo & canonicis Eccleſiæ Burdigalenſis, ſede vacante, adverſus Officiales Eduardi I. Regis Angliæ & Ducis Aquitaniæ; & ex uſu perpetuo uſque ad annum 1596. quo Gallia civilibus bellis adhuc flagrante, Parlamentum ſuo Arreſto pronuntiavit: Archiepiſcopatum Burdigalenſem obnoxium eſſe juri Regaliæ, haud ſecus, atque alios Archiepiſcopatus & Epiſcopatus regni. *Qua de re Clerus Gallicanus, reddita pace, apud Henricum IV. conqueſtus eſt, qui anno 1606. publico Edicto declaravit:* Nolle ſe uti jure Regaliæ, niſi ea forma, qua ipſe Regéſque prædeceſſores uſi fuerant, nullatenus illud producendo in damnum Eccleſiarum, quæ illi non erant obnoxiæ.

In Provincia Turonenſi.

LXXI. Redonenſis.
LXXII. Nannetenſis.
LXXIII. Vannetenſis.
LXXIV. Maclovienſis.
LXXV. Dolenſis.
LXXVI. Leonenſis.
LXXVII. Trecorenſis.

LXXVIII. Briocenſis.
LXXIX. Coroſopitenſis.

Hi novem Epiſcopatus Britanniæ minoris, ſeu Armoricæ eatenus Regaliæ primum obnoxij erant, ut Eccleſiarum vacantium redditus à Ducibus Britanniæ, aut eorum Officialibus adminiſtrarentur, & deductis impenſis, ſucceſſoribus redderentur Epiſcopis. Unde in regeſto Cameræ computorum inter Eccleſias à Regalia liberas nominatim recenſentur. Excipiuntur etiam ab Ægidio Le Maiſtre in Tractatu de Regalia, & à Philippo Probo quæſt. 60. art. 37. De ijs vide Choppinum lib. 1. de ſacra Polit. num. 20. Cardinalem D'Oſſat Ep. 293. Cæterum tota hæc Provincia Arreſto Parlamenti Pariſienſis die 23. Decemb. anno. 1598. lato Regaliæ onus ſubire coacta eſt: qua de re Clerus Gallicanus poſtmodum querelas ſuas detulit ad Henricum Magnum, à quo ſupra memoratum edictum anno 1606. ad tuendam Eccleſiarum libertatem impetravit.

In Provincia Trevirenſi.

LXXX. Metenſis.
LXXXI. Tullenſis.
LXXXII. Virdunenſis.

Ex Conſtitutionibus Frederici Imperatoris, & perpetuo uſu, etiam poſtquam præterito ſæculo regno Franciæ additæ ſunt: à qua libertate tantum paucis abhinc annis exciderunt.

In Provincia Moguntinenſi.

LXXXIII. Argentinenſis.

Ex Conſtitutionibus Frederici Imp. & perpetuo uſu.

In Provincia Veſuntionenſi.

LXXXIV. Veſuntionenſis.
LXXXV. Bellicenſis.

Ex eodem titulo ac præcedentes Eccleſiæ, & ex perpetuo uſu, qui in Eccleſia Bellicenſi abruptus eſt anno 1608. famoſo illo Arreſto Parlamenti Pariſienſis, quo occaſione cujuſdam litis in publicum auditorium deductæ, ſine alia cauſæ cognitione, nec citatis vel auditis Cleri Gallicani Procuratoribus, ad requiſitionem Advocati generalis fiſci regij, pronuntiatum eſt, jus Regaliæ competere Regi in Eccleſia Bellicenſi, quemadmodum & in alijs omnibus Eccleſijs Cathedralibus ſui regni, interdictúmque Advocatis, ne quid poſthac huic deciſioni contrarium proponerent. Qua de re conquerente Clero Gallicano, Henricus IV. vetuit, ne illud Arreſtum executioni mandaretur, & Parlamento ejuſmodi cauſarum cognitione interdixit, quas ad ſupremum regij Conſiſtorij tribunal evocavit.

In Provincia Mechlinienſi.

LXXXVI. Iprenſis.

Evecta eſt ad dignitatem Epiſcopalem à Paulo IV. anno 1559. ad poſtulationem Regis Hiſpaniæ. Unde ab origine libera fuit à jugo Regaliæ, quod tamen jam ſubire cogitur, poſtquam anno 1678. Franciæ bello quæſita eſt.

In Pro-

In Provincia Lugdunenſi.

LXXXVII. Lugdunenſis.
LXXXVIII. Auguſtodunenſis.

Hæ duæ Eccleſiæ mutuo hoc jure utuntur, ut vacante ſede Epiſcopali Auguſtodunenſi, Archiepiſcopus Lugdunenſis plenam ejus adminiſtrationem habeat, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, atq; etiam in collationibus Beneficiorum; & viciſſim Epiſcopus Auguſtodunenſis in Eccleſia Lugdunenſi, ubi vacaverit ſedes Archiepiſcopalis: idque à quingentis fere annis Philippi Auguſti diplomate ſancitum eſt, ac duobus Parlamenti Pariſienſis Arreſtis noſtrâ hac ætate latis, videlicet die 11. Maij anno 1630. & 1. Auguſti 1667. confirmatum.

Ex hac enumeratione patet, in dominio Regis Chriſtianiſſimi non amplius, quam triginta eſſe Eccleſias, in quibus Regalia ex antiqua conſuetudine locum habeat; novem verò eſſe Provincias Eccleſiaſticas ſolidas, nempe Narbonenſem, Toloſanam, Auſcitanam, Albienſem, Arelatenſem, Aquæſextienſem, Viennenſem, Ebrodunenſem, Burdigalenſem; Eccleſias autem univerſim octoginta octo à Regalia prorſus liberas: quibus ſi ſeptem illas adjicias, quæ per privilegia Regum, aut contractus cum ijs initos ab eo onere liberatæ ſunt, nonaginta quinque liberas reperies. Unde ſi omnium Eccleſiarum, prout nunc regnum ſe habet, rationem inieris, ex aſſe dodrantem, hoc eſt, ex quatuor partibus totam Eccleſiarum ſummam conficientibus, tres fermè invenies, quæ cùm à Regalia eſſent immunes, huic oneri ſuppoſitæ ſunt per regiam declarationem anni 1673. quâ jus iſtud ad omnes regni Eccleſias productum eſt, inſuper habito Concilij Lugdunenſis decreto, quo ejuſmodi Regaliæ extenſio ſeu uſurpatio ſub excommunicationis pœna prohibetur.

Digitized by Google

PRÆCIPVA DOCUMENTA

AD

Hanc Regaliæ cauſam ſpectantia, quæ ſuperſtitibus adhuc Reverendiſſimis Epiſcopis Alectenſi, & Appamienſi edita ſunt, quorum pleraque ex Gallico idiomate tranſlata ſunt in Latinum.

Documentum I.

Mandatum Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Nicolai Pavillon Epiſcopi Alectenſis contra eos, qui obtentu Regaliæ Alectenſis Eccleſiæ Beneficia occupabant.

NIcolaus Dei miſeratione Epiſcopus Alectenſis, Chariſſimis & Dilectiſſimis Fratribus Eccleſiæ noſtræ Cathedralis, & collegij S.Pauli Canonicis, Archipresbyteris, Rectoribus, Vicarijs, aliiſque Perſonis Eccleſiaſticis Salutem & Benedictionem. Quoniam ex querelis, à Promotore hujus Diœceſis ad aures noſtras delatis, intelleximus, quamplures ſubreptitiè, titulóque Regaliæ, non pauca Beneficia, ſive Dignitates illæ ſint, ſive Canonicatus, tam in Cathedrali, quàm in Collegiata S.Pauli Eccleſia obtinuiſſe, imò conatos inſuper eſſe, ut obtentu dictæ Regaliæ eorundem Beneficiorum Poſ-

ſeſſionem

ſeſſionem caperent; idque non attento, quòd major præfatorum Beneficiorum pars per Canonicam legitimámque Inſtitutionem, jam in alios ſit collata, iíque longo annorum curſu pacificâ eorundem Poſſeſſione fruantur; id verò ad manifeſtam invaſionem, & uſurpationem jurium Eccleſiaſticorum pertineat, ac antiquis juribus, Canonicæque libertati adverſetur Provinciæ Narbonenſis, quæ non ſolùm cùm proprijs privatiſque Dominis ſerviret, verùm etiam poſteaquam imperante Ludovico ſancto Coronæ Gallicæ juncta eſt, nunquam Regaliæ ſubjacuit; imò ejuſdem Ludovici, ejúſque Succeſſorum Regum patrocinio, antiquas ſuas immunitates ac jura retinuit, præſertim quoad illa, quæ Regaliam ſpectant, ac etiam per litteras patentes Philippi Pulchri de anno 1303. earundem immunitatum ac Privilegiorum confirmationem accepit, & diuturnâ, ac immemoriali poſſeſſione libertatem ſuam præſcripſit; imò quantumvis hujus Provinciæ jura minùs firma eſſent, minúſque fundata, quàm reipsâ ſint, cui tamen mirum novúmque, & hactenus inauditum non accidat, poſt ſex & triginta annos, quibus huic Epiſcopatui præeſſe cœpimus, eóque pacificè totidem annorum curſu potiti ſumus, ac omnia Beneficia contulimus, nullo Regaliæ impedimento, eandem Regaliam perinde ac vacante Eccleſiâ in noſtra Diœceſi aperiri? Quanto ergo hujuſmodi attentata plus habent novitatis, magíſque in Eccleſiæ præjudicium vergunt, tanto magis noſtrarum partium eſt, ut illa in ipſis initijs ſuffocemus, præſertim cùm titulo Regaliæ jam ſibi videantur poſſeſſionem vendicâſſe in aliquibus Eccleſiæ noſtræ Beneficijs, videlicet, Cimmeliarchatûs noſtræ Cathedralis, quem Clericus aliquis Tholoſanus reſignandum ſibi curavit Regaliæ obtentu, ac inſuper fructus uſurpare conatur, non obſtante Mandato & Interdicto noſtro, quo, ne deinceps virtute

tute Regaliæ, ſecutæque Poſſeſſionis functionibus illius Beneficij ſe ingerere præſumeret, ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrendæ diſtrictè prohibuimus. Alterum Beneficium eſt, cui cùm à ſua fundatione cura animarum annexa ſit, habeátque aliquos Parochianos, quantumvis parvo numero ſubjectos, jam tamen per aliquos annos à Perſona laicæ conditionis poſſeſſum eſt, &ab hac ad aliam tranſijt, ne nomine quidem notam. Quæ omnia, niſi remedio aliquo opportuno corrigantur, neceſſe tandem eſt, ut in maximum Eccleſiæ, dictorúmque Capitulorum, ac Diœceſeon damnum & confuſionem redundent. Quæ cùm ita ſe habeant, præfatus Diœceſis noſtræ Promotor inſtanter rogavit, ut ad hunc effectum auctoritatem noſtram interponere dignaremur.

Nos ergo precibus ejuſdem Promotoris permoti, & præſertim hujuſmodi Regaliſtarum injuſtis conatibus obviare, ijs verò, qui de præfatis Beneficijs canonicè inveſtiti ſunt, ne quidquam moleſtiæ patiantur, providere cupientes, ac inſuper, quantum in nobis eſt, ac juxta obligationem nobis ex Divinæ Legis, ſacrorúmque Canonum præſcripto impoſitam, jura & libertates Eccleſiæ noſtræ illibata conſervare; Capitulis Eccleſiæ noſtræ Cathedralis, ac Collegiatæ S. Pauli iterum inhibemus, prout jam aliàs inhibuimus, ne quemquam eorum, qui ſubreptitiè, ac prætextu Regaliæ Collationes, aut nominationes impetrârunt, in præfata Beneficia recipiant, in chorum, aut capitulum, aliáſve functiones eorundem Beneficiorum admittant, ſub pœna ſuſpenſionis, quam ipſo facto incurrant, quicumque ad hujuſmodi receptionem aut inſtallationem auxilio, aut conſilio, aut alio quocúnque modo cooperati fuerint. Ipſis verò, ita ut prætactum eſt, Proviſis, ne ſe dictis Beneficijs ingerant, ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrendæ. Omnibus etiam Per-

ſonis

ſonis Eccleſiaſticis æquè prohibentes, ne quocúnque modo, ut præfatum eſt, Proviſis, conſilium, aut auxilium præſtent in capienda Poſſeſſione, idque ſub pœna ſuſpenſionis æquè ipſo facto incurrendæ. Mandamus etiam Sacerdoti, ad quem notitia iſtarum primò pervenerit, aut aliàs cuicúnque Clerico tonſurâ inſignito, ut omnes actus, aut aliàs quidquid ad hujus Mandati noſtri promulgationem neceſſarium fuerit, diligenter expediat, aut expediri faciat. Datum Alecti in noſtris Ædibus Epiſcopalibus die 5. Martij Anno 1675.

(L. S.)

Nicolaus Epiſcopus Alectenſis.

& infrà

Ad Mandatum Illuſtriſſimi

Mercier.

Documentum II.

Epiſtola Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Nicolai Pavillon Epiſcopi Alectenſis ad Conventum Generalem Cleri Gallicani.

8. Julij Anno 1675.

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini.

QUia certum & perſuaſum omnino habeo, nihil vobis antiquius, ac æquè cordi eſſe, quàm ut jura & diſciplinam Eccleſiaſticam illibata conſervetis, ideò imperare mihi non poſſum, quin in ſinum veſtrum querelas meas effundam, doceámque, quæ hiſce diebus immunitati ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ æquè funeſta contigêre. Primum eſt, Tholoſanum quemdam Clericum auſum eſſe, me abſente, Eccleſias Diœceſis meæ Viſitationis causâ obeunte, obtentu Regaliæ in unam hujus Cathedralis Eccleſiæ Dignitatum irrumpere, ejúſ-

que poſſeſſionem captare. Equidem diſſimulare hanc invaſionem non potui, niſi officio ac partibus meis deeſſe vellem; & ideò edita in prætenſum hunc Regaliſtam Inhibitione, (cujus hîc copias adjungo) & illi, ne ſe in illius Beneficij functiones ac munia ingerat; & Capitulo Eccleſiæ meæ Cathedrali, ne illum recipiat, ſeriò ac enixè præcepi. Nec opus eſt, credo, ut vobis, Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini, hujus Inhibitionis meæ cauſas & momenta enumerem; ſunt enim illa ipſa, quæ lapſis retrò annis Cleri Gallicani Conventus impulerunt, ut ad conſervandas in hac re non ſolùm Provinciæ Narbonenſis, ſed aliarum etiam Provinciarum, ac particularium Eccleſiarum immunitates tanto Zelo tantáque contentione incumberent. Et ego impetrare à me non potui, ut non imitarer ejuſdem Cleri exempla, eodémque Spiritu animarer, cujus tot notas ac inſignia monumenta leguntur in ultima Compilatione, juſſu Cleri impreſſa. Optâſſem ego quidem, ne cogerer hanc glaciem primus rumpere; quamvis enim maximi momenti ſit Regaliæ cauſa, nec ad meam tantùm Diœceſim, ſed ad plures integráſque Provincias, ac etiam Eccleſias particulares pertineat; nondum tamen mecum planè ſtatueram, quam in hac cauſa oporteret me faciem induere: ídque ſolùm agebam, ut inter tacitas preces lacrymáſque Deo rem totam commendarem, utpote qui omnium Principum corda, in ſua poteſtate ac arbitrio habet, quíque Concilijs Epiſcoporum præſidet, ut is videlicet & Regi ſenſa inſpiraret illius juſtitiâ & pietate digna: & Conventui veſtro media & rationes oſtenderet, jura ac libertates Eccleſiæ fortiter aſſerendi. Sed ecce! ab hac animi ambiguitate inopinatus me eventus liberavit; novus enim ille Regaliſta auſus eſt unam ex Eccleſiæ meæ Cathedralis Dignitatibus occupare, ejúſque poſſeſſionem, perinde,

ac

Digitized by Google

ac ſi Sedes Epiſcopalis vacaret, invadere; neque hoc ſolùm, verùm etiam aſſerere, hanc Provinciam non obſtante antiquâ libertate, & poſſeſſione memoriam hominum excedente, aliíſque tot authenticis titulis, Regaliæ obnoxiam eſſe, imò Regaliam in mea Diœceſi jam eſſe apertam, quam tamen triginta ſex annos pacificè gubernaveram, ac Beneficia omnia poteſtati meæ obnoxia, nullo repugnante contuleram.

En Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini, primum querelarum mearum caput, quod neceſſariò inſinuandum illis credidi, eóſque ſupplicare, ut ſuam mihi auctoritatem, ac protectionem dignarentur impertiri.

Alterum eſt, quòd D. Baro, & Vicarius Generalis Domini Epiſcopi *Mirapicenſis* non dubitaverit Proviſionem Regaliſtæ cujuſdam ad Canonicatum Eccleſiæ Collegiatæ Diœceſis meæ ratam habere, cui tamen haud ignorabat, nec me, nec Vicarium Generalem Domini Cardinalis Bonzij Archiepiſcopi Narbonenſis ſubſcribere voluiſſe. Simile exemplum in monumentis Conventûs Anni 1660. reperire eſt Vicarij Generalis Mirapicenſis, ob ſimilem omnino errorem notati. Et quia in quamplurimis Cleri Gallicani Conventibus contra hujuſmodi conatus remedia quæſita ſunt, ac Decreta ſancita; credidi incumbere mihi neceſſitatem, caſum, qui nuper in hac materia contigerat, quíque ex circumſtantijs, quæ illum comitatæ ſunt, multo gravior evaſit, vobis inſinuandi; ſpero enim, nec curam, nec remedia vobis defutura, quibus hujuſmodi exceſſibus impoſterum caveatur. Supererant alia quædam Vobis communicanda, ſed ea Domino Epiſcopo *de Beziers*, aliàs hujus noſtræ Provinciæ Deputato confidenter aperui, rogavíque, ut in Comitijs exponeret. Nolo Vos amplius morari, finióque has meas inter preces ac vota, quas pro

omnibus illis,qui illuſtrem hunc Senatum componunt,inceſſanter effundo, ſimúlque, quâ maximâ poſſum, demiſſione, ac reverentiâ, ſum, eróque ſemper.

Alecti 8. Julij 1675.

Humillimus ac Obedientiſſimus
Servus
Nicolaus Epiſcopus Alectenſis.

Documentum III.

Epiſtola Epiſcopi Alectenſis ad Eminentiſſimum Cardinalem Petrum de Bonzy Archiepiſcopum Narbonenſem,

8. Julij Anno 1675.

Bini eventus, qui paucos ante dies Apamienſem Eccleſiam turbavêre, impulerunt me, ut ad Comitia Generalia Pariſijs congregata litteras darem, meáſque illic querelas deponerem. Unus eſt Tholoſani cujuſdam Clerici, qui titulo Regaliæ unam ex Eccleſiæ noſtræ Cathedralis Dignitatibus obtinuit, ejúſque Beneficij poſſeſſionem cepit. Alter verò Carcaſſonenſis Clerici, cujus proviſionem æquè titulo Regaliæ obtentam Vicarius Generalis Mirapicenſis ratam habuit, quam tamen conſtabat & à me rejectam fuiſſe, & à D. Dumas Vicario Generali Eminentiæ Veſtræ. Quia verò utrúmque hoc factum ad publicam quietem, ac utilitatem ſpectat, & præſertim Narbonenſem Eccleſiam tangit, cui præeſt Eminentia Veſtra, credidi mearum eſſe partium, Eam omnium, quæ occurrunt, reddere certiorem. Et quidem nunquam opportunior ſe obtulit occaſio, quàm quæ modò affulget; cùm nemini dubium ſit, Epiſcopis, qui ad Comitia Generalia

Generalia convenêre, non modò juſtiſſimos titulos, verùm etiam auctoritatem ſuppetere, efficaciter magnóque cum fructu in hac cauſa laborandi; quod ſi modò facere omittant, verendum eſt, ne malum irreparabile evadat, ac remedij expers. Idipſum DD. Epiſcopis de Montpellier, & de Beziers hujus Provinciæ Deputatis per litteras inſinuandum duxi, à quibus plura, quæ ad hujus cauſæ ſtatum ac neceſſitatem pertinent, Eminentia Veſtra intelliget. Cui ego à Deo gratiam, luménque expoſco, ea omnia intelligendi, peragendíque, quæ ad majorem ejus gloriam, ac Eccleſiæ Suæ utilitatem conducere poterunt, ac pari reverentiæ, & ſinceri amoris ſenſu in æternum perſevero. Alecti 8. Julij 1675.

Humillimus & Obedientiſſimus Servus
Nicolaus Epiſcopus Alectenſis.

Documentum IV.

Epiſtola Reverendiſſimi Epiſcopi Alectenſis ad Dominum de Bezons Conſiliarium Statûs.

30. Maij. Anno 1676.

Litteras quinto Maij ad me datas, elapsâ retrò hebdomadâ accepi, cùm domum ex itinere in Diœceſim meam ſuſcepto rediiſſem; illæ quidem novum titulum addidêre antiquis obligationibus meis, ob memoriam curámque mei, quam in illis prolixè abundéque oſtenditis. Id ergo agitis, ut quam mihi olim exhibuiſtis humanitatem, cùm Jus in hac Provincia diceretis, & cujus pretioſam adhuc memoriam retineo, nunc quoque exercere pergatis; quæ enim in cauſa Regaliæ, méæque nuper editæ Conſtitutionis tam ſollicitè

ſuggeritis, novum mihi præbent benevolentiæ veſtræ argumentum, & à me pari veneratione, & attentione accepta, atque expenſa ſunt. In ipſo epiſtolæ primo limine profitemini, non eſſe intentionis veſtræ, merita hujus cauſæ, & an Diœceſis noſtra Regaliæ ſubjaceat, diſcutere; illud tamen videri vobis, poſſe ac debere nos curare, ut Sacramentum fidelitatis in acta publica referatur; ſic enim omnem, quæ nobis impendet, tempeſtatem, diſcuſſum, ac poſſeſſionem Epiſcopatûs octo & triginta annos à nobis obtenti firmatum iri. Optâſſem equidem, ut poſtulatis tam ſincero animo factis acquieſcere, & cauſam Regaliæ à nova hac forma, & ſolemnitate juramenti fidelitatis ſeparare licuiſſet; ſed hoc ipſum eſt, cujus modum & rationem nunquam hactenus reperi; adeò enim unum cum altero connexum eſt, ut eodem momento, quo in juramentum conſenſero, cogar etiam in Regaliam, Regiámque Declarationem conſentire, quæ ad meam quoque Diœceſim Regaliam extendit. Ego, à quo tempore examinandam hanc quæſtionem ſuſcepi, ut tanto ſecurior videlicet, expérſque periculi in hac cauſa progrederer, Deóque, ac conſcientiæ meæ ſatisfacerem, fateor ingenuè, adeò me certum perſuaſúmque eſſe redditum, Diœceſim meam à Regalia immunem eſſe, ut non ampliùs de illius libertate dubitaverim; néque id tantùm de particulari Eccleſia mea, ſed de tota Narbonenſi Provincia, cujus quoque immunitas non privilegio, non contractu aliquo nititur, ſed innatâ & coævâ, atque ab ipſa fundatione, in hanc uſque diem acceptâ productâque libertate. Ipſa Metropolitana Narbonenſis Eccleſia, quæ omnium in hoc Regno ferè antiquiſſima eſt, & à qua mea Alectenſis originem duxit, cum hac libertate nata eſt, eámque & priùs quam Coronæ uniretur, & poſtquam unita eſt, Ludovico ſancto regnante Regum patrocinio retinuit,

Digitized by Google

nuit, præſertim poſt Lugdunenſe Concilium, quo Regalia prohibebatur in alia loca, quàm quæ illam uſu recepiſſent, extendi; nec exemplum ullum oſtendi poterit, violatæ tam ſacræ, & antiquæ poſſeſſionis. Id quod Dominus de Marca tam in quadam Deductione ad preces Conventûs Cleri Gallicani de anno 1655. edita, quàm in octavo libro de Concordia Regni, & Sacerdotij præclarè oſtendit; ſuppetúntque quàm plurima iſtius rei monumenta in actis Cleri Gallicani. Hæ, præter alias, ſunt rationes, quæ moratæ me ſunt, ne paterer juramentum fidelitatis in acta publica referri, néque Regiæ Declarationi acquieſcerem; cùm id facere haud poſſem, niſi conſcientiæ, ac officio meo deeſſe vellem. Sed nec animus mihi erat ulteriùs progredi, ſi modò per aliorum importunitatem licuiſſet. Ij enim eâ uſi occaſione, quòd juramentum fidelitatis inſcribi noluiſſem, perinde ac ſi Sedes vacaret, quam tamen triginta & octo annos jam impleo, Beneficia Diœceſis meæ, titulo Regaliæ obtinere conati ſunt, eorúmque capiendæ Poſſeſſioni certatim advolârunt. Id me in neceſſitatem inevitabilem conjecit, mentis meæ enixiùs declarandæ; idem quippe futurum erat in hoc rerum ſtatu, ſilentium tenere, quod Regaliam agnoſcere, meámque Eccleſiam prodere. Statui ergo ad Comitia Cleri Generalia, quæ in oppido S. Germani convenerant, litteras exarare, ut exemplo videlicet aliorum retrò Comitiorum hanc cauſam amplexarentur, Regiámque Majeſtatem convenirent, Eíque rei momenta exponerent. Scio quidem Conventum Cleri ſolutum eſſe, Rege ſuper cauſa tam juſta támque neceſſaria nunquam adito; nec immoror examinandis cauſis, quæ Clerum retinuerint, ne Regem convenirent, diſcederéntque re infectâ, remedijs non ſolùm non applicitis, ſed fortè ne quidem tentatis. Id ſolùm dicam, cùm paucos poſt menſes in-

intellexiſſem, plura Diœceſis, & Cathedralis Eccleſiæ meæ Beneficia titulo Regaliæ collata eſſe, atque hujus Proviſionis intuitu legitimos, canonicéque inſtitutos Poſſeſſores expulſum iri, credidi neceſſitatem mihi incumbere, hujuſmodi uſurpatores arcendi, editâ nuper Conſtitutione, quæ ſola ſupererat ad jura Eccleſiæ meæ defendenda, impediendáſque tam irregulares injuſtáſque Proviſiones; nec ego ad hoc remedium priùs deveni, quàm reliquis deſtitutus, & neceſſitate adactus juſtæ defenſionis, & ſi rationes ac momenta expendantur, quæ ad id faciendum me impulerunt, nemo non fatebitur, nihil eâ Conſtitutione Regijs juribus detractum eſſe, ſed Eccleſiæ tantùm proviſum, ne læderetur; neque enim mihi animus fuit Regaliam, quatenus, & in quibus locis uſu recepta eſt, impugnare: illud tantùm contendi, non poſſe ſalvis juſtitiâ, & immunitate Eccleſiarum ad loca extendi hujus hactenus ſervitutis expertia, credidíque neminem ægro animo laturum, ſi neceſſitati, & obligationi meæ obſequerer, & libertati Eccleſiæ meæ tuendæ ea remedia impenderem, quæ à Deo acceperam, præſertim cùm de jure ageretur tanti momenti, & tot annorum poſſeſſione firmato. Neque hæc perſuaſio privata tantùm, & mea eſt, ſed omnium ferè Epiſcoporum, qui non verentur, ubi occaſio tulerit, eam palàm explicare, quanquam ob varias rationes paſſi ſint juramentum fidelitatis inſcribi; imò nec defuerint, qui ut juribus Eccleſiarum ſuarum caverent, proteſtati ſint, eámque proteſtationem in archivia condiderint, parato in futurum præſidio. Denique jus hoc Immunitatis à Regaliæ ſervitute adeò clarum & perſpicuum eſt, ut nihil aliud credi dicíque poſſit, quàm nunquam illud, quale reverà eſt, Regi exhibitum propoſitúmque fuiſſe: quin potiùs, ut ex Regia Declaratione conſtat, Regi perſuaſerunt, Regaliam jus eſſe Coronæ Gallicæ

Gallicæ coævum innatúmque, ſicque non minùs, quàm Regia ipſa poteſtas, totâ Galliâ extenſum; & tamen hæc, quæ pro certis ſupponuntur, adeo à vero aliena ſunt, ut & hiſtoriæ, & Lugdunenſis Concilij, & antiquorum, ac recentium Galliæ Regum edictorum, & rationum Cameræ Pariſienſis, & ſententiarum trium ferè ſæculorum curſu in Parlamentis dictarum, & denique Celebriorum, qui de hoc argumento ſcripsêre, auctorum teſtimonijs contrarium manifeſtè oſtendatur.

Sed & illud perperàm factum, quòd Eccleſias obſtrinxerint ad producendos titulos, & rationes ſuarum Exemptionum, perinde ac ſi alijs Eccleſijs ſimiles eſſent, quæ cùm olim Regaliæ ſubjacerent, eſſéntque in Provincijs huic ſervituti obnoxijs, libertatem tamen ſuam, aut contractibus oneroſis, aut Regum privilegijs redemêre; & tamen, uti ſæpe notatum à me eſt, Diœceſis Appamienſis, alíæque Narbonenſis Provinciæ Eccleſiæ, non privilegijs, aut contractibus, quòd Regaliæ ſint expertes, ſed immunitati, ac libertati naturali debent, nunquam hactenus interruptæ. Poſtquam ergo Eccleſias naturâ, & origine ſuâ liberas cum ijs confuderunt, quæ hanc libertatem titulo aliquo particulari adeptæ ſunt, illud poſteà adjecêre, ut eas ipſas Eccleſias, non obſtante immemoriali, ac continuâ poſſeſſione, Regaliæ eo prætextu ſubmitterent, quaſi Regalia ex ijs juribus eſſet, quæ nec præſcribi, nec alienari poſſunt; hæc verò ratio id omnino ſupponit, quod priùs probandum erat; priùs enim probandum erat omnes Regni Eccleſias Regaliæ ſubjectas eſſe, & tunc modò quærendum, an hoc jus præſcribi ab Eccleſijs contra Regem, & à Rege in Eccleſias alienari potuerit. Hæc ſi Regi ſuggeſta fuiſſent, nimium ille juſtitiæ ac religionis habebat, ut Eccleſias eâ libertate, quam ab origine & fundatione ſua, omniúm-

que Galliæ Regum patrocinio obtinuerant, privatas vellet. Hæc ego tanto libentiùs, majoríque fiduciâ vobis commemoro, quòd cùm multis annis huic Provinciæ gubernandæ præfueritis, ejuſdem jura, moréſque, præſertim in ijs, quæ Regaliam ſpectant, comperta habeatis. Nec credo hanc meam agendi ſcribendíque libertatem ingratam ipſi Regi futuram; imò ubi intima hujus cauſæ momenta, ſinúmque perſpexerit, credo equidem, quæ hactenus à me peracta ſunt, rata habiturum, adſcripturúmque inviolabili in Ejus Majeſtatem obſequio, immenſóque deſiderio ſolidæ veræque Ejus gloriæ proferendæ. Finio, méque amicitiæ veſtræ, quam perpetuam cupio, enixè commendo, plenúſque reverentiæ, ac gratitudinis æternùm perſevero.

Alecti 30. Maij. 1676.

Humillimus & Obedientiſſimus Servus

Nicolaus Epiſcopus Alectenſis.

Documentum V.

Secunda epiſtola ejuſdem Alectenſis Epiſcopi ad Eminentiſſimum Cardinalem de Bonzij Archiepiſcopum Narbonenſem.

Die 8. Junij. Anno 1676.

Monita, quæ Eminentiæ Veſtræ placuit circa nuperam Conſtitutionem meam ad Regaliam ſpectantem per unum è Vicarijs ſuis mihi ſuggerere, cum ingenti animi ac reverentiæ ſenſu accepi, eumdémque rogavi, ut meo nomine Eminentiæ Veſtræ gratias referret; dum interim ego maturè, ac coram Deo re omni expensâ ſtatuere mecum poſſem;

poſſem; quid ad propoſita reſpondere oporteret, ídque poſteà Eminentiam Veſtram per litteras edocerem. Et verò poſtquam omnia ad animum revocavi, & quidquid in utrámque partem afferri dicíque poterat, accuratè ac lentè diſcuſſi; fateor mihi nihil ex omnibus, quæ afferebantur, dignum occurriſſe, quo ad mutandam primam ſententiam, meámque Conſtitutionem revocandam moveri poſſem. Igitur de Canonica libertate non meæ tantùm, ſed omnium hujus Provinciæ Eccleſiarum, ſi ea, quæ in præfata mea Conſtitutione expoſui, vera ſunt, ſatis hoc erit, ut omnibus, qui modò judicio aliquo pollent, nec partibus addicti ſunt, juſta valénſque appareat; & planè ſiquis examinandæ huic quæſtioni animum adjiciat, fatebitur omnia, quæ à me illic producta ſunt, non vera tantùm, ſed & clariſſima, & certiſſima eſſe, nec alijs rationibus opus eſt, quàm ijs, quæ à Domino de Marca ad preces Conventûs Gallicani anno 1656. conſcripta, ac memoriæ commendata, quæque in libris de Concordia Imperij & Sacerdotij fuſiùs ab eodem producta ſunt, adjunctâ diſſertatione Domini Epiſcopi Montiſpeſſulani (quam in una ſeſſionum ejuſdem Conventûs peroravit) alijſque documentis titulíſque, quos inter acta & annales Cleri Gallicani reperire eſt. In his omnibus hujus Provinciæ libertas & exemptio clariſſimè apparet, non privilegijs, non Regum favore & beneficio quæſita, ſed naturali innatáque ac canonicâ, ipſâque fundatione ductâ libertate. Hanc ſibi adjunctam habuit, cùm ad coronam Gallicam pervenit, eodémque ferè tempore hanc ei Concilium Lugdunenſe confirmavit, quo ſub pœna excommunicationis omnibus, quantacunque dignitate florentibus, prohibitum eſt, ne Regaliam ad Eccleſias extenderent, hujus ſervitutis hactenus inſuetas; néve Prælati alijque gubernandis Eccleſijs admoti auxilio aut conſilio eam

Digitized by Google

promoverent, quin potiùs quantum pro virili obniterentur; ſed & Galliæ Reges Chriſtianiſſimi Decretis Concilij Lugdunenſis obſecuti, hanc ipſam libertatem intactam illibatámque Eccleſijs voluêre. Nam Philippus Pulcher, quamvis jus Regaliæ pro ijs Eccleſijs, in quibus hactenus uſu receptum fuerat, acerrimè tueretur, eâ tamen dato Diplomate (cujus Autographum in Archivijs Eccleſiæ Metropolitanæ Narbonenſis aſſervatur) hanc ipſam Eccleſiam minimè voluit; tantúmque abeſt, in hac libertatis ſuæ poſſeſſione quatuor ferè ſeculorum decurſu, quæ à Concilio fluxêre, turbatam eſſe, ut potiùs quamplurimis authenticis titulis legitimíſque documentis confirmata & ſtabilita ſit. Ecce, Eminentiſſime Cardinalis, Conſtitutionis à me editæ fundamenta. Ea verò nihil aliud complectitur, quàm quæ à jure communi Conciliόque Oecumenico quadringentis jam ferè annis totâ Galliâ recepto decreta ſunt. Hoc cùm animo reputarem, nunquam difficultates & pericula, quæ ex hac Regaliæ cauſa conſecutura prævidebam, tanti mihi viſa ſunt, ut removere me ab inceptis deberent. Explevi quæ conſcientiæ meæ ac officio paſtorali debui, cætera Divinæ providentiæ committo. Non ſum equidem rerum hujus Mundi adeò ignarus, ut non omnino occurrerint, quàm multa & gravia inſtarent mihi, ſi pergerem Regijs mandatis obluctari, cæterùm quoties Dei & juſtitiæ ac Eccleſiarum cauſa agitur, nihil eſt tam magnum arduúmque, quod morari ac perterrere nos debeat, præſertim cùm non ego me periculis ac pugnæ objecerim, ſed potiùs provocatus coactúſque in aciem proceſſerim, nec priùs loqui cœperim, quàm cùm ampliùs tacere non licuit; & tunc quoque, cùm loqui ac repugnare neceſſitas fuit, id ſolùm commiſi, ut Sacramentum fidelitatis non permiſerim in acta publica referri, id enim ſi permiſiſſem, hoc ipſo videbar in

Regaliam

Regaliam conſentire. Cùm verò ob neglectam hanc ſolemnitatem Regaliam in hac mea Eccleſia, cui quadraginta jam annis præfueram, apertam eſſe contenderent, ſcripſi ad Comitia Cleri generalia, rogavíque, ut in hoc Regaliæ negotio cauſam Eccleſiæ ſuſtinerent, ac Regi ſupplicarent, id enim ab alijs Cleri Conventibus ſemper hactenus obſervatum eſſe, eodémque tempore ad Eminentiam Veſtram ac hujus Provinciæ Deputatos litteras exaravi. Non immoror equidem examinandis cauſis, quæ Patres illius ſacri Senatûs permoverint, ut nec Rege admonito, nec proviſis remedijs Conventum abſolverint, cùm tamen ea cauſa eſſet, quæ præcipuè ad Clerum ſpectaret. Non ideò tamen minorem mihi credidi obligationem incumbere jura Eccleſiæ meæ defendendæ, quin potiùs tanto majorem eam eſſe cenſui, quanto minus auxilij ab alijs ſperarem, & cùm paulò pòſt certior redditus eſſem, quamplura ac præcipua Eccleſiæ Cathedralis ac Diœceſis noſtræ beneficia titulo Regaliæ collata eſſe, conſilium tandem cepi, Conſtitutionem meam in publicum edendi, cùm hoc unicum remedium ſupereſſet, quo libertatem ejuſdem Eccleſiæ tueri, turbáſque, quæ inſtare videbantur, avertere liceret. Scio objici mihi, quod etiam Eminentia Veſtra dignata eſt inſinuare, hanc cauſam à Regio Senatu in Judicio Contradictorio præſentibus Cleri Deputatis judicatam eſſe, ipſúmque Clerum agnoviſſe Regium tribunal, ſéque illi ſubmiſiſſe, non ergo licere ampliùs reclamare. Hæc oppoſitio quàm eſt ſpecioſa, tam fundamento ac ſoliditate caret. Nec enim in hac cauſa, ſi loqui propriè velimus, Regium forum Clerus agnovit, quippe qui Henricum IV. imploravit, ſuáſque apud eum querelas depoſuit adverſus Parlamenti Pariſienſis anno 1608. pronuntiatam ſententiam, quam Eccleſiæ libertatibus gravem, Regióque Henrici Edicto duos ante

annos vulgato, & cui Pariſienſe Parlamentum aliquandiu repugnavit, contrariam affirmabant; eaſdémque poſteà querelas apud Ludovicum XIII. glorioſæ memoriæ, ac regnantis Ludovici Patrem repetijt; íſque, ut publicis Cleri documentis conſtat, manum huic negotio finémq; per extraordinarios Commiſſarios (inter quos quamplures Antiſtites) apponere deſtinaverat, feciſſétque, niſi mors deſtinata prævertiſſet. Lites ac conteſtationes, quæ poſteà coram Senatu Regio agitatæ ſunt, vertebantur ſolùm inter particulares Regaliſtas ex una, promotóſque ab Ordinarijs ex altera partibus; non ideò tamen Clerus Gallicanus aut finem implorandi Regem fecit, aut libertatem Eccleſiarum Compromiſſo ſubmittere voluit, quam ſemper ut certam, nullíque dubio, aut liti expoſitam agnovit. Poterant ergo ſententiæ à Regio Conſilio latæ, & quibus Procuratores intervenerant, privatorum negotia litéſque finire; quippe cùm de dubijs incertíſque cauſis ageretur. Id verò ut ad omnia indiſtinctè negotia extendatur, etiam ad illa, quæ ſpiritualem Epiſcoporum auctoritatem ac Eccleſiarum immunitatem tangunt, quæque nullum prorſus dubium aut litem patiuntur; enimverò indignum id eſſet, plenúmque periculi. Nec verò Procuratorum interventus obligare Epiſcopos eorúmque Diœceſes potuit, cùm in hujuſmodi materijs nullam habeant Deputati, imò ne ipſa quidem Cleri Comitia, concludendi poteſtatem. Cauſa Regaliæ publica eſt, reſpicítque quinque aut ſex Eccleſiaſticas Provincias, compluréſque particulares Diœceſes, agitúrque de conſervandis Eccleſiæ non ſolùm redditibus temporalibus, ſed præſertim Dignitatum, Canonicatuum, aliorúmque principalium beneficiorum Collatione, quæ ſpirituale ac Hierarchicum quoddam jus eſt, nec libertas aut poſſeſſio, quâ Eccleſiæ hac in parte fruuntur, dubia aut

incerta

incerta eſt, ſed certa, notoria, ac omnino comperta; malè ergo Eccleſiæ negotium geſſiſſent, ſi illud judicio foróque ſubmitterent Regij Senatûs, & ſi demus id factum eſſe, ſemper tamen Epiſcopis, quorum intereſt, poteſtas fuit reclamandi revocandíque contra jus & canones geſta. Clero coram Regio tribunali nihil aliud præſtare licuit, quàm ut cauſæ momenta Principi exhiberet, ejúſque contra Regios Miniſtros libertati Eccleſiarum infeſtos opem invocaret, id quod præteritis etiam annis ab eodem Clero factitatum eſt, quando contra Pariſienſis Parlamenti ſententiam, Henrico IV. & Ludovico XIII. glorioſæ memoriæ Regibus ſupplicavit; intelligebat enim, juribus & libertatibus Eccleſiæ quamplurimum detrahi, imò aliquâ ratione ea deſeri prodíque, ſi, cùm certa, & indubia eſſent, pro incertis & indeciſis haberi pateretur, ac cognitioni Regiorum Miniſtrorum ſubmitteret, qui aliàs naturali quâdam propenſione feruntur Regum jura ultra terminos proferendi, & tunc præſertim, cùm non de Regis ſolùm, ſed etiam ipſorummet commodo & auctoritate agitur, ut in præſenti Regaliæ cauſa. Non ergo formalitates aliquæ, quas dicunt in præſenti negotio obſervatas eſſe, Epiſcopis opponi poſſunt, quò minùs reclamare, ſuarúmque Eccleſiarum jura ſuſtinere debeant, præſertim cùm Regijs Miniſtris jam ſolemne uſúque receptum ſit, ut quoties bellum Eccleſijs & earum immunitatibus fecerint, ſemper ſpeciem aliquam formámque juſtitiæ obtenderint; quam ſi morari Epiſcopi voluiſſent, nunquam cauſa Eccleſiæ contra eos, qui opprimere eam nitebantur, defenſa eſſet. Imò rem attentè conſiderantibus palàm eſt, hoc unum ex eorum artificijs fuiſſe, qui Eccleſijs Regaliam imponere moliebantur; ſenſim enim placidéque plures Procuratores, Prælatos & Capitula induxêre, ut judicio ſe ſiſterent Regij Senatûs, ſuæ-

que

que libertatis titulos & acta producerent, ac poſteà reclamare volentibus opponerent; cauſam hanc jam examinatam deciſámque in judicio Contradictorio fuiſſe; prævidebant enim, niſi hiſce compendijs uterentur, & aliquam juſtitiæ formam præferrent, nunquam ad optatum finem perventuros, & hâc ipsâ juſtitiæ ſpecie Regis animum occupârunt, effecerúntque ut in ſuas partes tranſiret; nec lucrari aliâ ratione eum poterant, quippe æqui juſtíque amantem; ac etiam cùm de ipſius commodis agitur, earum regularum, quæ ſemel conſtitutæ ſunt, obſervantem. Sed nec contenti in ijs, quæ ad formam modúmque pertinent, Regi imponere, id multò magis quoad ſuſtantiam ipſam fecère; ſuggeſſerunt enim Majeſtati Suæ, Regaliam jus eſſe Gallicæ coronæ coævum, eíque neceſſariò annexum, ac naturâ ſuâ univerſale, ac uniforme, totúmque Regnum complecti: quæ omnia planè nova dogmata ſunt, recénſque inducta, ac hiſtoriæ teſtimonijs, Oecumenici Concilij toto Regno recepti Deciſionibus, novis antiquíſque Regum edictis, authenticis Cameræ Pariſienſis documentis, Parlamentorum ab aliquot jam ſeculis arreſtis, ac denique Auctorum, qui de hoc Argumento ſcripſère, quíque inter præcipuos Senatores Regíſque Miniſtros numerabantur, ſententijs ac doctrinæ contraria. Præterea in hoc ipſo, quod nobis objiciunt, Regij Conſilij judicio Prælatos & Capitula ad producendos titulos, & alia ſuæ exemptionis documenta compulerunt, perinde ac ſi privatis privilegijs ac Contractibus (quemadmodum aliæ quædam Eccleſiæ Regaliæ olim ſubjectæ, & in Provincijs ſitæ huic oneri aſſuetis) libertatem ſuam debeant, cùm tamen ea potiùs ex natura Eccleſiaſticorum Beneficiorum, non aliunde proveniat, nec proinde alio titulo aut probatione, quàm naturalis ſuæ poſſeſſionis indigeat. Has verò Eccleſias poſtquam

Digitized by Google

quam in earum claſſem redegerunt, quæ particulari titulo à Regalia exemptæ ſunt, continuò adjecerunt, eas nihilominus Regaliæ ſubjectas eſſe, nec defendi poſſe continuâ & immemoriali poſſeſſione; quippe jus Regaliæ adeò coronæ annexum eſſe, ut nec alienari nec præſcribi poſſit: qua in ratiocinatione illud ipſum ſupponunt, quod probari, non ſupponi debuit; ſi enim jus Regaliæ nec alienari nec præſcribi potuit, ergo jus Regaliæ jam conſtitutum & ſtabilitum eſſe oportuit, id verò probari debuit, cùm in hoc ipſo tota lis & cardo hujus quæſtionis vertatur. Hæc ſi explicata Regi fuiſſent, noſtrarúmque Eccleſiarum jura & libertas, uti par erat, expoſita, nimium haberet ille æquitatis, ut umquam pati poſſet libertatem & prærogativam Eccleſijs adimi, quibus à prima fundatione fruebantur, quáſque alij retrò Reges intactas ſemper illibatáſque voluerunt. Id ergo unum ſupereſt, ut Regi vid. res tota, ejúſque fundamenta & rationes, uti ſe habent, ante oculos ponantur, nec verò aptior alius eſt, qui præſtare id poſſit, quàm Eminentia Veſtra; character quippe & dignitas Metropolitani, ac præſertim gratia, quâ apud Regiam Majeſtatem floret, Eminentiæ Veſtræ ante alios id præſtabunt, ut vid. & loqui de hac cauſa liberè audeat, & à Principe libenter gratéque audiatur. Dignata eſt jam aliquoties Eminentia Veſtra mihi ſignificare, gratum ſibi acceptúmque fore, ſi cùm neceſſaria aliqua occurrent, non omitterem eam ſubmonere; at verò nihil magis neceſſarium majoríſque momenti occurret, quàm quod præſens occaſio monendum offert. Libertas noſtrarum Eccleſiarum, quâ immunes à Regalia conſtituuntur, Depoſitum quoddam eſt fidei Epiſcoporum commiſſum, nobíſque obligatio incumbit integrum illud intactúmque Chriſto Jesu ſupremo Eccleſiarum Paſtori reſtituendi. Ego eâ jam ætate ſum, ut reddendis villicationis

meæ rationibus vicinum me ſentiam, nec aliud magis conſcientiam meam prægravaverit, quàm ſi contra officij mei debitum apertámque veritatem jura ac libertates Eccleſiæ meæ prodam. Nec ego ſum ſolus, cui hæc cauſa tantopere cordi ac curæ ſit; nam Eminentiam Veſtram non latet, quid plerique Epiſcoporum ſentiant, & quàm apertè, dum occaſio ſe offert, in hac cau[illegible] loquantur. Compertum quoque mihi eſt, nonnullos Epi[illegible]oporum ſcriptis proteſtatos eſſe, eáſque proteſtationes in [illegible]rchivia ſuarum Diœceſeon condidiſſe, ut hâc ſaltem ratione ſuarum Eccleſiarum juribus conſulerent. Me quod attinet, Deum enixè & ex intimo cordis precabor, ut quæ ad majorem ſui nominis gloriam, Eccleſiæ utilitatem, ac Conſcientiæ quietem faciunt, Eminentiæ Veſtræ inſpirare dignetur; ipſa interim dignabitur eodem, ut hactenus, affectu & benevolentiâ me proſequi; interim Reverentiæ ac venera tionis plenus ſum, & ero ſemper. Alecti 6. Junij 1676.

Eminentiæ Veſtræ

Humillimus ac Obedientiſſimus Servus

Nicolaus Epiſcopus Alectenſis.

Documen-

Documentum VI.

Prima epiſtola Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Nicolai Pavillon Epiſcopi Alectenſis ad Regem Chriſtianiſſimum.

28. Junij Anno 1676.

INgens reverentia, quam Majeſtati Veſtræ profiteor, ac etiam metus Eam, quo tempore graviſſimis Regni curis diſtinetur, intempeſtivè adeundi, me in hanc diem remorata eſt, ne, quod jam dudum animo deſtinaveram, exequerer, Eámque in cauſa Regaliam ſpectante litteris convenirem. Nunc verò poſteaquam eò res devenit, ut cogerer pro officij mei inſtituto ſuper hoc ipſo Regaliæ negotio decretum quoddam emittere, & illud vulgatum jam ſit, pervenerítque ad aures Majeſtatis Veſtræ; credidi non ampliùs calamum cohibendum eſſe; præſertim cùm mihi ſapientiam juſtitiam clementiámque Majeſtatis Veſtræ accuratè æſtimanti dubitare non liceat, benignè proníſque auribus auditum meiri, Eámque æqui boníque conſulturam, ſi quâ par eſt libertate ea in medium protulero, quæ huic materiæ elucidandæ ſervire poſſunt.

Enimverò in hac Regaliæ cauſa Eccleſiæ meæ, totiúſque Narbonenſis Provinciæ (quæ nunquam huic ſervituti ſubjecta fuit) præcipuum jus vertitur, ídque non Regum privilegio conceſſum, ſed naturali libertate, ſacríſque Canonibus nixum, & ipſi Eccleſiarum fundationi congenitum, quódque ſub primo, ſecundóque Regum Francorum ſtemmate Eccleſijs adhæſit, & tunc etiam, cùm ea Provincia ſuis, proprijſque Principibus ſubderetur; eandémque libertatem retinuit Ludovico IX. rerum potito, confectóque celebri illo de inveſti-

turis certamine, quod quinquaginta & amplius annos Eccleſiam juxtà, Imperiúmque colliſit; & dum illud præſertim flagraret, inſinuari paulatim Regalia cœpit, vicináſque Pariſijs Eccleſias corripere, eas præcipuè, in quibus non tam legibus, quàm conſuetudine, uſúque præſcripto vivebatur; nec tamen Ludovicus Sanctus Eccleſiarum Septimaniæ libertatem hac in re minui paſſus eſt, Rex videlicet, ut vitæ illius ſcriptores memorant, Eccleſiæ immunitatum obſervantiſſimus. Eadem Philippo Audaci Ludovici filio cura & ſtudium fuit, ſub cujus imperio, ejúſque legatis coram, in Lugdunenſi Concilio, ſolemni decreto ſancitum, vetitúmque eſt, ne quis Regaliam ijs Eccleſijs inferre auderet, quæ hactenus liberæ, exemptæque fuiſſent; præceptúmque Eccleſiarum Sacerdotibus, ut Regaliam proferre conantibus omni ſtudio, viribúſque obniterentur. Hoc Lugdunenſis Concilij decretum receptum in hoc Regno eſſe, obſervatúmque Majeſtas Veſtra haud ignorat, illique regiâ auctoritate fulciendo Philippi Regis, aliórumque ejus ſucceſſorum diplomata, & edicta acceſsêre; quippe Galliæ Reges contenti tunc temporis erant ijs locis privilegio Regaliæ frui, ubi hactenus uſu recepta fuerat; alijs verò abſtinebant hujus ſervitutis expertibus. Et ipſe quóque Philippus Pulcher quamvis acerrimè obſtitiſſet Bonifacio VIII. Regaliam evertere feſtinanti, intra tamen terminos ſtetit à majoribus ſuis obſervatos, imò libertatem hujus Eccleſiæ Narbonenſis ipſe datis patentibus litteris, quarum autographa in ejuſdem Eccleſiæ Archivijs detinentur, agnovit, approbavítque. Ab eo verò tempore uſque ad Majeſtatis Veſtræ imperium id ſemper obſervatum eſt, videlicet ut cùm dubitaretur, an aliquæ Eccleſiæ ſubjacerent Regaliæ, an verò liberæ eſſent, ad conſuetudinem velut ad Lydium lapidem reſpiceretur. Et denique ut difficultatibus indies

emer-

Digitized by Google

emergentibus occurri poſſet, deſignatio quædam in modum Edicti, aut Regiæ conſtitutionis prodita eſt, quæ omnes Eccleſias ſubjectas, liberáſque complectebatur; inter liberas verò ultimo illius conſtitutionis articulo Septimaniæ Eccleſias videre eſt. Eandem Regulam Carolus VI. Carolus VII. Ludovicus XI. & Ludovicus XII. Francorum Reges, & Majeſtatis Veſtræ anteceſſores ſecuti ſunt, qui omnes non ex alijs provincijs, aut Diœceſibus Regaliæ jus vendicare ſibi audebant, quàm ubi antiqua Conſuetudine jus illud inoleverat. Imò Ludovicus XII. (cui ob inſignem in ſuos clementiam, juſtitiámque Patris Patriæ cognomentum acceſſit) miniſtris ſuis ſub pœna ſacrilegij prohibuit, ne fructus Archiepiſcopatuum, Epiſcopatuum, aliarúmque Eccleſiarum occuparent, in quibus Regaliæ locus non eſſet.

Pariſienſe quóque Parlamentum in ſuis Senatûs-Conſultis ſeu Arreſtis jam ſupra trecentos annos hâc ipsâ moderatione uſum eſt, omnéſque Auctores, quotquot de hac materia ſcripsêre, quamvis Coronæ miniſtri, ac præcipuis in Senatu officijs fungerentur, id ſemper pro Maxima, certóque axiomate tradidêre, videlicet: Regaliam non eſſe jus aliquod univerſale, totóque Regno extenſum, ſed intra certos limites, numerúmque Eccleſiarum coerceri, quarum aliquæ exemptæ ſint, præſertim verò Provinciæ Narbonenſis, quæ jam à Concilij Lugdunenſis temporibus intactæ perdurârunt, illibatæque, & antiquæ libertati relictæ.

Hæc ſunt ſtrictim momenta rationéſque, quibus Eccleſiæ meæ aliarúmque iſtarum Provinciarum libertas innititur, quæque mihi animus fuit Majeſtati Veſtræ ſuggerere; explicavítque jam dudum in celebri libro de Concordia Regni & Sacerdotij (ubi libertates & jura Gallicanæ Eccleſiæ erudítiſſimè vindicantur) D. de Marca, cujus virtutem Majeſtas

Veſtra amavit unà ſuſpexítque; & auſim Majeſtati Veſtræ affirmare, quæ ab hoc præſtantiſſimo Antiſtite eo in libro de Regalia diſputantur, talia eſſe, támque compertæ veritatis, ut cui vacaverit ea cum aliqua cura evolvere, de Eccleſiarum noſtrarum libertate dubitare ampliùs non poſſit.

Hæc cùm mecum perpendo, cogor omnino credere, nunquam Majeſtati Veſtræ explicatum, oſtenſúmque fuiſſe, quibus momentis hæc cauſa niteretur. Imò potiùs Majeſtatis Veſtræ, quod ex nupera ejus Declaratione apparuit, Regaliam jus eſſe Coronæ innexum, atque coævum, ideóque naturâ ſuâ æqualis toto Regno ſimiliſque conditionis. Quæ tamen aliena omnino ſunt ab omni Hiſtoria, Concilijque Lugdunenſis decretis: ab antiquis, noviſque Regum conſtitutionibus, & Parlamentorum Arreſtis, omniúmque Auctorum placitis, qui de hac materia ſcripsère; ut mirum omnino ſit, Majeſtatis Veſtræ miniſtros ex principijs adeò falſis Eccleſiarum noſtrarum libertatem convellere aggreſſos eſſe.

Jiſdem nec melioribus fundamentis permoti ſunt, ut in ultima inſtantia, quæ in Regio Majeſtatis Veſtræ Senatu agitata eſt, Epiſcopis, & capitulis hujus Provinciæ neceſſitatem imponerent expromendi, proferendíque titulos ſuæ à Regalia exemptionis, perinde ac ſi iſta privilegijs, indultiſque Principum, aut contractibus quæſita eſſet, & non potiùs naturali ac Canonicâ, & in hunc uſque diem productâ libertate niteretur. Quo artificio palàm eſt, voluiſſe eos Eccleſias ſuâ naturâ liberas cum ijs confundere, quæ hanc libertatem titulo, & ratione aliquâ particulari adeptæ ſunt, ut deinde inferrent, nullâ poſſeſſione, nullâque præſcriptione, quantumvis longiſſimâ, & memoriam excedente, excuti jugum Regaliæ potuiſſe, quippe juris nec alienabilis nec præſcriptibilis; qua in re nemo non videt eos id ſupponere, quod maximè in quæſtione

quæſtione verſatur, probandúmque non ſupponendum erat; priùs enim oſtendi oportuit ſubſtitiſſe, agnitúmque Jus Regaliæ, quàm nec alienari, nec præſcribi poſſe. Imò ne quidem contra eas Eccleſias hæc ratio procedit, quæ à Regalia Principis privilegio liberatæ ſunt, ut videlicet ſpoliari eâ libertate poſſint, quâ tot annorum decurſu potiuntur; ſi enim nulla ratio, nulla æquitas permittit privilegia civitatibus, ſubditiſque conceſſa, & pacto firmata infringi, quanto minùs infringi poterunt Eccleſijs conceſſa, præſertim cùm ijs privilegijs id tantùm agatur, ut antiquæ & naturali libertati Eccleſiæ reddantur. Id planè Majeſtas Veſtra agnovit, quando paucis retrò annis prohibuit, ne Eccleſiæ Atrebatenſis exemptioni, quæ in his ipſis terminis verſabatur, quidquam detraheretur; palàm ergo eſt, Majeſtatem Veſtram ſi veritatem docta fuiſſet, multo minùs id circa Eccleſias permiſſuram, quæ totâ retrò antiquitate, & tam multis Regum edictis ac diplomatibus libertate fruebantur. Jam verò Majeſtatis Veſtræ aures Ejúſque religionem planè deceperunt, idque non tantùm ea ex parte, quæ ſubſtantiam, ſed etiam quæ modum ſpectat, hanc cauſam in judicio diſceptandi; eam quippe Majeſtatis Veſtræ Senatui obtulêre. Sententiam illic, legéſque accepturam, idque obtentu quarundam contentionum, quæ inter Regaliſtas vertebantur, legitimóſque beneficiorum poſſeſſores. At verò non eſt hæc cauſa, quam ex communibus Regij Conſilij regulis metiri oporteat; nec Clerus in eo Senatu aut Actoris, aut Rei partes, ſed ſupplicantis tantùm induerat, ut videlicet placeret Majeſtati Veſtræ, Suis miniſtris prohibere, ne porrò Eccleſias divexarent Regaliæ immunes. Hanc quóque viam ſub Henrico Magno item Clerus inſtiterat, quando porrecto Principi libello, Parlamenti Pariſienſis Arreſto, quod anno 1606. vulgatum fuit, adverſati ſunt: querebantur enim illo

non

Digitized by Google

non libertatem tantùm Eccleſiarum, ſed etiam Regium edictû duobus antè annis emiſſum, & cui ſubſcribere Parlamentum recuſaverat, oppugnari, perrexítque Clerus Patrem Majeſtatis Veſtræ ijſdem querelis pulſare, àquo anno 1629. declaratio prodijt, quâ profitebatur, nolle ſe Regaliâ frui, niſi intra limites, uſúmque elapſorum retrò annorum, hoc eſt juxta Henrici IV. edictum; nec illud jus ad loca proferre hujus ſervitutis hactenus expertia; id quod Principis juſſu Cleri deputatis à Galliæ Cancellario D. de Marillac expoſitum eſt. Sperabátque jam Clerus à tam pio, juſtóque Principe decretoriam tandem, ultimámque ſententiam, quæque pacem juxtà & libertatem Eccleſijs ſanciret Regaliæ immunibus; ſed quæ tam glorioſè Rex Chriſtianiſſimus animo conceperat, mors intercepit.

Hæc & alia plura ſi Majeſtati Veſtræ quâ oportuit integritate expoſita eſſent, quid aliud ab Ejus æquitate & clementia exſpectari potuit, quàm ut tam antiquam & Eccleſijs coævam libertatem, atque à Regibus prædeceſſoribus toties defenſam, Ipſa quóque conſervatam vellet, illibatámque? & quis dubitet non Eam id acturam, ut quod jam fecerat Ludovicus Juſtus, edicto Magni Henrici inhæreret potiùs, quàm Parlamenti Pariſienſis Arreſto, omnibus retrò Principum edictis, quadringentorúmque annorum Juriſprudentiæ planè adverſanti.

Enimverò omnibus hiſce rationibus adductus ſum, ut crederem nihil contra Ejus voluntatem, rectáſque intentiones facturum me eſſe, ſi eâ ſolemnitate abſtinerem, quâ Juramentum fidelitatis in Acta publica referre jubebamur; & cùm poſteà hanc ipſam omiſſionem cauſarentur miniſtri Regij, juberéntque in Eccleſia mea velut vacante (cùm tamen 40. ferè annis illi præſediſſem) Regaliam aperiri; fateor Majeſtati Veſtræ, in eam me conjectum eſſe neceſſitatem, ut cogerer.

quantùm

quantùm vires meæ ferrent, Eccleſiam tueri, ejúſque juribus propugnandis ijs medijs experiri, quæ ſacri Canones ſuppeditabant; quid enim aliud poteram, niſi partibus meis deeſſe vellem? Præſertim cùm averti aliàs non poſſent ingentes illæ turbæ, rerúmque confuſio, quam beneficiorum proviſiones obtentu Regaliæ, dolíſque expreſſæ Eccleſiæ meæ inferebant, legitimis quietíſque, & tot annorum poſſeſſoribus expulſis. Id verò cùm egi, palàm profiteor nihil aliud à me factum ſpectatúmque eſſe, quàm ut Eccleſiæ legibus, decretíſque Oecumenici Concilij totâ Galliâ recepti cultíque, & quatuor ſæculorum obſervantiæ parerem. Quod ſi alij Epiſcopi nihil ſimile moliti ſunt, non id fuit, quòd in hac cauſa Regaliæ aliter, quàm ego ſentirent; imò ubi ſe occaſio obtulit, ſatis ſuam mentem prodidêre, ac etiam ſcriptis libellis contra Regaliæ extenſionem proteſtati ſunt, eóſque inter Eccleſiarum ſuarum documenta recondi voluerunt, teſtes aliquando futuros impugnatæ ac fruſtra defenſæ libertatis. Mihi equidem conſcientiæ meæ ſtimulos ſentienti parùm id eſſe videbatur, nec aliud ſupereſſe medium credebam, quo Canonicæ cadentíque Eccleſiæ meæ libertati ſubvenirem, quàm ut nuperum decretum conciperem, vulgarémque, ſicque Jura, proventúſque temporales Eccleſiæ meæ, quâ licuit ratione tuerer, multóque magis ut collationibus beneficiorum conſulerem, quæ planè effectus ſunt ſpiritualis & Hierarchicæ poteſtatis.

Cùm Apoſtolus Paulus Judæorum Regi aſſiſteret, & pro fidei ac Evangelij veritate inter catenas cauſam ſuam peroraret, non potuit imperare ſibi, quin in illas voces prorumperet Apoſtolici Spiritûs, Sanctæque libertatis plenas: *O Rex non credis Prophetis? ſcio quia credis.* Placeat Majeſtati Veſtræ mihi quóque Epiſcoporum hujus Gallici Regni minimo, ſed Chriſtianiſſimum Regem alloquenti, eaſdem voces permittere,

tere, clementíque animo ferre, ſi dicam: Non ergo credit Majeſtas Veſtra auctoritati Eccleſiæ in Oecumenico Concilio collectæ? ſcio, quia credit; quippe inter tot alia inſignia, titulóſque Gallicæ Majeſtatis eum inter primos ac pretioſiſſimos ponit, quo primogenitum Eccleſiæ, ſacrorúmque Canonum protectorem compellari ſe audit. Scio quàm altè Regio Illius animo memoria ſedeat ſolemnis ejus Sacramenti, quo cùm Regio diademate cingeretur, ad aram ſe devinxit, promiſítque Eccleſiam, ejúſque miniſtros, ac Epiſcopos, privilegia, immunitatéſque omnes, eorum ſacræ dignitati annexas, & vel ſacrorum Canonum, vel Regum auctoritate attributas, conſervaturam. Scio etiam, quantum amor, ſtudiúmque juſtitiæ Majeſtati Veſtræ cordi ſit, quam ſi ne uni quidem ex minimis ſubditorum unquam negavit, egóne credam negaturam eſſe Eccleſijs? idque in re tanti momenti, eorúmque libertatem adeò vulnernante? Scio denique Majeſtatem Veſtram exemplo D. Ludovici, ex cujus Regio ſanguine prognata eſt, animo Secum æſtimare, nihil æquè neceſſarium eſſe, ſed nec magis arduum, quàm idoneos Eccleſiæ miniſtros deligere, ſícque tantum abeſſe, ut augendi, proferendíque ultra limites conceſſos hoc munus, curámque periculi adeò plenam contendat, quin potiùs pavidè anxiéque cogitatura ſit, quomodo de illis beneficijs Deo ſit reſponſura, quorum nominationibus jam dudum onerata eſt.

Ignoſcat Majeſtas Veſtra hanc libertatem Epiſcopo annis gravi, & tanto jam tempore Paſtorales curas ſuſtinenti, quíque religioni ſibi & conſcientiæ omnino duceret, ſilentium tenere in tanti momenti negotio.

Equidem nihil adeò in votis mihi eſt, quàm ut Majeſtas Veſtra intelligat, me omnem Ei reverentiam, obſequiúmque ex animo profiteri, & ſi dignata fuerit ad ea animo advertere,

quæ

quæ hucúſque in Ejus ſinum effudi, fatebitur Ipſa, nihil à me dictum, ſcriptúmque eſſe, quod venerationem minuere poſſit Ejus Majeſtati debitam, ſed tantùm Eccleſiæ meæ libertati providiſſe: hanc in manus meas Chriſtus depoſuit, hanc à me repoſcet; & cùm tempus accedet reddendarum rationum, meæque villicationis finiendæ, inter tam multa alia, quæ animum meum angunt, illúdque tribunal formidandum reddunt, præcipuum planè id eſt, quódque nullâ excuſatione purgari poſſet, ſi contra conſcientiæ meæ voces, apertámque veritatem, cauſam Eccleſiæ Chriſti Sponſæ hoc temporis desererem. Recordor à ſapiente dictum eſſe, corda Regum in manibus Dei verſari, & ab hoc quocúmque voluerit, inflecti. Hunc igitur enixiſſimis precibus imploro, precórque, ut Spiritum ſapientiæ, pietatis, juſtitiæque in animum Majeſtatis Veſtræ effundat, Eámque ſuis benedictionibus, ac gratiâ illuſtret, doceátque quid in præſenti cauſa fieri oporteat, ac etiam in alijs omnibus juxta divini ſui cordis voluntatem Regem efficiat. Hæc ſunt animi mei ſenſa, hæc vota, quibus in meis ad aram ſacrificijs, precibúſque pro Majeſtate Veſtra inceſſanter defungor, nec enim majus aliud pignus invenio, quo meam erga Majeſtatem Veſtram fidelitatem, obſequium, verúmque Ejus gloriæ promovendæ deſiderium, ac profundam venerationem conteſter, cum qua vivo, perennóque.

Alecti 28. Junij 1676.

Majeſtatis Veſtræ

Humillimus, Obſequentiſſimus & fideliſſimus
Servus & Subditus

Nicolaus Epiſcopus Alectenſis.

Documentum VII.

Mandatum Epiſcopi Alectenſis contra Dominum De Foix, quo monitiones canonicæ decernuntur ad effectum ad Declarationem Excommunicationis procedendi.

NIcolaus Dei miſeratione Epiſcopus Alectenſis, omnibus Diœceſis noſtræ fidelibus Salutem & Benedictionem à Domino noſtro Jesu Chriſto. Quoniam intelleximus Joannem Petrum Gaſton de Foix Diœceſis Couteracenſis Presbyterum, Decaniam & Canonicatum Eccleſiæ noſtræ Cathedralis titulo Regaliæ obtinuiſſe, ſpatio decem & ſuprà annorum à Petro Pommier Capituli dictæ Eccleſiæ Decano pacificè poſſeſſum, ſéque in Poſſeſſionem ejuſdem Beneficij ingeſſiſſe, ac etiam Nonæ, & Veſperarum Divinis officijs ſub ea qualitate & charactere interfuiſſe, prætendátque omnes deinceps ſæpefati Beneficij functiones peragere; id verò manifeſta ſit Mandati noſtri infractio die 5. Maij Anno 1676. emiſſi, eíque heſternâ die debito modo legitiméque inſinuati; quo eidem aliiſque omnibus diſtrictè prohibuimus, ne ſe Beneficijs noſtræ Diœceſis, obtentu Regaliæ ingerere auderent, idque ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrendæ. Ipſe verò Joannes Petrus ſaluberrimas exhortationes noſtras neglexit, quibus, dum heri nos conveniret, in ſpiritu lenitatis, & charitatis delinire eum conati ſumus. Id autem, cùm non ſolùm in Eccleſiæ contemptum cedat, verùm etiam ſacrorum Canonum Decretis, receptiſque in hoc Regno legibus adverſetur, quibus ſancitum eſt, neminem ſolius Regaliæ titulo, ſuis Beneficijs, quibus pacificè fruebatur, ſpoliari poſſe, niſi priùs coram legitimo Judice conven-

tum

tum damnatúmque, adeò ut hujuſmodi violentis conatibus non ſolùm jura libertatéſque Eccleſiæ noſtræ peſſumdentur, ac Cenſuræ in Lugdunenſi Concilio ſuper hac re fulminatæ ludibrio habeantur, (cujus quidem Concilij Decreta declarata ſolùm nupero Mandato à nobis ſunt, ac præſenti caſui applicata) verùm etiam, ut diximus, legibus in noſtro Regno receptis obſervatíſque injuria fiat. Has inquam ob cauſas, útque Mandato noſtro, Decretóque Concilij Lugdunenſis, cujus initium eſt: *Generali Conſtitutione:* ſatisfiat, monitiones Canonicas contra ſæpedictum D. de Foix expediri jubemus; eíque virtute earundem monitionum, ne ſe præfato ingerat Beneficio, ſed Decretis Concilij Lugdunenſis, noſtróque nupero Mandato primùm obtemperet, ſeriò injungimus. Si verò obtemperare neglexerit, declaramus eum publicè fore denuntiandum, atque Excommunicandum; imò Excommunicationem à Lugdunenſi Concilio, noſtróque Mandato impoſitam, ipſo facto incurriſſe. Quæ quidem monitiones de tertia in tertiam diem eidem inſinuabuntur, ita videlicet, ut præſentes noſtræ, poſtquam ei ſignificatæ fuerint, locum primarum monitionum obtineant. Injungimus etiam primo Presbytero, aut Clerico tonſurâ inſignito, quidquid ad inſinuationem, aut executionem præſentis hujus noſtri Mandati neceſſarium fuerit, diligenter, atque incunctanter expediat. Datæ Alecti in Ædibus noſtris Epiſcopalibus 17. Octob. *1676.*

(L. S.)

Nicolaus Epiſcopus Alectenſis.

& infrà.

Ex Mandato Illuſtriſſimi

Mercier.

Documentum VIII.

Secunda epiſtola ejuſdem Epiſcopi Alectenſis ad Regem Chriſtianiſſimum.

Domine, &c.

VEreor equidem, ne Majeſtatem Veſtram importunè moleſtéque conveniam; tamen cohiberi non poſſum, ut non omnium reddam certiorem, quæ contra quemdam Eccleſiaſticum Decanatum, ejúſque officia in Eccleſia noſtra Cathedrali captantem, me neceſſitas coëgit experiri. Et verò tantum mihi audeo de clementia & æquitate Majeſtatis Veſtræ polliceri, ut perſuaſum habeam, Eam potiùs ijs fidem præſtituram, quæ in Majeſtatis Veſtræ ſinum pari libertate ac reverentiâ effundam, quàm illorum vocibus, qui non omittent me reddere ſuſpectum Majeſtati Veſtræ, meáſque actiones in pejus interpretari. Narrabunt illi, Mandatum à me prodijſſe, quo, non obſtante Regij Senatûs Decreto, Eccleſiaſticum illum ſubmovebam, commonebámque, ne Regijs præceptis acquieſceret; cúmque perſuaderi à me non poſſet, ut cœptis abſiſteret, aliud Mandatum ſecutum eſſe, quo ex Diſciplinæ Eccleſiaſticæ legibus premi illum, arceríque jubebam. At verò, ſi, quod ſupplex demiſſúſque, ac quâ poſſum reverentiâ, expoſco, Majeſtati Veſtræ placuerit hanc cauſam examinare, fatebitur Ipſa, id à me tantùm factum eſſe, quod fieri omnino oportuit. Nondum exciderit Majeſtati Veſtræ, me jam ſemel datis ad Eandem litteris, quibus rationibus jura & libertates Eccleſiæ meæ contra Regaliam munirentur, ſuggeſſiſſe: nec Ipſa, ſi modò dignata fuerit animum ad ea advertere, inficias iverit, aut Eccleſiam meam à me prodi debuiſſe; aut ejus libertati tuendæ, nihil, quod modò

ıodòin viribus meis eſſet, intentatum relinqui. Quid enim
iud poteram, quàm ut Eccleſiæ parerem, ejúſque me legi-
ıs dederem? At illa in Concilio Generali, quid in hiſce
ıguſtijs agerem, quémque portum ſubirem, jam facem præ-
xerat. Teſtor veritatem, me nihil aliud egiſſe, quàm ut
cleſiæ Mandata exequerer, néque ſive me filium, ſive mi-
ſtrum Eccleſiæ cogitarem, parendi neceſſitate ſolvi potuiſ-

Et hoc ipſum eſt illud, quo me angi vehementer conte-
r, in eam videlicet me adductum neceſſitatem, ut videri
ſſem Majeſtatis Veſtræ mandatis obluctari, & tamen nemo
ım demiſſiùs veneratur; &, cui libuerit, actiones meas
ıac cauſa metiri, fateri cogetur, nihil à me magis minúſ-
: peractum eſſe, quàm neceſſitas urgeret, ac remedia
ırbo aptâſſe, nec priùs ad acerba pœnáſque Eccleſiæ de-
ıtum, quàm ſpe omni conſumptâ, & cùm mitiora non pro-
:rent. Nihil aliorum conſilijs, nihil exterorum ſuggeſtio-
ıus debeo; & ſi quidem Majeſtati Veſtræ placeat hoc culpæ
cribere, totum id crimen meum eſt, ſine complice, ſine
giſtro deliqui, nec ullum admiſi erroris ſocium. Ego
ıc cauſam intimè, lentéque diſcuſſi, cùm videlicet eam
;noſcendi me neceſſitas & officium premeret. Ego illam
ni ſtudio expendi: ego non curſim, nec obiter libavi,
multa cum cura moráque, non mecum tantùm, ſed etiam
ı ipſo Deo contuli, ejúſque gratiam ac lumen, ne fortè
ɔre aliquo abriperer, demiſsè imploravi. Nec verò in hoc
lium tanti ſudoris ac pulveris plenum, aliam ob cauſam
urri, quàm quòd perſuaſum haberem, niſi id agerem,
cipuis mei muneris partibus defuturum; atque hæc opi-
nunquam deleri ex animo meo potuit, imò ſemper inva-

Cùm enim graviſſimo morbo ultimis annis conflictarer,
ıue jam morti accingerem, vehementer animum meum

ea

cogitatio pulſare cœpit, quâ tangi me, permoveríque ſentiebam, ut ultimos hujus vitæ meæ annos, ac pauca, quæ ſupererant, momenta, DEO unicè addicerem, impigréque officio meo perfungerer, ac præcipuè in cauſa Regaliæ, quâ implicatum me cernebam, novum fidelitatis exemplum poſt me relinquerem. Et quia cauſæ rationéſque, quæ animum meum primò imbuerunt, ſemper eædem, ac immutatæ perſiſtunt, fieri quoque non poteſt, ut propoſitum mutem, aliámque viam inſiſtam. Recordetur Majeſtas Veſtra, me in ea ætate verſari, quâ nihil aliud, quàm vicinam mortem, reddendáſque DEO rationes cogitare jam lubet. Infeliciſſimus ergo, & miſerrimus fuerim, ſi, ut quiete ac malaciâ fruar breviſſimi temporis, conſcientiæ meæ vim faciam, ac ſtimulis, quibus agi me ſentio, lubens prudénſque obnitar, periturus videlicet momenti amore. Id verò ſi agam, fateor me hac unâ culpâ indignum eo gradu ac Dignitate reddi, in quam me DEUS provexit, nullámque mihi ampliùs fiduciam fore pro Majeſtatis Veſtræ, Ejúſque Regiæ Familiæ ſoſpitate cœleſtem gratiam implorandi. Equidem perſuaſum ſemper habui, neminem Principi ſuo fidelem fore, qui DEO infidelis eſſet, eámque ſemper regulam obſervandam duxi, quam ab Apoſtolo hiſce verbis conſignatam didiceram, videlicet: *Deum time, & regem honora.* Hæc ſunt adversûs Majeſtatem Veſtram animi mei ſenſa, hæc mecum, uti ſpero, in extrema durabunt, qui tamen gloriari audeo, me nec fide in Majeſtatem Veſtram, nec reverentiâ ulli alteri palmam concedere.

Alecti 20. Octob. Anno 1676.

Majeſtatis Veſtræ

Humillimus, Obſequentiſſimus & Fideliſſimus Servus & ſubditus

Nicolaus Epiſcopus Alectenſis.

Docu-

Digitized by Google

Documentum IX.

rima epiſtola ejuſdem Epiſcopi Alectenſis ad S.D.N. Innocentium XI. Pontif. Max. Super Theologiæ Moralis, & Regaliæ corruptelis.

Julij Anno 1677.

Beatissime Pater,

PRæſtitum ab humilitate noſtra, Veſtræ in Petri Cathedram exaltationi, gratulationis ac devotionis officium benignè adeò & peramanter excepit Sanctitas Veſtra, hoc ipſo animatus majori cum fiducia iterum ad Illam de aviſſimis Eccleſiæ Gallicanæ malis, nec niſi ab Apoſtolica ctoritate & charitate ſublevandis, ſcribere inſtituerim. iid epiſtolæ à pluribus hujuſce regni Epiſcopis ad Sedem oſtolicam de perverſis recentiorum Caſuiſtarum dogmaus deſtinatæ nuper acciderit, jam, credo, Beatiſſime Pater, ıctitas Veſtra, tum ſui apud Chriſtianiſſimum Regem ıntij relatione, tum aliorum fortè querelis inaudivit. Qua re pluribus hîc agere minimè opus fuerit, cùm univerſam toriæ ſeriem harum dator litterarum auribus veſtris rere poterit. Sanè vulnus iſtud Epiſcopali dignitati inflim, Beatiſſime Pater, ſentiet, & graviter nobiſcum feret aritas Veſtra omnium Eccleſiarum ſolicitudine anxia, & Epiſcoporum voces eò propenſiùs ſeſe inclinabit, quò eas igniſſimis modis & artibus intercluſas fuiſſe perſpexerit. c verò alienis egebat hortatoribus Beatitudo Veſtra ad icæ Chriſtianæ corruptores cohibendos. Sat illam ſtimumorum inſtituendorum, & diſciplinæ in melius infordæ zelus à familiariſſimis ſibi ſacræ Synodi Tridentinæ

decretis, domeſticóque ſancti Caroli exemplo excitatus. Unde planè confidimus fore, ut omnes illas doctrinæ corruptelas tanto diſtrictiùs configat, quanto eas à fautoribus audaciùs diſſeminari intellexerit. Dolore ſiquidem, imò & indignatione afficietur Sanctitas Veſtra, Beatiſſime Pater, in tantùm illos Chriſtianiſſimi Regis religioni obrepſiſſe, ut quæſitis coloribus noſtrum de ſcribenda ad Sedem Apoſtolicam epiſtola conſilium crimini verterint, Epiſcopóſque, abrogato jam pridem contra fas omne provincialium Synodorum uſu, etiam de rebus Eccleſiaſticis inter ſe communicandi, & ad Sedem Apoſtolicam communi nomine referendi antiquo & præcipuo jure interdicere tentaverint. Quod quid eſt aliud, Beatiſſime Pater; quàm Eccleſiaſtici regiminis à Chriſto Domino inſtituti, & omnium retrò ſæculorum uſu comprobati formam peſſumdare, unius per totum orbem Epiſcopatûs vinculum ſolvere, & ipſius, quo Romana gaudet Eccleſia, Primatûs jura convellere? Nova hæc, & hucúſque apud nos inaudita, minùs tamen quis fortaſſe mirabitur, ſi frequentes & penè quotidianas in Eccleſiæ libertatem molitiones attenderit, quibus aulici homines Eccleſiaſticæ diſciplinæ & doctrinæ cauſas, ſæcularibus magiſtratibus ac Regiæ poteſtati addicere conantur. Harum dator litterarum plura tum verbis, tum etiam ſcripto proferet, quibus Sanctitas Veſtra, quæ & quanta in Eccleſiaſtici ordinis labem quotidie gerantur, intelliget. Inter alia verò, Beatiſſime Pater, turbas occaſione juris, ut vocant, Regaliæ, huic noſtræ Diœceſi invectas addiſcet Sanctitas Veſtra; cujus juris ultra antiquas metas extenſione, aliquot abhinc annis, Narbonenſis noſtræ & aliarum quatuor aut quinque Eccleſiaſticarum Provinciarum, & nonnullarum prætereà Diœceſeon nativam & canonicam libertatem evertere ijdem aſſentatores moliuntur.

Equidem

Digitized by Google

Equidem cùm edicto Regio hac de re promulgato parere, conſcientiâ prohibente, renuerim, præcipua noſtræ Diœceſis beneficia in Regalia, ut volunt, vacantia, per Regium diploma, pleno jure, pulſis legitimis & pacificis poſſeſſoribus, collata ſunt: quod etiam in Appamienſi, & fortè alijs quibuſdam, ſicubi Epiſcopi non paruêre edicto, factum eſt. Cùm autem, Beatiſſime Pater, ex Decreto Concilij Generalis Lugdunenſis ſecundi, quod incipit, Generali conſtitutione, & pro ſolemni Sacramento à me in Epiſcopali conſecratione præſtito, jura & libertates Eccleſiæ mihi commiſſæ per cenſuras Eccleſiaſticas tueri vellem; eò res adducta eſt, ut duorum Eccleſiæ Cathedralis Canonicorum è familiaribus noſtris, Archidiaconi ſcilicet & Promotoris, indictâ per ſigilli Regij literas relegatione, uno abhinc anno mulctatus fuerim. Et ecce mihi hanc Epiſtolam meditanti, & præ manibus habenti, nova advenit mulcta, nova orbitas; dum ſimili juſſione longè amandatur Canonicus noſter Theologus, quem in priorum locum ſuffeceram, & in miniſterij Epiſcopalis ſubſidium lateri meo adſciveram. Imò & mihi eadem ſors jam hinc à priore anno impendebat, adverſarijs Eccleſiæ Regiam auctoritatem ad id enixè ſolicitantibus, niſi eorum conſilium nativâ ſuâ æquitate & moderatione Chriſtianiſſimus Rex poſthabuiſſet. Sed de hoc, quantumcunque gravi negotio, plura Sanctitati Veſtræ proloqui ſuperſedeo, tum ne longiori privatæ calamitatis querimoniâ moleſtus fiam, tum quia hujus vexationis adhuc vigentis acta à nobis tranſmiſſa, quo pacto res tota geſta ſit, declarabunt. Itaque, Beatiſſime Pater, ad corrupta morum dogmata redeo, quod malum latiùs patet, & pleriſque animabus adhuc nocentius eſt. Huic curando quantum ab initio Pontificatûs ſtudium Sanctitas Veſtra adhibuerit, univerſi nôrunt: quod ut Ipſa brevi aſſequeretur,

queretur, nihil demùm utilius aut promptius occurrit, quàm ut præcipua laxioris doctrinæ capita, jam dudum à pleríſque Eccleſiæ Gallicanæ Præſulibus in famoſo Caſuiſtarum Apologiſtâ damnata, iterum ad eorundem Epiſcoporum relationem, à Sede Apoſtolica ſolemni Decreto damnarentur. Id autem ut ad optatum exitum, obſiſtentibus licet Caſuiſticæ corruptelæ patronis, perducatur, optamus vovemúſque. Verùm, Beatiſſime Pater, rerum noſtrarum experimentis edoctus, & paternâ Veſtrâ benignitate fretus, auſim dicere, nihil penè in damnandis Caſuiſtarum erroribus operæ pretij fore, niſi Eâdem Veſtrâ Auctoritate Janſenianæ hæreſeos phantaſma, quo jamdiu plurimi in his partibus ludificantur, evaneſcat. Confidentius fortaſſe quis hoc dictum exiſtimaverit: veriſſimum tamen eſt, Beatiſſime Pater, & nobis res cominùs intuentibus quotidianâ experientiâ certiſſimum. Apoſtolicas Conſtitutiones prædeceſſorum Veſtrorum Innocentij X. & Alexandri VII. ſubmiſsâ omnes mente accipiunt: nec ullus eſt, qui cum Eccleſia Romana & Catholica perverſos átque hæreticos ſenſus in quinque propoſitionibus damnatis contentos non ex animo damnet, quod prædictarum Conſtitutionum præcipuum eſt caput: & in cæteris etiam nemo eſt, qui illis perpetuo Eccleſiæ uſu debitam reverentiam non præſtet. Id quod probè intellexit Clemens IX Alexandri VII. Succeſſor, dum Galliæ Epiſcopis ac Theologis jamdiu vexatis pacem tandem pro Apoſtolica ſapientia & æquitate conceſſit. Verùm, Beatiſſime Pater, hujus tam optatæ pacis fructum hactenus nobis invidit, & vanis artibus ſubripuit pertinax adverſariorum factio, & imperitus ac præpoſterus nonnullorum zelus. Janſenianæ ſiquidem hæreſeos nomen prorſus jam vanum & inane ſummo ſtudio retinuerunt: nec illis præſentius aut validius telum, quo ſe tueantur, & cujus-

libet

Digitized by Google

ıet ordinis homines ſibi adverſantes diſturbent. Hâc futili cuſatione ſanctiorem quámque de moribus doctrinam ſufflant, viros pietate & doctrinâ præſtantes traducunt, ıue Eccleſiæ miniſterijs ſubmovent, non Theologos mo-, ſed Epiſcopos populis ſuſpectos efficiunt, pios eorum ıores, & ſaluberrima inſtaurandæ diſciplinæ conſilia invertunt, libros informandis moribus aptiſſimos, fidelium ınibus excutiunt, omnem denique inſtituendæ Chriſtiarum vitæ, & ad normam Evangelij componendæ viam :ludunt. Illud verò, Beatiſſime Pater, ſummoperè aniıdvertendum eſt, non ſolùm hujus fictitiæ hæreſeos præ.tu graſſantem ubique morum corruptelam foveri, ſed ei quóque ſolidiſſima dogmata convelli. Quis enim non leat caſtiſſimam & ſaluberrimam Sanctorum Auguſtini Thomæ de gratuita Dei prædeſtinatione & gratia Chriſti ſingulos pietatis actus neceſſaria doctrinam ſub invidioſo ıſenij nomine à pleríſque repudiari, & tanquam erroneam, hæreſeos notâ dignam in cathedris, in pulpitis, in colloijs traduci? Ita doctrina, quam à multis Pontificibus acriaſſertam ac vindicatam hæreditario quaſi jure Eccleſia ſſidet, ut ajebat doctiſſimus Clemens Papa Octavus, paſſim die conculcatur. Ita dogmata, quæ inconcuſſa tutiſſimá nuncupavit Alexander VII. temerario auſu à multis impeıtur. En, Beatiſſime Pater, Eccleſiæ Gallicanæ vario morbon genere laborantis ſtatus breviter Sanctitatis Veſtræ oculis ineatus. Solet quidem ægrotantium dolor multas meıdi artes excogitare, ſed non omnes æquè commodas & les. Unde ſatiùs erit, patefactis jam noſtris vulneribus os nos Apoſtolicæ Veſtræ charitati & prudentiæ commite: niſi fortè etiam noſtros ea de re ſenſus cognoſcere Vea Sanctitas opportunum duxerit. Certè fauſta omnia à

Lll 3 Veſtra

Digitized by Google

Veſtra Beatitudine expectamus, maximè pro tuendis divinæ Gratiæ dogmatibus, pro ſtabiliendis Ethicæ Chriſtianæ regulis, pro ſancienda veteri, & canonica Eccleſiarum libertate. Hæret enim cordi Ejus impreſſa hæc unius ex ſuis deceſſoribus ſententia: *Optamus, ſi fieri poteſt, in diebus noſtris Apoſtolicam fidem, & Eccleſiæ regulas cum ſubjectis nobis populis cuſtodire, & omnem novam doctrinam ſopire.* Equidem, Beatiſſime Pater, eò ætatis provectus ſum, ut hæc, antequam moriar, in Eccleſia videndi vix ſpes ſuperſit: peregrinationis tamen meæ curſum jam majori cum alacritate, Pontificatûs Veſtri ſpecie recreatus, & confirmatus perſequor; quæ & quanta in Eccleſiam univerſam bona Sanctitatis Veſtræ operâ diffundenda ſint, animo proſpiciens: quod ut pro ſingulari ſua pietate, & ardenti zelo fructuoſiùs præſtare queat, diuturnam Ipſi Pontificatûs adminiſtrationem exopto, & poſt hujus ævi labores cumulatiſſimam in cœlo felicitatem apprecor. Alecti die 30. Julij 1677.

BEATISSIME PATER,

Sanctitatis Veſtræ

Humillimus & Obſequentiſſimus Filius & Servus

Nicolaus Epiſcopus Alectenſis.

Documen-

Documentum X.

eve Sanctiſſimi D. N. Innocentij PP. XI. ad Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Epiſcopum Alectenſem.

9. Sepemb. Anno. 1677.

INNOCENTIUS PP. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Suſceptam à nobis de paſtorali, in Alectenſi Eccleſia regenda, ac Eccleſiaſtica diſciplina inſtau-ıda, Fraternitatis tuæ zelo opinionem mirificè confirmâ-ıt Litteræ, quas 30. Julij ad Nos dediſti. Ijs enim refertæ ıt cum pij, tum vigilantis animi ſenſibus, ut nullum Nobis eo dubitandi locum relinquant. Pro comperto autem te ɔere volumus, religioſis ſtudijs tuis conſtanti Nos præſidio ue auctoritate affuturos, libentérque occaſiones omnes plexuros, ex quibus propenſam erga te voluntatem ſtram agnoſcere valeas. Quod attinet ad ea, quæ fusè bis tum per litteras, tum per earum exhibitorem ſignifi-:i, tanti profectò momenti ſunt, iiſque implicata difficulbus, ut diligenti, & maturâ diſcuſſione prorſus indigeant. ı muneris itaque Noſtri debito accuratè eadem examinari ndabimus, illúdque ſuper his conſilium capiemus, quod Domino expedire judicaverimus. Aſſiduis interim apud remum Patrem luminum juvari precibus vehementer à te imus, dum Nos dilectionis Noſtræ pignus Fraternitati tuæ oſtolicam benedictionem peramanter impertimur.

19. Septemb. 1677.

Marius Spinula.

Documen-

Documentum XI.

Epiſtola encyclica Reverendiſſimi Epiſcopi Alectenſis.

NUllus dubito, ſententias Vicarij & Officialis Narbonenſis tantâ curâ ſtudióque ubíque locorum vulgatas, & quibus bina à me edita Mandata evertere conatur, in manus veſtras deveniſſe. Enimverò perſuaſum ego habeo, eodem temporis momento, quo illam recepiſtis, unà etiam recordatos vos eſſe, quanta mihi incumberet neceſſitas, jura libertatéſque Eccleſiæ meæ, ac Dignitatem Epiſcopalem, quæ in hac cauſa æquè periclitantur, impigrè tuendi. Id ego conatus ſum efficere Conſtitutione, quam hiſce meis annexam legetis, & ex qua facilè colligere licebit, non unius tantùm, ſed communem, omniúmque hujus Provinciæ Eccleſiarum cauſam, ac periculum verti. Vos ergo, uti ſpero, nec partibus veſtris defuturi eſtis, nec omittetis in veſtris quíſque Diœceſibus ea omnia curare, quæ huic ſententiæ remorandæ, ejúſque effectui ſuſpendendo neceſſaria fuerint. Tantùm id agite, ut ſociatis junctíſque viribus communem cauſam amplexemini, vóſque Dignitatem Auctoritatémque noſtram oppugnantibus, Sacerdotali libertate occurratis, & quod hactenus nimiâ fortè indulgentiâ peccatum eſt, pari Zelo, oblatáque occaſione oblitteretis. Ego interim Venerabundus perenno. Alecti 23. Octob. 1677.

Humillimus ac Obſequentiſſimus Servus

Nicolaus Epiſcopus Alectenſis.

Docu-

Digitized by Google

Documentum XII.

Actus Appellationis ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Epiſcopo Alectenſi ad Summum Pontificem & Sacram Apoſtolicam Sedem interpoſitæ contra Eminentiſſimi Cardinalis Petri de Bonzij Archiepiſcopi Narbonenſis Conſtitutionem in favorem Regaliſtarum editam.

:. Novemb. Anno 1677.

ANno 1677. die duodecimâ menſis Novembris in Civitate Epiſcopali Palatio Alectenſi coram me Regio Notario & teſtibus infrà nominandis perſonaliter onſtitutus Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Nicoıus Pavillon, Epiſcopus Alectenſis (ab integro jam menſe ıorbo decumbens) poſtquam intellexit, famulum ſuum ırceribus detentum eſſe, quem Narbonam miſerat ad innuandum actum, & declarationem Appellationis, ſuo juſſu ıterpoſitæ à Stephano Durand, ædium Epiſcopalium Oſtiao, contra ultimam Ordinationem ſeu Mandatum Emi:ntiſſimi Cardinalis Bonzij Archiepiſcopi Narbonenſis ɔinto currentis datam; cúmque bajulus, qui præfatum landatum pertulerat, reſponſum, uti promiſerat, non ex:ctâſſet, imò nec tantum temporis morari ſuſtinuiſſet, ıantum opus erat, ut id Mandatum Domino Epiſcopo inɔteſceret, & ipſe lecto affixus à ſolis Domeſticis conveniri ıteretur, multóque minùs virium defectu actum Appellaɔnis expedire poſſet, injunxit præfato Durando, ut ipſe ɪpellaret, quippe quem bajulus Archiepiſcopi convenerat, ɔue Mandatum inſinuaverat, promiſerátque reſponſum æſtolari. Has ergo ob cauſas ſæpè nominatus D. Epiſcopus æſenti hoc actu approbat ratámque habet Appellationem

 à præ-

à præfato Durand interpoſitam, declarátque famulum, qui modò carceribus detinetur, ſuo juſſu Narbonam profectum eſſe, ut illic demandatam Appellationem inſinuaret; & proin immeritò tam durè & inclementer acceptum eſſe, cùm nihil aliud commiſerit, quàm ut actum juſtitiæ à Domino ſuo imperatum, quíque nullo modo ei culpæ imputari poterat, exequeretur. Declarat ergo præfatus D. Epiſcopus, à Mandato ſeu Conſtitutione D. Archiepiſcopi Narbonenſis, quinto currentis datâ, tam per viam nullitatis & incompetentiæ, quàm alio quovis legitimo juſtóque titulo ad Sacram Sedem appellare ac proteſtari, ſicut jam tum proteſtatus eſt, & adhuc proteſtatur contra injuſtam detentionem ſæpè dicti famuli ſui, & appellationis ab Epiſcopo imperatæ executoris, utpote qui ex debito officij ſui non potuerit impoſitum appellationis deferendæ Mandatum recuſare. Méque Notarium requiſivit, ut, &c. Actum die & loco ut ſuprà, &c.

Nicolaus Epiſcopus Alectenſis.

Documentum XIII.

Projectum Appellationis & Proteſtationis contra Mandatum ſeu Conſtitutionem Eminentiſſimi Cardinalis de Bonzij Archiepiſcopi Narbonenſis, quod tamen expediri non potuit ob mortem Illuſtriſſimi Epiſcopi Alectenſis.

ANno 1677. Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Nicolaus Pavillon Epiſcopus Alectenſis coram me Notario conſtitutus Eminentiſſimum Cardinalem Bonzij Archiepiſcopum Narbonenſem, nec non Dominos Candelon, ejuſdem Diœceſis Promotorem, & Joannem Petrum

rum Gaſton de Foix Presbyterum alloquens dixit, ſe cùm
›ro tuenda ſacra Epiſcopali dignitate Conſtitutionem quam-
lam ſub data vigeſimæ ſecundæ elapſi Octobris emittere, eá-
|ue licentiam Officialis Narbonenſis, Magiſtri Bernardi du
Aas coërcere compulſus eſſet (qui non ſine omnium Epiſco-
orum gravi injuria conſtitutiones quinto Martij, & decimo
:ptimo Octobris Anni 1676. à Reverendiſſimo & Illuſtriſſi-
ıo Domino Epiſcopo Alectenſi Exemptionis & libertatis
ccleſiaſticæ tuendæ gratiâ publicatas auſus eſſet infirmare,
ritáſque declarare) non potuit præfatus Dominus Epiſco-
us Alectenſis non vehementer mirari, Eminentiſſimum
ardinalem de Bonzij Archiepiſcopum Narbonenſem non
ılùm communem omnium Epiſcoporum cauſam noluiſſe
nplecti (quorum jura in perſona Epiſcopi Alectenſis om-
ium in ea Provincia Epiſcoporum antiquiſſimi apertè vio-
ta ſunt) verùm etiam Officiali ſuo ſe adjunxiſſe, ab eóque
ıdacter peracta, editâ die quintâ Novembris Conſtitutione,
ſtinere aggreſſum eſſe, quâ Domini Epiſcopi Alectenſis prio-
m Conſtitutionem ſacris Canonibus Regníque legibus ab
:cleſia Gallicana hactenus obſervatis, nec non quieti Con-
ientiarum ac Hierarchicæ Diſciplinæ contrariam, & cen-
ras in eadem Conſtitutione latas, irritas nulláſque decla-
t, ac omni effectu caſſas. Prohibet inſuper inhibétque præ-
:o Domino Epiſcopo Alectenſi, ne deinceps hujuſmodi
›nſtitutiones promulget, niſi velit Canonicâ diſtrictione
ıniri. Jubet deinde ſententiam ab Officiali ſuo pronuntia-
m Eidem Domino Epiſcopo & Capitulis tam Cathedralis
ıàm Collegiatæ S. Pauli Eccleſiarum iteratò inſinuari, illí-
ıe ſub pœna Excommunicationis ipſo facto ab omnibus
ınonicis alijſque Eccleſiaſticis perſonis, quæ directè vel in-
:ectè executionem præfatæ ſententiæ impedirent, incur-

 rendæ,

rendæ, exactè promtéque obediri. Hæc Eminentiſſimi Cardinalis & Archiepiſcopi Narbonenſis ſententia ut primùm ad notitiam pervenit ſæpè dicti Domini Epiſcopi Alectenſis, continuò ab ea appellandum duxit, prout etiam appellavit; tantóque plures dolendi cauſas conquerendíque ſe habere credidit, quòd exaratis ad eundem Eminentiſſimum Cardinalem litteris (quarum copiæ huic Appellationis actui adjunctæ ſunt) rationes & cauſas prolixè notaverit, ob quas conſcientiæ & obligationi ſuæ defuturum ſe credidit, niſi Conſtitutionem ſuam, quinto Martij anno *1676.* datam, in lucem emitteret, eáque canonicam & naturalem, omníſque Regaliæ expertem Eccleſiæ Alectenſis libertatem pro virili ſua parte ſuſtineret, tamen præfatus Dominus Cardinalis ne dignatus quidem ad ea reſpondere, quæ ab Alectenſi Epiſcopo propoſita fuerant, eúmque, ſi qua in re à vero aberrâſſet, præmonere, contra omnes æqui honeſtíque regulas, Conſtitutionem ſuam non vulgandam tantùm, ſed etiam typis imprimendam curavit, ut videlicet tanto ſpectabiliùs characterem ac dignitatem Epiſcopalem fœdaret, cùm id potiùs præſtare debuiſſet, ut Officialis ſui temeritatem coërceret, ac injuriam reparandam curaret, quam in perſona Alectenſis Epiſcopi toti Epiſcopali Collegio audacter inuſſerat. Hæc ſunt, quæ præfatum Epiſcopum Alectenſem impellunt, ut ad rationes reſpondeat, quæ in Conſtitutione ſeu Mandato Narbonenſi continentur, illibatâ tamen integráque reverentiâ ſacræ Purpuræ debitâ.

Primò ergo allegatur, ſententiam à Domino de Mas pronuntiatam legitimæ poteſtati inniti; eum quippe cùm ſit Domini Archiepiſcopi Narbonenſis Vicarius Generalis & Officialis, ejúſque auctoritate & poteſtate fungatur, potuiſſe omnia, quæ idem D. Archiepiſcopus poterat; nam ex jurium

quoque

quoque diſpoſitione Judicis delegati & delegantis eandem eſſe juriſdictionem & poteſtatem. Ad quod confirmandum ſæpè dictus Dominus Archiepiſcopus multas congerit Jurium auctoritates, quæ Delegatis favere videantur, addítque: *Olim nunc Presbyteros Comitijs Generalibus, nunc Diaconos præſediſſe, ídque non tam propriâ, quàm aliorum auctoritate, quorum videlicet perſonam ſuſtinebant; ſua quoque in Comitijs ſuffragia contuliſſe, quibus Epiſcopos, Archiepiſcopos & Patriarchas damnaant.* Cæterùm, omnia hæc argumenta & auctoritates, quæ Domino Archiepiſcopo congerere placuit, planè inutilia ſunt, nulliúſque momenti, atque in alienum ſenſum detorta, idque multis ex cauſis. Nam *primò* pro fundamento id ſupponunt, quod apertè falſum eſt; neque enim Officialis eſt Judex propriè delegatus, ſed ordinarius, & ordinariâ fungens juriſdictione, æquè ac alij ejuſdem D. Archiepiſcopi Judices, & ita quidquid de judicibus delegatis dicitur, nullo modo aptari poteſt præſenti argumento. *Secundò.* Quamvis negari haud poſſit, cauſas Epiſcoporum aliquando à Presbyteris & Diaconis judicatas eſſe, ídque auctoritate Antiſtitum, à quibus delegati erant; nunquam tamen exemplum oſtendi poterit, id à ſolis Presbyteris & Diaconis factum eſſe, ſed ſemper unà cum alijs Epiſcopis, ita ut ſemper verum ſit, cauſas Epiſcoporum ab alijs & competenti numero Epiſcopis judicatas eſſe. Caſus ergo, de quo in præſenti agimus, toto cœlo ab eo differt, qui à Domino Archiepiſcopo nobis opponitur. Quippe unicus & ſolus Presbyter eſt, qui nulli alteri Epiſcopo junctus auſus eſt auctoritatem ſibi ſumere Epiſcopum judicandi, ejúſque Conſtitutiones irritas nulláſque declarandi, id quod nullo antiquitatis exemplo purgari unquam poterit. *Tertiò.* Si principia & rationes Domini Archiepiſcopi aliquid convincerent, ſequeretur in cauſis, quæ perſonas etiam Epi-

 ſcoporum

ſcoporum eorúmque depoſitiones ſpectant, poſſe ab aliquot Diaconis, quos Epiſcopi delegâſſent, Epiſcopos judicari, quamvis interim nullus Epiſcoporum aut Archiepiſcoporum dignaretur eas cauſas cognoſcere; quo nihil poteſt dignitate Epiſcopali indignius dici, magíſque ſacris Canonibus adverſum. Hæc omnia ſatis ſupérque oſtendunt, quàm vana ſint nullóque fundamento nixa, quæ ab Officiali Narbonenſi prætexuntur, & hæc ſola ſufficerent ſtabiliendis Epiſcoporum juribus. Verùm ut hæc ipſa certiſſima reddantur, útque nullâ tergiverſatione negari poſſint, ad principium reducemus, quo in Eccleſiaſtica Diſciplina nullum certius firmiúſque. Illud verò eſt, quòd jus ab antiquis Canonibus inductum aboleri deſtruíque non poteſt, niſi auctoritate, quæ aut major, aut par ſit Concilijs jus illud conſtituentibus, aut ſaltem legitimâ conſuetudine & poſſeſſione, ob quam illud jus præſcriptum, eíque à partibus voluntariè renuntiatum eſſe dici poſſit. Jam verò certum eſt, antiquos Canones ſtatuiſſe, ut cauſæ Epiſcoporum à Metropolitano, Conciliόve Provinciali, non verò à ſacris Canonibus judicarentur. Quærimus ergo, quis hunc morem à ſacris Canonibus inductum abrogaverit? Aut forſan Concilium aliquod Oecumenicum oſtendi poteſt, quod aliam judicandi formam præſcripſerit, & Epiſcopos ſententiæ ac judicio Officialium ſubmiſerit? Planè ſi D. Archiepiſcopus Narbonenſis hujuſmodi aliquas auctoritates cauſæ ſuæ fulciendæ habuiſſet, omnino haud diſſimulâſſet; cùm ergo nullas alleget, conſtat id non oblivioni, ſed indigentiæ adſcribendum eſſe. Multò minùs dici poteſt conſenſiſſe Epiſcopos, ut hoc jure à Canonibus ſtabilito privarentur, cùm potiùs auctoritates à Domino Archiepiſcopo allegatæ contrarium probent; Ipſe enim fatetur, Suffraganeos Diœceſis Narbonenſis contendiſſe, non poſſe Officialem

Officialem Archiepiſcopalem de Epiſcoporum Conſtitutionibus judicare, imò totum Clerum Gallicanum ſuper hoc puncto ſuas querelas Regi obtuliſſe. Nec etiam dici poteſt, Officiales in pacifica hujus juris poſſeſſione eſſe, illúdque beneficio longævæ conſuetudinis præſcripſiſſe: cùm è contrario potiùs, quoties hoc jure uti voluerunt, Parlamentorum Arreſtis comprehenſi ſint, hujuſmodi appellationes abusûs damnantium; quanto ergo minùs permiſiſſent non judicari tantùm, ſed etiam condemnari Epiſcopos non citatos inauditóſque? Celebre eſt Arreſtum, præſertim de anno 1577. in favorem Carnotenſis & Melitenſis Epiſcoporum à Citatione Senonenſis Officialis tamquam ab abuſu appellantium; edixítque Curia, Officialem poteſtate ſuâ abuſum eſſe; citationem verò ipſam irritam nullámque declaravit, decrevítque, ne Suffraganei Epiſcopi juxta ſacrorum Canonum diſpoſitionem in ijs, quæ ad diſciplinam correctionémque Eccleſiaſticam pertinent, coram Vicarijs Generalibus, ſed ſolùm & immediatè coram Archiepiſcopo reſpondere, eíque obedire teneantur. Reperiuntur apud du Luc in Collectione Arreſtorum, quæ in publicum edidit, duo alia & antiquiora Arreſta, de annis vid. 1550. & 1553. in favorem Nivernenſis & Tricaſſenſis Epiſcoporum, qui cùm ab Officiali Senonenſi citati eſſent, Parlamentum pronuntiavit, hujuſmodi citationes nullas & abuſivas eſſe, addítque præfatus du Luc hæc verba digna memoratu: *Poteſt quidem Archiepiſcopus Provincialis Epiſcopum in jus adſe vocari jubere, in eúmque jus dicere; ſed neque per juridicum, quem Officialem appellant, neque per Vicarium quacumque præditum poteſtate. Quî ergo? Sanè per ſemetipſum & alios Provinciales Epiſcopos, quos in Concilio adhibere habet neceſſe; cujus contrarium cùm Senonenſis Archiepiſcopus in Nivernenſem & Trecenſem*

Trecenſem Epiſcopos uſurpâſſet, & ij abuſum cauſati provocâſſent, è forenſi prælio ſuperiores evaſerunt.

Hæc verò à præfato Auctore inſinuata juriſprudentia adeò certa & indubia eſt, ut inauditum ſit, careátque exemplo, fuiſſe Metropolitanum aliquem, qui paria auſus fuerit Narbonenſi Officiali, quem proinde coërceri efficaciter oportet. Præſertim cùm ne quidem ipſi Domino Archiepiſcopo poteſtas fuerit, ut de Conſtitutione Domini Epiſcopi Alectenſis ſolus judicaret, eáque ratione & modo, quem ejus Officialis ſibi uſurpavit, ídque non ſolùm ex rationibus ab Illuſtriſſimo Domino Epiſcopo Appamienſi inſinuatis (quia videlicet id ſine cognitione cauſæ factum, nec partibus, quarum intererat, vocatis, id quod planè Eccleſiæ ſacrorúmq; Canonum ſpiritui contrarium eſt, ut videre licet apud S. Gregorium Magnum *lib. 7. epiſt. 62.* Apud Adrianum in Capitularibus *capite 22. & 16.* In Concilio Aquiſgranenſi *anno 816. lib. 1. cap. 35.*) Verùm etiam ex eo capite, quòd licèt Archiepiſcopus Metropolitanus ſit omnium ſuorum Suffraganeorum ſuperior, non ideò tamen judicare de illorum cauſis poteſt, niſi in caſibus ſpeciatim à Jure permiſſis; & tunc quoque non ſolus, ſed tantùm in Synodo Provinciali, ſic enim in Antiocheno *anno 341. cap. 14.* & Conſtantinopolitano Concilijs *anno 382.* & in Capitularibus *capite 29.* apertè ſtatuitur.

Conqueritur quidem Dominus Archiepiſcopus Narbonenſis, nolle Dominum Epiſcopum Alectenſem Appellationes tamquam ab abuſu in Diœceſi ſua tolerare. Cæterùm hæc ipſa criminatio abundè oſtendit, non ſatis de moribus Epiſcopi Alectenſis, ejúſque agendi ratione, Domino Archiepiſcopo conſtare. Enimverò ejuſmodi Appellationes ſemper ille admiſit, & tunc ſolùm rejecit, quando dolo malo ac juſtitiæ eludendæ adhibebantur, & quando omnes ſimul

Epiſcopi

Epiſcopi contra illa declamabant; tunc enim omnium Epiſcoporum querelis ſuas quoque ſociavit, & illæ à Parlamentis Regióque Senatu pro juſtis acceptæ ſunt.

Minùs etiam præfatum Epiſcopum Alectenſem morari debet, quod ſæpe memoratus Dominus Archiepiſcopus in defenſionem Officialis ſui allegat, eum videlicet, cùm dixiſſet Conſtitutionem Domini Epiſcopi Alectenſis *Legibus Regni Gallici adverſari*, continuò adjeciſſe: *Quæ in Eccleſia Gallicana hactenus obſervata ſunt*, ut videlicet innueret, ſe de illis tantum legibus loqui, quæ ab Eccleſia receptæ obſervatæque, de prophanis & politicis in Eccleſiaſticas tranſierunt. Cæterùm intelligi haud poteſt, de quibus Legibus Officialis loquatur, quænam illæ Eccleſiaſticæ & Politicæ leges ſint, quas ab Epiſcopo Alectenſi violatas eſſe conqueritur. Videri poterat de Regia loqui Declaratione, quæ in favorem Regaliæ conſcripta & prodita eſt; ſed cùm conſtet eam ab Eccleſia receptam non eſſe, ídque non lateat Dominum Arrchiepiſcopum, qui verba Officialis in alium ſenſum detorquet, & ea intelligenda eſſe dicit de neſcio qua lege, Epiſcopis prohibente, ne in cauſis, de quibus Judices competentes jam aliàs judicârunt, quidquam diſponant decernántque, ſed ſupplicare tantùm ijs liceat. Sed ad hoc prompta eſt reſponſio, videlicet nullam eſſe aut Regiam, aut Eccleſiaſticam legem, quæ prohibeat Epiſcopis, quò minùs Perſonis Eccleſiaſticis, & manifeſtis Concilij Oecumenici violatoribus Excommunicationem à Concilio indictam denuntient, quod ſolum & unicum eſt, quod Domino Epiſcopo Alectenſi imputari poteſt, & ne ad hoc quidem progreſſus eſt, niſi ad Conventum Cleri Generalem, ipſúmque Dominum Archiepiſcopum Narbonenſem datis priùs litteris, quibus rogabantur, ut ſuper hac cauſa Regiam Majeſtatem convenirent; quod cùm im-

petrare à Clero non potuiſſet, ipſemet litteras ad Regem exaravit, expoſuítque rationes, quibus obſtrictum ſe credidit, ut ijs, qui Beneficia ſuæ Diœceſis Regaliæ obtentu adepti erant, ſeſe opponeret. Quæ omnia clarè oſtendunt, Epiſcopo Alectenſi ſemper curæ fuiſſe, ut in hoc negotio omnes partes reverentiæ expleret Principi ſuo debitæ; & quæ coërcendis Regaliſtis hactenus fecit, à ſola neceſſitate debitóque officij ſui fluxiſſe.

Illud quoque nullo fundamento nititur, quod addunt, *Regaliæ negotium fuiſſe à Judicibus competentibus jam judicatum deciſúmque.* Cùm enim Regalia ex juribus ſpiritualibus conſtet, quale eſt jus Beneficia conferendi, certum eſt, non potuiſſe niſi duobus modis Regibus acquiri, aut expreſſo vid. Eccleſiæ privilegio, in Oecumenico Concilio illis conceſſo, aut perpetuâ & immemoriali poſſeſſione, ex qua Eccleſiæ conſenſus præſumi poſſit. Jam verò certiſſimum eſt, nec legem ullam Eccleſiaſticam, nec legitimam poſſeſſionem oſtendi poſſe, ob quæ in Provincia Septimaniæ hoc jus ſibi Princeps vendicare poſſit. Quid ergo in negotio hujus naturæ Regia Declaratio operetur? Nec enim ea Declaratio dici poteſt eſſe lex Eccleſiaſtica, nec etiam eſſe probatio legitimæ Poſſeſſionis; imò ex ea potiùs convincitur, nullam hactenus Poſſeſſionem penès Regem fuiſſe; nam hæc Declaratio eò unicè pertinet, ut Regem in poſſeſſionem juris inducat, quam hactenus non habuit. Nullum ergo alium effectum ea Declaratio habet, quàm ut ſit argumentum Regiæ voluntatis; at verò innata Regi pietas & juſtitia nunquam permiſerint, ut is ſuas voluntates pro Eccleſiaſticis Legibus, ſe verò in cauſis ſpiritualibus pro Judice competenti haberi velit. Ad ſolam ergo Eccleſiam ſpectat, de jure & privilegio cognoſcere, quod ſola dare potuit; nec unquam ſalvâ veritate dici poterit, hanc

Digitized by Google

cauſam à competenti Judice deciſam eſſe, quandiu à ſolo profano Tribunali ſententia fluxerit, Eccleſiaſtico tacente.

Neque illud verum eſt, agnoviſſe in hac cauſa Clerum Gallicanum Regij Senatûs juriſdictionem; id enim falſum eſt, ſi loquamur de univerſali ea quæſtione, videlicet: *An Jus Regaliæ illimitatè ad Regem pertineat?* Solùm enim particulares privatæque controverſiæ, inter Regaliſtas videlicet ex una, & legitimè ab Ordinarijs proviſos ex altera partibus coram Senatu Regio agitatæ ſunt, & in Parlamentis avocatæ, juxta Henrici IV. & Ludovici XIII. Edicta, quæ contra ſententiam Parlamenti anno 1608. ad Cleri Gallicani preces impetrata ſunt, id quod Dominus Epiſcopus Alectenſis litteris ad Dominum Archiepiſcopum Narbonenſem, die 6. Junij Anno 1676. exaratis, prolixè oſtendit.

Nec enim aliquid probat, quod idem D. Archiepiſcopus Narbonenſis adjungit de poteſtate Officialis, aut Vicarij Generalis admittendi Eccleſiaſticos (qui ſe in Curia Romana proviſos eſſe aſſerunt) ab Epiſcopo rejectos, quo exemplo conatur oſtendere, etiam ab Officiali ſuo potuiſſe Conſtitutionem Epiſcopi Alectenſis damnari, Epiſcopo non citato. Cæterùm nemo non videt, quantum inter utrúmque caſum diſcriminis intercedat; præter enim illa, quæ in ſimili cauſa ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Epiſcopo Apamienſi notata ſunt, ea etiam ſubſtantialis omnino differentia accedit, quòd, cùm Officialis, ſeu Vicarius Generalis ratas habet proviſiones in Curia Romana factas, quamvis ab Epiſcopo rejectas, non de Poteſtate, quam circa hujuſmodi proviſiones Pontifex habet, judicium ſibi ſumit, ſed tantùm de proviſi qualitatibus perſonalibus; quo fit, ut hujuſmodi Vicarij ſententia nec legis vim habeat, nec ullum Pontificiæ Poteſtati præjudicium pariat. Secus foret, ſi non tam de qualitatibus perſonalibus,

ſonalibus, quàm de ipſo jure conferendi lis moveretur, tunc enim quàm maximè referret Eccleſiæ, ne hoc jus ab ijs, qui illud non habent, uſurpari permitteret; ſicque hæc cauſa propriè ad Eccleſiam pertineret, cujus defenſor legitimus & naturalis Epiſcopus eſt; non ergo judicari de illa cauſa potuit, Epiſcopo non audito: planè res nova & mira eſt, potuiſſe Officialem Narbonenſem ſibi perſuadere, coram tribunali ſuo velut Judicis competentis non diſceptari tantùm, ſed decerni etiam debuiſſe, an tota Narbonenſis Provincia Regaliæ (de qua omnibus retrò annis exempta fuerat) ſubjaceret? ídque ne vocatis quidem auditíſque Epiſcopis, quorum utique intererat, ne in novam ſervitutem illæ Eccleſiæ raperentur. Si ergo hanc novam mirámque formam judicandi admittamus, quoſcunque deinceps violandi Eccleſiaſtica jura cupido inceſſerit, id tantùm curabunt, ut primò Religionem Principis circumveniant: deinde ut Officiales Epiſcoporum lucrentur, eóſque ſuarum voluntatum executores faciant; iſti verò omnes Epiſcopos, qui injuſtis eorum conatibus obſiſtent, tamquam qui leges in Regno Gallico ſtabilitas, & ab Eccleſia receptas violâſſent, poſtulabunt. Sed mihi animus non eſt, pernicioſos omnes effectus, nec minùs Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, quàm Religioni ipſi fatales recenſere, qui ex hac agendi ratione procul dubio provenient. Ob has igitur aliáſque hujus generis rationes ſuo loco & tempore producendas præfatus Dominus Epiſcopus Alectenſis declarat, notúmque facit Eminentiſſimo Domino Cardinali & Archiepiſcopo Narbonenſi, nec non ſuprà nominatis Domino Promotori, & Joanni Petro Gaſton de Foix, ſe in appellatione perſiſtere jam ſemel ad Sanctiſſimum Dominum noſtrum Innocentium XI. Sedémque Apoſtolicam à dicta Eminentiſſimi Cardinalis Archiepiſcopi Ordinatione interpoſita, ac in

ac in optima forma proteſtatur, quidquid in præjudicium præfatæ appellationis fieri aut attentari contigerit, nullum irritúmque fore (quippe juxta Canonicas Regulas, pendente appellatione nihil fieri, aut innovari oportet) ſuáſque Conſtitutiones 5. Martij & 17. Octobris anno 1676. datas executioni interim dandas eſſe, donec à ſua Sanctitate & Sacra Apoſtolica Sede aliter diſponatur.

Documentum XIV.

Tertia epiſtola ejuſdem Epiſcopi Alectenſis ad Regem Chriſtianiſſimum.

25. Octob. 1677.

Mihi ultima vitæ meæ momenta numeranti, & quid faciendum ſuperſit, ut Divino Tribunali ſecurus ſiſtar, animo repetenti, occurrit illa Chriſti Domini noſtri ſententia, quâ jubemur: *Priuſquam Sacrificium ad Altare offeramus, fratri noſtro, qui aliquid adversùm nos habet, reconciliari.* Cùm ergo jam tempus accedat, ultimum Sacrificium, hoc eſt, vitam meam Deo immolandi, credidi neceſſitatem mihi præcipuè incumbere, placandi animum Majeſtatis Veſtræ, quam ab aliquo jam tempore, ob ea, quæ circa Regaliam contigêre, offenſam mihi, averſámque experior; tamen poſſum Majeſtati Veſtræ aſſeverare, me ſemper eo ſenſu animóque fuiſſe, quæ fideliſſimum ſubditum deceant; quantumvis Regaliam quod attinet, officij, ac Dignitatis meæ ratio eò impulerint, ut cogerer aliqua facere, voluntati, ac Mandatis Majeſtatis Veſtræ minùs, quàm cuperem, accepta; & tamen idipſum per litteras meas auſus ſum Eidem ſignificare, ídque eâ

eâ libertate, quæ Epiſcopos decet, Sacrorum Jurium Depoſitarios: & nunc quóque in hoc vitæ mortíſque meæ confinio Majeſtati Veſtræ profiteor, me nihil aliud egiſſe, quàm quod crederem Conſcientiæ, ac officio meo deberi; ídque unicum eſſe dolori meo ſolatium, & quo ſpero Deum non eſſe mihi eam indignationem adſcripturum, quam in pectore Majeſtatis Veſtræ dolens mærénſque experior; nec ideò tamen has ultimas obligationis meæ partes explere omittam, ſimúlque hanc ultimam à Majeſtate Veſtra gratiam expetere, dignetur illis ex familia mea Eccleſiaſticis Perſonis, ejúſque Mandato proſcriptis veniam clementer impertiri, quippe nullius culpæ reis, quàm quòd Epiſcopi, legitimi ſuperioris ſui, quémque Divinæ voluntatis interpretem agnoſcebant, præceptis obediverint. Non diffido, ſi modò Majeſtati Veſtræ placuerit, id ſecum reputare, veniam merituros, ac præſentibus anguſtijs, quibus conflictantur, ereptum iri. Impleat Deus Majeſtatem Veſtram cœleſtibus Suis Beneficijs, Eámque ad amuſſim Divini ſui cordis, & voluntatis Regem efficiat. Id unicum eſt ejus votum, qui plenus venerationis, ac reverentiæ eſt, eritque ſemper. Alecti 25. Octob. 1677.

Majeſtatis Veſtræ

Humillimus, obſequentiſſimus & Fideliſſimus
Servus ac ſubditus

Nicolaus Epiſcopus Alectenſis.

Docu-

Documentum XV.

Secunda epiſtola ejuſdem Epiſcopi Alectenſis ad Innocentium XI. Summum Pontificem.

IN hac confectæ ætatis & affectionis paralyticæ ſiniſtram corporis partem occupantis invaleſcente ægritudine, arctiſſimam meam cum Apoſtolica Sede communionem, & ſingularem erga Pontificatum Sanctitatis Veſtræ reverentiam & devotionem hoc monimento teſtatam volui: ſimul & extrēma Eccleſiæ mihi commiſſæ amoris officia exhibere ſatagens, ad authoritatem & tutelam Veſtram, quâ maximè modò indiget, confugio. Nativam illius & perpetuam à Regaliæ jure immunitatem, quæ illi cum tota Provincia Eccleſiaſtica Narbonenſi, & alijs quibuſdam communis eſt, juxta Concilij generalis Lugdunenſis Conſtitutionem pro parte mea hucúſque tuitus ſum. At eam novo & inſolito Regaliæ juri poſt diſceſſum meum jam inſtantem penitùs ſubjectum iri proſpicio, niſi interceſſione ſummæ Veſtræ Authoritatis apud Chriſtianiſſimum Regem ab ejuſmodi jugo vindicetur. Quare hoc unum reſtat, Beatiſſime Pater, ut ipſam in eadem libertate & immunitate, cum qua quadraginta abhinc annis eam ſuſcepi, Beatitudini Veſtræ cnſtodiendam commendem. Eſt & aliud grave mihi, Beatiſſime Pater, quippe quòd meæ cum Apoſtolica Sede communioni umbram aliquam offundere videatur, cenſura ſcilicet à Romanis Inquiſitoribus Rituali libro, qui à me ad uſum noſtræ Diœceſis editus eſt, inuſta. Libri illius à plurimis licet fratribus Coepiſcopis ſolemni approbatione laudati novum examen ſubire non detrecto: imò peropto, ſi modo Sanctitas Veſtra per ſe pro Sua benignitate

benignitate oculos & animum advertere dignata fuerit. Quidquid in eo emendandum pro Sua ſapientia duxerit, hoc pro reverentia mea emendandum duco. At priſtinum Inquiſitorum judicium, acerbum nimis & injurioſum eò magis deprecor, quò pleraque Ethicæ Chriſtianæ dogmata, tanquam ſub Generali Ritualis noſtri cenſura damnata, à viris illuſoribus, qui ſupra populum, juxta Prophetam, dominantur, paſſim tradu**e**i doleo. Hanc labem à me, hanc ſanctiſſimis dogmatibus fraudem & calumniam ut amoliatur Sanctitas Veſtra, ultimùm obſecro & ſupplico. Itáque votorum tum hujus, tum ſuperioris Epiſtolæ ſummâ in ſinu Sanctitatis Veſtræ repoſitâ, mortem expecto, Apoſtolicâ Veſtrâ benedictione jam mihi conceſsâ munitus, & neceſſario maximè precum Veſtrarum præſidio apud ſummum Judicem adjuvandus.

Alecti die 25. Octob. Anno 1677.

BEATISSIME PATER,

Sanctitatis Veſtræ

Humillimus & Obſequentiſſimus
Filius & Servus

Nicolaus Epiſcopus Alectenſis.

Documentum XVI.

Mandatum Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi D. Franciſci Caulet Epiſcopi Appamienſis.

FRanciſcus miſeratione Divinâ Epiſcopus Appamienſis, Chariſſimis & Dilectiſſimis Fratribus & Canonicis Eccleſiarum noſtrarum Cathedralis, & Collegiatæ Beatiſſimæ Virginis Campenſis, Archipresbyteris, Rectoribus, Vicarijs, aliiſque

aliiſque Eccleſiaſticis Perſonis Salutem & Benedictionem. Intelleximus Dominum Paucet Diœceſis Leonenſis Presbyterum obtentu Regaliæ, cui Diœceſis noſtra Appamienſis nunquam ſubjacuit, Canonicatûs & Archidiaconatûs Regularium Capituli noſtri Cathedralis poſſeſſionem captare. Et quia tam Epiſcopale ipſum officium, quo, licet indigni, perfungimur, quàm etiam Oecumenici Lugdunenſis Concilij Decretum, cujus initium eſt: *Generali Conſtitutione:* gravem nobis imponunt neceſſitatem, Eccleſiæ noſtræ jura tuendi, impediendíque, ne Regalia in eas Eccleſias ac Provincias irrepat, quæ huic ſervituti nunquam obnoxiæ fuêre; ideò niſi Cenſuras à præfato Concilio intentatas incurrere, ac inſuper gravi conſcientiam noſtram delicto obſtringere vellemus, non potuimus ullo pacto permittere, ut ſilentibus nobis, ac turpi conniventia defixis, idem Jus Regaliæ in hanc noſtram Diœceſim induceretur; tantóque magis, quia licet in hac noſtra Diœceſi Regaliæ locus aliquis eſſe poſſet, quod tamen minimè concedimus, tamen ad Cathedralem Eccleſiam extendi haud poſſet; quippe quæ ex ſua Inſtitutione Regularis eſt, ac Reformata; adeóq; niſi à Deo ad Religioſum ſtatum evocati, probatíque diuturno ac conſueto tyrocinio, ad nullum Canonicatum, aut Dignitatem aliam ejuſdem Eccleſiæ noſtræ Cathedralis promoveri poſſunt; quod etiam Pontificio Alexandri VII. Regióque Diplomate cautum eſt. Ac tandem toto triginta trium annorum curſu, quibus huic noſtræ Eccleſiæ præfuimus, quamvis indigni, omnia Ejuſdem Eccleſiæ vacantia Beneficia, ſine contradictione, liberéque contulimus. Ex his igitur aliiſque cauſis, utque partibus à Deo nobis impoſitis deeſſe ne videamur, hiſce noſtris præſentibus litteris Capitulis Cathedralis, & Collegiatæ Dominæ noſtræ Eccleſiarum diſtrictè inhibemus, ne ad Beneficia, locúmque in Cho-

ro, aut Capitulo recipiendum, aliáſque prætactis Beneficijs annexas functiones exercendas hujuſmodi ex titulo Regaliæ proviſos admittere præſumant, idque ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ; quâ omnes illi obſtricti teneantur, qui quovis modo, aut quæſito colore hujuſmodi Beneficiorum uſurpatores conſilio, aut auxilio adjuverint, aut aliàs eorum conatus promoverint. Ipſos verò, ita ut præfertur, titulo ac colore Regaliæ proviſos ac Beneficiatos, ne ſe hujuſmodi Beneficijs ingerant, ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrendæ, æquè prohibemus. Præcipimus etiam omnibus Perſonis Eccleſiaſticis, ne ullum auxilium, conſilium, aut aſſiſtentiam ad capiendam, aut ineundam poſſeſſionem hujuſmodi Uſurpatoribus præſtent, idque ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, &c. Appamijs in Ædibus Epiſcopalibus 27. April. Anno 1677.

Franciſcus Epiſcopus
Appamienſis.

Documentum XVII.

Epiſtola ejuſdem Epiſcopi Appamienſis ad Regem Chriſtianiſſimum.

Domine, &c.

INter tot Regias virtutes, quas in ſacram Majeſtatis Veſtræ Perſonam Divina manus effudit, perſuaſum ſemper habui, nullam æquè Chriſtianiſſimo Principe dignam eſſe, ut facilitatem clementiámque, quâ ſubditorum, ac præſertim Epiſcoporum preces plenáſque reverentiæ voces benignè admittit. Id mihi animos fiduciámque addidit, ut crederem haud

haud fore ingratum Majeſtati Veſtræ, ſi quam mihi conati ſunt calumniam aſpergere, quæque tanto altiùs in animum meum deſcendit, quòd fidelitatem, obedientiámque Principi meo debitas, fædare conentur, ad pedes Majeſtatis Veſtræ ſupplex purgarem. Perſuadere conati ſunt Majeſtati Veſtræ, me non morari tantùm, ſed nec ferre eos poſſe, qui militiam profitentur: ac Sacerdotibus Sacramenti Pœnitentiæ miniſtris in mandatis dediſſe, ne quemquam, qui eam vitam amplexi eſſent, nec illi abnuntiâſſent, peccatis expiarent. Facilè equidem mihi eſſet, tam fœdæ calumniæ diluendæ, eorum numerum recenſere, qui ex mea Diœceſi ſub auſpicijs Majeſtatis Veſtræ, aut Ducum, aut gregariorum militum conditione nomen militiæ dederunt; ſed vereor, ut Majeſtatis Veſtræ patientiâ abutar. Poſſem etiam atteſtationes ac chirographa exhibere quàm plurium Confeſſariorum ex locis, ubi miles hyberna egit, aſſeverantium Sacramenta quamplurimis adminiſtrata eſſe, imò omnibus, modò illis ritè accipiendis animum aptaverant; & ego nonnullos Sacramento Confirmationis initiavi. Non potui igitur non vehementer mirari, fuiſſe ex inimicis meis, qui ut animum Majeſtatis Veſtræ à me averterent, auderent Illum tam falſis juxtà, & inverecundis criminationibus imbuere. Num ergo ignorare Epiſcopus potui, artem vitámque militarem non ſolùm innoxiam eſſe, niſi aliunde inquinetur, ſed etiam tuendæ augendæque Reipublicæ neceſſariam? Quòd ſi aliquando cum militum nonnullis hac in cauſa locutus ſum, id ſolum fuit, ut eos exemplo Joannis Baptiſtæ cohortarer ad innocenter militiam exercendam, ac juſſa Majeſtatis Veſtræ obſervanda, quæ à nonnullis calcata videbam, dolebámque, populo varijs exactionibus injuriiſque vexato; adeò ut opus fuerit in eorum nonnullos animadvertere.

Patietur quoque Majeſtas Veſtra, ut hâc ipsâ occaſione rationem ei omnium reddam, quæ inter me, & Eccleſiaſticum quendam peracta ſunt, cùm prætextu Regaliæ Archidiaconatu Appamienſis Eccleſiæ potiri vellet; ego illum Mandato, ac Cenſuris Eccleſiaſticis procul arcendum duxi; idque ut agerem, non alias planè ob cauſas permotus ſum, quàm ut conſcientiæ meæ, ac juramento ſatisfacerem, quo cùm Epiſcopalem Cathedram conſcendi, ad Eccleſiæ meæ jura ac libertates conſervandas ſanctè me obſtrinxi. Eccleſia Appamienſis, cujus ego curam quamvis indignus ſuſtineo, nunquam Regaliæ ſubjacuit, ídque non tam privilegio, Principum liberalitate accepto, quàm naturali, & à prima fundatione coævâ libertate. Quî ergo connivere ego poſſem, ut illa Diœceſin meam inveheretur, niſi & Dignitate, quâ fungor, indignum me redderem, & Decretis Lugdunenſis Concilij quatuor ſæculorum obſervantiâ ſubnixis, & Regum Galliæ Edictis præſertim Henrici Magni, glorioſæque memoriæ Ludovici Majeſtatis Veſtræ Patris adverſarer? Accedit, quòd novi hujus juris invectio, ne totam eam Reformationem Eccleſiæ meæ penitùs everti contingeret, quam pari felicitate & favore cum Pontificis Alexandri VII. tum Majeſtatis Veſtræ eam Regio Diplomate protegentis ad metas perduxi; nec enim ſperare licet, eum, qui Archidiaconatum nuper obtinuit (primam videlicet Eccleſiæ meæ Dignitatem) quíque illum deinceps ſequentur, eo animo huc feſtinâſſe, ut ſacræ militiæ tyrocinium facerent, communíque bonorum ſocietate contenti, mundum, ejúſque cupiditates deponerent. Si ergo, qui jam Deo vocante Religionem amplexi ſunt, profeſſione ſuâ, votíſque abſiſtere cogantur, ac certum animarum ſuarum adire naufragium, alijs videlicet, alieníſque Beneficia ſua, quibus ſuſtentabantur, relicturi, illud quóque

&

& neceſſariò conſequeretur, ut Divinis officijs Ecclesia mea deſtituatur; nec enim, ut Majeſtati Veſtræ ſuggeſtum fuit, ea Congregationi ſanctæ Genovevæ unita eſt, ſed ſuis, ac particularibus ſtatutis & legibus gubernatur. Cæterùm dignetur Majeſtas Veſtra mihi credere, nihil uſpiam terrarum eſſe, quod fidelitatem ac obedientiam meam, quas Eidem profiteor, ulla ex parte minuere, aut inquinare poſſit, imò nihil æquè mihi cordi ac curæ eſt, eáſque inter præcipua capita mearum obligationum colloco. Nec credo, me aliâ re magis eas Majeſtati Veſtræ probare, teſtaríque potuiſſe, quàm ſi eodem tempore me DEO, ejúſque Divinis præceptis æquè fidum promtúmque oſtenderem; quam enim fidem ab illis Principes expectent, qui eam DEO negârunt? Enimverò pro Majeſtate Veſtra nullum finem ſacrificandi precandíque faciam, quo cœleſtem Ei, totíque Regiæ ſtirpi Benedictionem, ac Gratiam à DEO efflagitem, ac interim, quâ majori poſſum veneratione, & obſequio ſum eróque ſemper.

Appamiis 29. Junij 1677.

Majeſtatis Veſtræ

Humillimus, Obſequentiſſimus & fideliſſimus
Servus & Subditus

Franciſcus Epiſcopus Appamienſis.

Documentum XVIII.

Actus Capitularis Eccleſiæ Appamienſis contra Procuratorem Domini Paucet Regaliſtæ.

ANno Domini 1677. die vigeſimâ Junij comparuerunt in Civitate Appamienſi coram me notario Regio P. Franciſcus Carlat Archipresbyter Eccleſiæ Cathedralis Appamienſis, & Prior Clauſtralis ex una; Dominus Joannes Ludovicus la Caze Diœceſis Convenenſis, D. Petri Paucet Presbyteri legitimus Procurator ex altera partibus: qui ultimus expoſuit, ſe circa horam nonam ante meridiem comparit urum, atque Chirographum Regium exhibiturum, vigore cujus Archidiaconatus, & Canonicatus Regularis, olim à Domino Maſcarone poſſeſſus, præfato Domino Petro Presbytero confertur; rogare proinde, ut nomine ac vice ſæpedicti Domini Petri ac Regij Chirograhi intuitu, ut in Archidiaconatum ac Canonicatum Appamienſem recipere eum vellent. Cui petitioni per eundem Dominum Franciſcum Carlat Archipresbyterum reſponſum eſt, ſe poſt ſolemne Sacræ Miſſæ officium Capitulares convocaturum. Convocatis ergo, atque in unum collectis Cathedralis Eccleſiæ Canonicis, poſt communem maturámque deliberationem, ex omnium unanimi, atque concordi ſententia reſponſum eſt: ſe videlicet, ſalvo interim omni reſpectu Majeſtati Suæ debito, non poſſe, nomine quo ſuprà, dictum Dominum la Caze recipere, idque ex ſequentibus rationibus. Primò. Quia per expreſſam Alexandri VII. Bullam, Diplomate quóque Regio confirmatam, enixè ſancitum eſt, ne quis, niſi poſt inchoatum, expletúmque juſſu Epiſcopi Tyrocinium, ſequu-

ſequutámque deinceps Profeſſionem ad Beneficia Eccleſiæ Appamienſis recipiatur. Secundò. Quia ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Epiſcopo ſuo Cathedrali Capitulo prohibitum eſt, ne quemquam titulo Regaliæ ad Beneficia prænominatæ Eccleſiæ admitterent, locum in Choro, aut Capitulo darent, aut aliàs fungi permitterent dictorum Beneficiorum officijs, idque ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ. Tertiò. Quia Decreto tum Generalis Concilij Lugdunenſis, cujus initium: *Generali Conſtitutione*, tum etiam Oecumenici Tridentini *Seſſ. 22. cap. 11.* inhibetur, ne ullâ ratione, conſilio, ſeu auxilio Regaliam promoveant (quæ in Eccleſia Appamienſi locum nunquam habuit) néque ſub pœna anathematis jura Eccleſiarum violari, ac labefactari permittant. Utque prædicta Capitularis Declaratio ignorari à nemine poſſit, &c.

Documentum XIX.

Actus Reverendiſſimi Epiſcopi Appamienſis ad Reverendiſſimum Archiepiſcopum Tholoſanum directus.

ANno 1677. die 18. Octob. In Civitate & Palatio Epiſcopali Appamienſi, Regnante Chriſtianiſſimo Principe Ludovico, Galliæ & Navarræ Rege, coram me Notario publico & Regio, ac teſtibus infrà notandis, Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Franciſcus Stephanus Epiſcopus Appamienſis perſonaliter conſtitutus, átque per hunc actum à me legitimè conſcriptum, verba ſua dirigens ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Dominum Joſephum de Monpezat Archiepiſcopum Tholoſanum; nec non ad Dominos Guilielmum

mum Cazamagion Presbyterum & Promotorem Eccleſiæ ac Provinciæ Tholoſanæ, & Petrum Paucet Presbyterum Diœceſis Leonenſis, proteſtatur, declarátque: ſe ejuſdem D. Archiepiſcopi Kalendis Septembris proximè elapſi pronuntiatæ ſententiæ nullo modo acquieſcere ac deferre poſſe, quâ nuperum, hoc eſt, vigeſimâ ſeptimâ Aprilis emiſſum ab eodem D. Epiſcopo Appamienſi Mandatum Legibus Regni Gallicani, communíque tranquillitati, ac hujus Provinciæ Eccleſiaſticæ Diſciplinæ adverſum, ac proinde unà cum Cenſuris ibidem intentatis, nullum viribúſque caſſum declarat, prohibétque inſuper, ne quis hujuſmodi Cenſuris, aut Mandatis deferat, eíſque obediat, aut illa executioni mandet; multóque magis ipſi Domino Epiſcopo Appamienſi, ne hujuſmodi Mandata deinceps publicari, ac executioni dari permittat, ſeriò injungit. Præcepit inſuper Capitulo Appamienſi ſub pœnis à Jure præſcriptis, ut præfatum Dominum Paucet in Canonicum ejuſdem Eccleſiæ recipiant, inſtallent, ínque poſſeſſionem immittant, ita tamen, & non aliter, quàm ſi juxta formam à ſacris Canonibus, ac litteris Proviſionis traditam, vota Religionis, ſacrámque Profeſſionem emiſerit. Denique Promotori ſuæ Archidiœceſis imponit, ut præfatam ſententiam in ipſa Civitate Metropolitana, nec non Urbe Appamienſi, aliíſque Archiepiſcopatûs ſui Diœceſibus legi, affigi, promulgaríque faciat.

Huic ergo à Domino Archiepiſcopo Tholoſano latæ ſententiæ, declarat præfatus D. Epiſcopus Appamienſis, ſe acquieſcere ac deferre non poſſe, eámque tam ſecundùm formam, quàm rem ac ſubſtantiam ipſam, nullam irritámque eſſe pronuntiat. *Primò* enim ſecundùm formam nulla eſt; quia omni jure etiam naturali cautum eſt, ne ſententia à Judice aliquo feratur, niſi auditis priùs, aut ſaltem citatis partibus,

partibus, quarum intereſt; id quod innumeris ferè auctoritatibus probare liceret, niſi res eſſet adeò nota, ac in jure tam clarè deciſa, ut ne quidem ullâ probatione indigeat. Sufficiat canon 22. Concilij Nicæni: *Caveant Judices Eccleſiæ, ne abſente eo, cujus cauſa ventilatur, ſententiam proferant, quia irrita erit.* Et Decretis Innocentij IV. in Capitulo: *Venerabilibus.* De ſententia Excommunicationis. In qua caſus, de quo agimus, ferè in terminis definitus eſt, ita enim habet: *Attamen ſi ſuffraganeus, vel extra judicium pro ſuorum jurium defenſione: vel etiam in judicio, ex ſuo procedens officio, inquirendo videlicet, vel ſimile quid agendo aliquem excommunicet; in hoc caſu conveniendus eſt ipſe ſuffraganeus coram Archiepiſcopo, vel ejus officiali; quia ipſius intereſt, defendere cauſam ſuam.* Planè inauditum eſt, fuiſſe à Metropolitano contra ſuffraganeum in cauſa appellationis, ad ſolam inſtantiam partis, nec vocatis, quarum intererat, partibus, pronuntiatum. Nec ipſe D. Paucet hunc adeò eſſentialem errorem inficiari potuit, imò illi quâvis ratione obtegendo colores ac prætextus collegit. Ait enim, poſſe à Metropolitano contra Suffraganeos Epiſcopos, titulo denegatæ juſtitiæ, & ſi Archiepiſcopo de cauſis conſtat, cur ſuffraganei adminiſtrare juſtitiam noluerint, ſententiam dici. Cæterùm prӕterquam contra hujuſmodi abuſum ſæpe multúmque ab Epiſcopis declamatum eſt, oporterétque eum corrigi aliquando; confundit inſuper idem D. Paucet voluntariam ac contentioſam Juriſdictionem, & ea, quæ ad gratiam, quæque ad juſtitiam pertinent. Si quis enim Apoſtolicâ authoritate Romæ proviſus compareat, ac virtute hujuſmodi Proviſionis Beneficium ab Ordinario petat, is meram gratiam, ejúſque executionem, & nihil aliud petit, ſícque nullâ partium citatione opus eſſe videtur. Si verò ab Epiſcopo aut Metropolitano ſententia aliqua in Petitorio

 feratur,

Digitized by Google

feratur, quis unquam dubitavit, vocandas eſſe partes, de quarum jure ac præjudicio agitur? & niſi vocentur, ſententiam eſſe nullam irritámque? Idémque dicendum eſt de ſententia Judicis ſæcularis, quando de mera Poſſeſſione Beneficij controverſia agitur; ſi enim hâc formalitate careat, & partes, quarum intererat, vocatæ non ſint, nemo negaverit hujuſmodi ſententiam nullam fuiſſe. Denique in omni judicio tres diſtinctæ Perſonæ reperiri debent, videlicet: Actoris, Rei, Judicíſque; ideò quamvis fortè Metropolitani gratias impertiri ſoleant à ſuffraganeis recuſatas, nunquam tamen exemplum aliquod produci poterit, fuiſſe eorundem ſuffraganeorum ſententias & Decreta à Metropolitanis ſublata, & pro irritis caſsíſque declarata, partibus non vocatis.

Multo minùs ſuſtineri poteſt, quod in hujus tam manifeſti erroris defenſionem idem D. Paucet allegat, videlicet: Mandatum Reverendiſſimi D. Epiſcopi Appamienſis in eadem Appamienſi Diœceſi ubíque locorum publicatum diſperſúmque fuiſſe, ſícque omnes juxtà rationes & argumenta, quæ eundem D. Epiſcopum ad hoc Mandatum expediendum permoverant, in omnium notitiam perlatas eſſe: non ergo citandas fuiſſe neceſſariò partes ad reſpondendum, cùm jam conſtaret, ac palàm omnibus foret, quid eſſent reſponſuræ. Verùm qui ſciri potuit, omnes Epiſcopi Appamienſis rationes eo Mandato contineri, & non plures alias in ſcrinio pectoris occultari, ſuo tempore exponendas? Et planè ex induſtria nonnullæ ſuppreſſæ ſunt, ac in commodiorem occaſionem ſervatæ. Sed quidquid de hoc ſit, novum omnino, & inauditum, ac ſine exemplo eſt, fuiſſe Reum à Tribunali, ac judiciali defenſione excluſum, quia extrajudicialiter, privatímque cauſam dixerat; quaſi verò quis neſciat, in ipſo Contradictorio judicio, Litíſque Conteſtatione, partibus ultro citróque

Digitized by Google

citróque proponentibus, ac reſpondentibus multo clariùs veritatem micare, ac partium jura palàm fieri. Sed nec ipſe D. Paucet unquam mundo perſuadebit, aliam ei cauſam fuiſſe tam neceſſariæ Citationis declinandæ, quàm quòd jura rationéſque Epiſcopi Appamienſis adeò ei clara, omníque exceptione majora videbantur, ut puderet obluctari. Denique ſi nihil aliud, illud ſaltem oportebat ab Epiſcopo intelligere, an opinioni ſuæ, Mandatóque jam ſemel vulgato inſiſtere, ac inhærere vellet.

Secundò. Ex eo etiam capite Sententia Tholoſana quoad formam nulla & irrita eſt, quòd in illa dicatur: *Mandatum D. Epiſcopi Appamienſis Legibus Regni Gallicani adverſari.*

Quaſi verò Archiepiſcopi partes ſint, de Legibus Regni, earúmque contraventionibus judicare, aut Eccleſiaſtica Juriſdictio alium finem habeat, quàm Canonum Eccleſiaſticorum obſervantiam; aut aliquis etiam Judicum ſæcularium ſit, qui non omnino ſibi perſuadeat, hujuſmodi ſententias defectu Juriſdictionis ſuos limites excedentis, nullas eſſe irritáſque. Præter hos, & eſſentiales defectus circa formam judicij commiſſos, alij nec pauci numero acceſſere, ab honeſtate ac decoro inter homines obſervari ſolito alieni. Demus enim Mandato Epiſcopi Appamienſis aliquid defuiſſe, quo rejici mereretur; at honeſtas ſaltem expoſcebat, & veneratio Dignitati ac Characteri Epiſcopali debita, ut priùs moneretur Appamienſis Epiſcopus (primus videlicet, & antiquiſſimus in Archidiœceſi Tholoſana Antiſtes) & aliqua componendæ liti ratio tentaretur, quàm ut liceret in extrema, ac ſententiam procedere multis injurijs ſparſam; qualis ea eſt, quam D. Archiepiſcopus nuper pronuntiavit, quæque Domini Paucet ſupplicationem contemptûs falſíque plenam

 non

Digitized by Google

non admiſit tantùm, ſed etiam recitavit, ac publico expoſuit. In ea ſiquidem dicitur

Primò. Promiſiſſe Regi Epiſcopum Appamienſem, ſe juramentum fidelitatis in publica acta referendum præſtiturum. Id verò falſum omnino eſt, nec aliâ intentione à Domino Paucet confictum vulgatúmque, quàm ut invidiam odiúmque Epiſcopo conflaret, perinde ac ſi ipſe fidem violâſſet Regi obligatam; cùm tamen ſuper hac cauſa neque Rex ſit aliquando cum Epiſcopo collocutus, neque ipſi Epiſcopo unquam in mentem venerit, Regi aliquid ſimile aut immediatè per ſe, aut per alios polliceri.

Secundò. Idem D. Paucet Epiſcopo Appamienſi objectat, malè ſententiam ac Decreta Lugdunenſis Concilij ab eo eſſe intellecta, ídque ex verbis Concilij, ac Gloſſa conſtare. Cæterùm hæc cùm dicit, palàm omnibus facit, ſe illum ipſum eſſe, qui mentem Concilij Lugdunenſis malè aſſecutus eſt, quíque priùs de veritate edoceri, inſtruíque certiùs debuiſſet, quàm ut Epiſcopo hæc exprobraret non ſine dedecore, injuriáque ſacræ Dignitatis: & prætereà quàm hæc objectio à vero abludat, idem Epiſcopus Appamienſis, cùm ad hujus quæſtionis cardinem ac ſubſtantiam ſermo perveniet, clariùs oſtendet, quàm ut negari ab aliquo poſſit.

Tertiò. Conatur idem D. Paucet notam læſæ Majeſtatis Domino Epiſcopo adſpergere, quando adjungit, Cenſuras ab eo intentatas nullum alium finem ſpectare, quàm ut Populùm concitent, ac legibus Edictíſque Regijs rebellem faciant. Id verò quàm eſt à veritate ac mente ejuſdem Domini Epiſcopi alienum, quámque ejus moribus huc uſque inculpatis adverſum, tam graves pœnæ debentur temeritati iſta ſcribentis; enimverò Epiſcopus Appamienſis nulli Galliæ Antiſtitum, aut fidelitatis, obſequij, aut curæ & obſervantiæ in Regem,

gem, ac publicum Galliæ bonum palmam concedet. Quòd ſi in præſenti Regaliæ controverſia minùs ad Regiam voluntatem acceſſit, quàm Aula ſperavit; erit aliquando tempus, cùm Majeſtati Suæ conſtabit, id ex ſolo metu proveniſſe Dei offendendi, quem unum Petrus Apoſtolus honori ac reverentiæ Regibus debitæ præmiſit: *Deum*, inquiens, *timete*, *Regem honorate*. Imò tanto firmius eſt vinculum, quod eundem Epiſcopum Regio ſervitio adſtringit, quanto magis nulli adulationi mixtum, ſolóque Dei præcepto, Reges honorari jubentis, obligatione ſubditorum in Principem, Regiíſque virtutibus nixum, quibus Majeſtas Sua abundat, & dignam Se omni obedientiâ ac fidelitate reddit. Sed nec magis curæ ac Religioni fuit, Provinciæ & Diœceſis Tholoſanæ Promotori in regulas decori ac æquitatis offendere, Epiſcopo Appamienſi debitæ. Dicit enim, hujus Decreto & Mandato multorum conſcientias ac Ordinem Eccleſiaſticum turbatum eſſe; perinde, ac ſi turbas & motus vereri nos oporteat, quæ in dyſcolorum animis veritatis & juſtitiæ leges excitare ſolent. Nec enim Epiſcopi Appamienſis Mandatum aliò ſpectavit, quàm ne Canones Eccleſiæ violarentur, neque per alias vias ad Beneficia acceſſus pateret, quàm per illas, quæ ab ijſdem ſacris Canonibus præſcribuntur. Nec ab illo novæ pœnæ dictatæ ſunt, ſed antiquæ, quæ ſacrorum Canonum violatoribus debentur, tantùm declaratæ. Atque utinam ſecum perpenderet Tholoſanus Promotor, pacem, pro qua in hac materia adeò laborat, multo animabus fore perniciosiorem, quàm quidquid turbarum & inquietis ex Epiſcopi Appamienſis Decreto profectum eſſe dicitur; nihil quippe aliud ab Appamienſi Epiſcopo factum eſt, quàm ut Decreta exequeretur Lugdunenſis Concilij. Cùm ergo anathemata ab hoc Concilio illata Tholoſanus Epiſcopus fruſtra

conetur elidere ; ſequitur, ut qui illis obſtricti ſunt, tanto infeliciùs periclitentur, quanto minùs periculum ſuum ſentiunt, eóque liberari haud curant, dicentes: *Pax pax, & non erat pax.*

Id quod poſtea idem Promotor adjungit, nihil contra Edicta, Declarationes, ac Mandata Regia poſſe à quoquam ſine culpa tentatæ Majeſtatis decerni ; una ex ijs Regulis ac Maximis eſt, quæ ſi abſque debita limitatione intelligatur, totam evertere Religionem poſſit.

Sed & illud admiratione dignum: auſum videlicet eſſe miniſtrum Archiepiſcopalem, cui præcipuè ſacros Canones obſervandi cura incumbit, Archiepiſcopo ſuo ſupplicare, ut aboleri Decretum faceret, quo executio Lugdunenſis Concilij unicè urgetur, útque Appamienſi Epiſcopo prohiberet, ut deinceps ſimilibus Mandatis faciendis vulgandíſque abſtineret. Id verò Juriſdictionem Appamienſis Epiſcopi apertè lædit ; cùm Metropolitani partes ac officium non ſit, leges pro aliena Diœceſi ſtatuere; multóque minùs, ne mandatis ſuffraganei obtemperetur, prohibere.

Prohibet idem Promotor, ne à quopiam mortalium hujuſmodi Mandatis ac Cenſuris deferatur, perinde, ac ſi obedientia illis præſtita, vitio culpæque adſcribi debeat: & ne fortè Promotoris hæc ſenſa in occulto lateant, aut potiùs, ut tanto plus habeant doloris, vulgatum ludibrium, curat urgétque, ut ſententia Toloſana, quâ Epiſcopi Appamienſis Mandatum irritum caſſúmque decernitur, totâ Provinciâ publicetur, omnibúſque valvis Urbis Metropolitanæ affigatur, ut videlicet tanto hoc apparatu, pompáque ſeveritatis omnes Suffraganei Epiſcopi, quamvis nunquam auditi, Tholoſanæ ſententiæ ſe quamprimùm ſubmittant; perinde videlicet, ac ſi ea non unius Archiepiſcopi, ſed totius Provincialis

cialis Concilij ſententia foret, in quo tamen æquum eſſet, eos non conſuli tantùm, ſed etiam Perſonam Judicum ſuſtinere. Sed neque hoc ſatis fuit, ut ad fores Eccleſiæ tam inſignis ſententia penderet, illud quóque adjunctum eſt, ut inter publicas ſolemnéſque preces ac Conciones, quæ Miſſæ Sacrificium comitantur, etiam extra Tholoſanam Provinciam promulgaretur.

Ipſe verò D. Archiepiſcopus, à cujus tamen æquitate ſperari debuit fore, ut iſtorum Clericorum audaciam ſuâ auctoritate coërceret, tantum abfuit, ut id ageret, ut potiùs ipſe in Mandatum Appamienſe manus immittat fædétque, impoſitis criminationibus, perinde ac Conſcientiarum tranquillitati, Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, ac Gallicis Legibus adverſum; ſi & Promotoris Tholoſani querelis per omnia ac verbatim ferè conſentit, unde complures nullitates defectúſque non contra formam ſolùm, quod modò oſtenſum, ſed etiam contra ſubſtantiam ipſius cauſæ, quod deinceps manifeſtum faciam.

Tertiò. Tholoſana Sententia etiam quod ſubſtantiam, ac merita cauſæ ipſius ſpectat, nulla & irrita eſt; Epiſcopi enim Appamienſis Mandatum nihil aliud complectitur, quàm executionem Lugdunenſis & Oecumenici Concilij totâ Galliâ recepti, & quatuor ferè ſæculorum obſervantiâ firmati; ex quo ſequitur, Dominum Archiepiſcopum Tholoſanum in præſenti materia incompetentem Judicem eſſe; cùm enim de cauſa agatur maximi ac præcipui momenti, totámque Eccleſiam ſpectante, déque Generalis Concilij executione, qui poteſt prohiberi Epiſcopus, ne id agat obſervétque, quod à tota Eccleſia obſervari oportet? aut quâ ratione ei adimi, aut reſtringi poteſtas, quam ab Eccleſia recepit? Quidquid ergo hac in re ab Archiepiſcopo Tholoſano fieri poterat, illud

illud fuit, ut Synodum Provincialem convocaret, in eáque examinari curaret, an Epiſcopus Appamienſis terminos tranſgreſſus eſſet à Concilio Lugdunenſi præſcriptos; eâ ferè ratione, quâ in materia civili non poteſt Judex ſubalternus de ijs cognoſcere, quæ inferior Judex ex Mandato Superioris, útque *merus executor* decrevit peregítque, niſi forſan exceſſiſſet fines Mandati. Ipſimet Archiepiſcopi & Metropolitani, ſi ex Conciliorum ſententia loqui velimus, nihil aliud ſunt, quàm ſacrorum Canonum executores, nec in Epiſcoporum Suffraganeorum Diœceſes jus ullum habent, exceptis caſibus certis in jure expreſſis. Nec dici poteſt, ſpectâſſe ſaltem ad dictum D. Archiepiſcopum jus cognoſcendi judicandíque, an Appamienſe Mandatum conforme eſſet Lugdunenſi Concilio; præterquam enim quòd nil clarius eſt, quàm ut examine aliquo, aut ſententiâ indigeat, accedit inſuper, materiam & cauſam hanc tanti eſſe momenti, ut à ſolo Archiepiſcopo ſine Concilio Provinciali decidi non poſſit; & tamen non ſolùm ſine Provinciali Concilio, ſed etiam, uti apparet, ſine omni alio, etiam privato Concilio deciſa eſt. In Chalcedonenſi Generali Synodo ita decretum eſt. *Can. 9. Si Clerus adversùs ſuum, vel alium Epiſcopum habeat cauſam, apud audientiam Synodi Provinciæ ejus conqueratur.* Quod tunc maximè neceſſarium eſt, habétque locum, cùm non unius tantùm Epiſcopi, ſed totius Provinciæ cauſa ac negotium vertitur.

Sed utcunque hæc ſe habeant, illud ſaltem certum eſt, non poſſe Mandatum Appamienſe, ac Cenſuras in eo contentas pro nullis irrtiíſque haberi, niſi dicamus, aut Lugdunenſe Concilium de Regalia non loqui, aut non eſſe illud Concilium in Gallijs receptum, aut denique Diœceſin Appamienſem ex illis eſſe, ubi Regalia jam uſu ac conſuetudine invaluerat. Sed quidquid ex his dicas, manifeſtæ falſitatis convinci

vinci poteſt. Primum enim quod attinet, ex verbis ipſius Lugdunenſis Decreti, ac Gloſſæ illud explicantis res tota palàm fiet. Verba ergo Decreti Lugdunenſis ita habent: *Generali Conſtitutione ſancimus, univerſos & ſingulos, qui Regalia, Cuſtodiam, ſive Guardiam, Advocationis, ſive defenſionis titulum in Eccleſijs, Monaſterijs, ſeu quibuslibet alijs locis pijs, de novo uſurpare conantes, bona Eccleſiarum, Monaſteriorum, aut locorum ipſorum vacantium occupare præſumunt, quantacúnque Dignitatis honore præfulgeant: Clericos etiam Eccleſiarum, Monachos Monaſteriorum, & Perſonas cæteras locorum eorundem, qui hoc fieri procurant, eo ipſo Excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere. Illos verò, qui ſe, ut deberent, talia facientibus non opponunt, de proventibus Eccleſiarum, ſeu locorum ipſorum, pro tempore, quo præmiſſa ſine debita contradictione permiſerint, aliquid percipere diſtrictiùs prohibemus. Qui autem ab ipſarum Eccleſiarum, cæterorúmque locorum fundatione, vel ex antiqua conſuetudine jura ſibi hujuſmodi vindicant, ab illorum abuſu ſic prudenter abſtineant, & ſuos miniſtros in eis faciant ſolicitè abſtinere, quòd ea, quæ non pertinent ad fructus, ſive redditus provenientes vacationis tempore, non uſurpent, nec bona cætera, quorum ſe aſſerunt habere cuſtodiam, dilabi permittant, ſed in bono ſtatu conſervent. De elect. & electi poteſt. in 6.* Hactenus Concilij verba, nunc Gloſſam audiamus. *Pro intellectu hujus Capitis ſupponendum eſt, ſecundùm veriorem intellectum ipſius, quid propriè textus appellet Regalia. Quidam volebant dicere,* (His verbis oſtendit Auctor Gloſſæ, ſe non probare primam hanc Regaliæ acceptionem) *quòd Regalia accipiantur pro juribus Imperialibus, de quibus in libris Feudorum. capit. quæ ſint Regalia. Ut ſi Rex donaverit Regalia Eccleſiæ, & aliquis ea uſurpat, de facto ſit excommunicatus. Alij dicunt, quòd Regalia accipantur pro juribus, quæ habet Princeps in aliquibus Eccleſijs, videlicet: quòd vacante aliquâ Eccleſiâ aliquis Comes, vel Dux,*

 qui

qui dicebat, ſe habere jura Regaliæ, in ipſa Eccleſia occupavit Cuſtodiam Eccleſiæ vacantis, & dicebat, quòd fructus ipſius Eccleſiæ ad ipſum ſpectabant, licet non fuiſſet uſus ipſo jure. Gloſſa, quam D. Paucet in ſui patrocinium adducit, notat quidem nomine Regaliæ, *nova tributa, novas collectas, nova vectigalia intelligi.* Sed Archidiaconus hujus Gloſſæ Auctor adjungit: *Regalia, id eſt, quæ capiunt Reges vacante Eccleſiâ, ut patet in Francia Regno, & Anglia; nam illic vocantur Regalia jura Regis, quibuſdam Eccleſijs vacantibus competentia.*

Id, quod poſteà eadem Gloſſa adjungit ad verbum, *Cuſtodiat*, ſatis oſtendit, fuiſſe Concilij Lugdunenſis mentem univerſim de juribus vacantium Eccleſiarum diſponere, & non ſolùm prohibere, ne novis tributis, aut collectis gravarentur, ſed etiam ne illarum ſeu temporalia, ſeu ſpiritualia jura, quale eſt Jus Patronatûs, uſurparentur; ſic enim loquitur Gloſſa: *Quocúmque ergo nomine cenſeantur uſurpantes de novo tale jus in Eccleſijs, & alijs locis pijs, & bona ipſorum locorum vacantium occupantes, excommunicati ſint.*

Conſtat ergo etiam ex ſententia ipſius Gloſſæ, Concilium Lugdunenſe de jure Regaliæ locutum eſſe, ſive quia illius Conſtitutionis finis ac intentio fuit, Regaliæ extenſionem impedire: ſive quia illis verbis: *Regalia, Cuſtodia, ſeu Guardia,* hoc ipſum jus expreſſum voluit; & ideò D. Paucet graviter hallucinatus eſt, cùm dixit, conſtare ex Concilij Lugdunenſis, ac Gloſſæ lectione, malè illius Decreta ab Epiſcopo Appamienſi fuiſſe intellecta.

Apparet etiam non ſolùm ex illis Concilij verbis: *De novo uſurpare conantes*, ſed etiam ex illis Gloſſæ: *Uſurpantes de novo jus.* Et illis: *Licet non fuiſſet uſus ipſo jure.* Et præcipuè illis: *De novo à quadraginta annis citra*, Concilij mentem ac intentionem fuiſſe, ne Regalia ad alias Eccleſias, quàm quæ illi

illi jam aſſueverant, extenderetur. Id quod tam verum certúmque eſt, ut quamplures Galli ſcriptores, qui de hoc argumento libros edidêre, videlicet, Ruzæus, Rebuffus, Le Maiſtre, Baunius Jeſuita, alijque, pro primo ac præcipuo fundamento Regaliæ ſuſtinendæ tacitam Concilij approbationem ponerent, quam à Concilio factam volunt circa eas Eccleſias, quæ ab immemoriali jam tempore Regaliæ ſubjacuerunt. Ipſe Dominus de Marca Archiepiſcopus Tholoſanus in una ſuarum Diſſertationum, quæ monumentis Eccleſiæ Gallicanæ inſerta eſt, doctè ſolidéque demonſtrat, Patres Lugdunenſis Concilij de Regalia, & juxta ſenſum Appamienſis Epiſcopi locutos, illúdque Decretum totâ Galliâ receptum fuiſſe: nec Reges aliter Regaliâ gaviſos, quàm limitatè, & in ijs tantùm Eccleſijs, quæ ab immemoriali tempore huic juri, an ſervituti? ſubmiſſæ fuerant. Id quod apprimè concordat cum illis Gloſſæ verbis: *In quibuſdam Eccleſijs: in aliquibus Eccleſijs.* Et cum illis Rebuffi: *In aliquibus Epiſcopatibus*; adeò, ut optimo jure Paſquierus *Aulæ aſſentatores* vocaverit, qui ad omnes Regni Gallici Eccleſias Regaliam extendere conati ſint. Sed audiendus eſt Dominus de Marca, qui cùm Decretum Lugdunenſis Concilij produxiſſet, hæc verba ſubjungit: *Philippus ergo Pulcher, hujus nominis quartus auctoritate Lugdunenſis Concilij ſubnixus, Jus Regaliæ, quod priùs ſolis moribus uſúque receptum erat, Edicto quóque ſuo de Anno 1302. firmavit, ita tamen verba mentémque ſuam, verbis ac mente Concilij metitur, ut Regaliam intra terminos ſolius Conſuetudinis reſtringat, nec ad Eccleſias extendi velit, hujus Conſuetudinis expertes; ſic enim loquitur. Item quantum ad Regalias, quas nos, & noſtri Prædeceſſores percipere aſſuevimus, & habere in aliquibus Eccleſijs Regni noſtri, quando eas vacare contingit.* Addítque eandem Clauſulam Reſtrictivam inveniri in Edicto Philippi Valeſij de anno 1334. Ex quo

Digitized by Google

hæc verba producit: *Pro Eccleſijs Regni noſtri, in quibus Regaliam poſſidemus.* Et adhuc clariùs in Edicto Ludovici XII. 1499. cujus hæc verba ſunt: *Inhibemus omnibus miniſtris, & officialibus noſtris, ne in Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Abbatias, & alia hujus noſtri Regni Beneficia, Regaliam uſurpent, ubi hactenus eam non habuimus, ſub pœna ſuſpenſionis, &c.* Et in Edicto Henrici IV. de anno 1606. *Non intendimus Regaliæ juribus gaudere, niſi eo modo & formâ, quâ nos noſtrique Anteceſſores illis hactenus gaviſi ſunt, nec eam extendi volumus in præjudicium earum Eccleſiarum, quæ hactenus exemptæ fuerunt.* Id Henrici Edictum alio Ludovici XIII. confirmatum eſt de anno 1629. articulo 16. *Non eſt*, inquit, *voluntatis noſtræ, Regaliam titulo Coronæ poſſeſſam alio modo quàm lapſis retrò annis, ac juxta Edictum glorioſæ memoriæ Genitoris noſtri, nobis vendicare.* Et magis adhuc ſpecialiter in litteris patentibus Philippi Pulchri de anno 1303. in favorem Narbonenſis Provinciæ, hoc eſt, teſte Petro de Marca, totius Septimaniæ: *Nolumus, quòd gentes noſtræ occupent Regalia Eccleſiarum vacantium Provinciæ Narbonenſis.* In qua Narbonenſi Provincia ſemper hactenus Diœceſis Appamienſis numerata eſt; quippe ab origine, & fundatione ſua Epiſcopus Appamienſis Suffraganeus Narbonenſis Archiepiſcopi fuit, ut nunc Tholoſani.

Tertium punctum non minùs certum eſt, videlicet, nunquam in Eccleſia Appamienſi Regaliæ locum fuiſſe, nec ullum allegari exemplum in contrarium poterit. Et quanquam juxta notam receptámque Juris Utriúſque Regulam, *Actoris, & affirmantis, non Rei, ſit probare*; percurram tamen notam, indicémque Cameræ Computorum, relatam in acta Cleri Gallicani, & cujus Galli ſcriptores meminêre, qui de hoc argumento ſcripſerunt, quales ſunt Ruſſee, Le Maiſtre, & Paſquier; ex quo indice ſimul patebit, Regem in nulla iſta-

rum

rum Eccleſiarum Regaliæ juribus potitum eſſe; nam nihil potuit improbabilius dici, minúſque conſentaneum veritati, quàm illud à Domino Paucet tam confidenter ac impavidè aſſertum, videlicet hoc Jus Regaliæ etiam in Eccleſijs Septimaniæ illis à prima fundatione coævum eſſe, totáque retrò antiquitate Coronæ innexum. Si enim ita eſt, ut Jus Regaliæ ſit Regiæ Coronæ adjunctum, nec ab ea ſeparari poſſit, ſequetur omnes Reges hoc jure gaudere, eóque ſemper gaviſos eſſe, quod tamen falſum omnino eſt, conſtátque multis hactenus ſæculis inauditum ignotúmque fuiſſe; nec fundatio, aut dotatio Eccleſiarum aliud jus, quàm Patronatûs tribuit; id verò multo minùs oneroſum eſt, multóque minùs quàm Regalia, jura Eccleſiarum offendit. Sed ipſi Galliæ Reges longè aliter de Regalia ſenſère, quàm Dominus Paucet in eorum gratiam ſcribat; id quod ex eorum Edictis jam aliàs productis patet, præſertim ex ſententia à Philippo III. ſancti Ludovici Regis filio data anno 1272. quam Dominus de Marca in antiquo Parlamenti Protocollo reperiri ait in hæc verba: *Sabbato poſt Aſcenſionem Domini reſtituta fuerunt apud Appamias. & reddita per Dominum Regem Procuratoribus Capituli Albienſis Regalia Eccleſiæ Albienſis, quæ mortuo Epiſcopo Albienſi Seneſchallus Carcaſſonenſis ad manum Domini Regis ceperat, & ſaiſinaverat ſine cauſa; cùm Dominus Rex ſuper hoc aliàs nunquam uſus fuiſſet, prout ex aliorum, & ipſius relatione fuit inventum.*

Idem Dominus Paucet in ſua ſupplicatione Regiam Declarationem producit, quæ Cleri poſtulationem conſecuta eſt, à Rege petentis: *Ut ad ſe, ſuúmque Conſilium hanc cauſam evocaret, auditis priùs, examinatiſque Cleri, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Capitulorum actis & Documentis, qui ſe à Regalia immunes eſſe crederent.* Huic objectioni præter alia multa, quæ dici ſuper hoc argumento poſſent, quæque ſibi impoſterum

dicenda reſervat, reſpondet præfatus D. Epiſcopus Appamienſis, ſibi eam Declarationem, Clerique in Regium Tribunal ſubmiſſionem nullo modo opponi poſſe; cùm ipſe nunquam titulos & Documenta ſuæ Exemptionis Regio Senatui examinanda ſubjecerit; nec Generales Cleri Procuratores, imò ne totus quidem Gallicani Cleri Conventus Jus compromittere potuerit, quod ad ſpiritualem Epiſcoporum Auctoritatem, omniúmque Eccleſiarum Exemptionem pertinet; nec Deputati ullum ſuper hoc Mandatum à Clero habuêre.

Adde, quòd, cùm Diplomate Alexandri VII. ac litteris patentibus Regis feliciter regnantis cautum ſit, ne ad Beneficia, Dignitates Cathedralis Eccleſiæ Appamienſis quiſpiam recipiatur, qui poſt accuratum ex Mandato Epiſcopi tyrocinium, emiſſámque Profeſſionem Regularem ſtatum non ſit amplexus; ſequitur Regem neque huic particulari ſtatuto, neque juri Communi (quod habet, Dignitates nulli, niſi qui degremio ſit, conferendas eſſe, nec ex gremio cenſeri, qui Profeſſionem non emiſerit) ſuâ Declaratione derogatum voluiſſe.

Æquum igitur fuit, ut ſuper his aliiſque, quæ allegari poterant, priùs audiretur Epiſcopus Appamienſis, quàm ejus Mandatum irritum, nullúmque declararetur; quæq; ſi audita & perpenſa fuiſſent, ſperari omnino poterat, multo aliter à Domino Archiepiſcopo Tholoſano pronuntiatum fore.

Ex his ergo, aliiſque ſuo tempore, & loco productis, & producendis rationibus, proteſtatur Epiſcopus Appamienſis, declarátque præfatis Dominis Archiepiſcopo, Promotori, & Paucet, ſe nullo modo potuiſſe, aut debuiſſe illi ſententiæ deferre, ſed, &c.

Docu-

Digitized by Google

Documentum XX.

Mandatum ejuſdem Epiſcopi Appamienſis, quo declarat, nuper à ſe editas Conſtitutiones contra Regaliſtas, non obſtante ſententiâ Domini Archiepiſcopi Tholoſani, executioni dandas eſſe.

Die 27. Octob. Anno 1677.

FRanciſcus miſeratione Divinâ Epiſcopus Appamienſis, Chariſſimis & Dilectiſſimis Fratribus Eccleſiarum Cathedralis & Collegiatæ Dominæ noſtræ de Campo, Canonicis, Archipresbyteris, Rectoribus, Vicariis, aliiſque Perſonis Eccleſiaſticis Salutem & Benedictionem. Intelleximus, quòd non obſtante inhibitione ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrendæ, contra Fratrem Joannem Franciſcum Le Juge (qui ſe Sacerdotem ac Religioſum Ord. S. Auguſtini Profeſſum nominari facit, prætenditque Canonicatum, ac Eleemoſynarij officium in Eccleſia noſtra Cathedrali, titulo Regaliæ) à nobis edita, ne ſe in prædicti Canonicatûs, ac Eleemoſynarij officia, eorúmque poſſeſſionem virtute Regij Chirographi ingerere præſumeret, eíque inſuper intimari fecerimus, nos interim omnia Juris media parare, ac experiri velle, quibus prætenſa ſententia D. Archiepiſcopi Tholoſani Conſtitutionem noſtram die 28. Aprilis nullam pronuntiantis, pro irrita caſſâque declaretur: imò quamvis de nullitate hujuſmodi aſſertæ Tholoſanæ ſententiæ, tam quoad formam, quàm quoad ipſam ſubſtantiam, aliàs evidenter conſtet. Quoad formam quidem, quia nobis nec auditis, imò ne citatis quidem pronuntiata eſt, in eáque declaratur, Conſtitutionem noſtram præfatam legibus Regni contrariam eſſe; quod declarari ab eodem D. Archiepiſco-

po

po non potuit, cùm limites ejus poteſtatis excedat. Quoad ſubſtantiam verò, quia non licuit eidem D. Archiepiſcopo Conſtitutionem revocare, aut irritam pronuntiare, quæ nihil aliud, quàm mera executio fuit Generalis Concilij toto Galliæ Regno recepti, nec non Diplomatis ab Alexandro VII. dati, Regiíſque litteris confirmati, ac maximè conformis naturæ ac qualitati Beneficiorum Eccleſiæ noſtræ, quæ à primæva Inſtitutione, ac fundatione ſua Regularis fuit. Et tamen his omnibus non attentis præfatus Le Juge non omiſit præfatorum Beneficiorum poſſeſſionem uſurpare, cujus exemplum plures alij imitari forſan poſſent, eo prætextu, quòd præfata Tholoſana ſententia, donec per Appellationem ejus effectus ſuſpendatur, vires obtineat, obligétque. Nos igitur ob has ſimiléſque cauſas ordinamus, ut tam dicto Le Juge, quàm alijs omnibus, quorum intererit, intimetur, nos à prætenſa illa ſententia Tholoſana legitimè appellâſſe, eámque Appellationem tam præfato Domino Archiepiſcopo, quàm etiam Tholoſano Promotori, vigeſimâ ſextâ currentis menſis inſinuâſſe, atque ex Tholoſana Cancellaria litteras obtinuiſſe, quibus certi reddebamur, actum Appellationis noſtræ tam dicto Le Juge, quàm alijs omnibus, quibus neceſſe fuerit, inſinuatum iri, ne videlicet ignorantiam prætendere poſſint, eóque prætextu immunes ſe credere, liberóſque à Cenſuris, in Conſtitutione noſtra prolatis, quas ſub pœnis ibidem contentis (ob notorios videlicet defectus, & nullitates in ea commiſſas, & alibi fuſiùs à nobis deductas) iterum, quatenus opus fuerit, innovamus. Inhibemus etiam, iterúmque interdicimus, prout in noſtris Conſtitutionibus die 26. Aprilis, & 23. Octobris, jam inhibuimus, atque interdiximus Capitulis Cathedralis & Collegiatæ B. Virginis de Campo Eccleſiarum, ne quemquam obtentu Regaliæ in dicta

Beneficia

Digitized by Google

Beneficia recipiant, inſtallent, &c. Sub pœna ſuſpenſionis ipſo facto, &c. Ipſos verò taliter proviſos ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrendæ, &c. Datæ in Ædibus noſtris Epiſcopalibus die 27. Octob. Anno 1677.

Franciſcus Epiſcopus Appamienſis.

Notandum eſt, Anno 1677. die 22. Octob. ſimilem ferè Conſtitutionem à Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo Epiſcopo Alectenſi editam fuiſſe contra ſententiam Officialis Metropolitani Narbonenſis, qui ejuſdem Epiſcopi Mandata, Conſtitutiones, ac Cenſuras contra Magiſtrum Petrum Gaſton irritas declaraverat.

Documentum XXI.

Epiſtola Eminentiſſimi Cardinalis Cibo ad Reverendiſſimum Epiſcopum Appamienſem.

Data 8. Decembris, Anno 1677.

Illuſtriſſime & Reverendiſſime Domine.

Accepi unà cum humaniſſimis litteris tuis, inſtrumentum appellationis interpoſitæ à Sententia Archiepiſcopi Tholoſani: in quo Sanctitas Sua non permittet, ut à paterna ſua erga te, & Appamienſem Eccleſiam charitate quicquam diù deſideres, ſicuti, occaſione ſe dante, certiùs cognoſces. Tibi Illuſtriſſime & Reverendiſſime Domine, læta fauſtáque omnia à Deo auguror. Romæ, die 8. Decemb. Anno 1677.

Illuſtriſſime & R. D. *Servitor*

A. Cardinalis Cibo.

Digitized by Google

Documentum XXII.

Secunda epiſtola ejuſdem Epiſcopi Appamienſis ad Regem Chriſtianiſſimum.

20. Januarij. Anno 1678.

Accepi quàm maximâ potui veneratione Arreſtum Conſilij 28. elapſi Novembris latum, quo Majeſtas Veſtra injungit mihi, ut intra duos menſes Sacramentum fidelitatis in acta publica referri faciam, admittámque de quibuſdam Canonicatibus alijſque Beneficijs Regularibus Eccleſiæ Appamienſis, titulo Regaliæ proviſos, ídque ſub pœna privationis omnium fructuum & proventuum temporalium. Patiatur Majeſtas Veſtra humillimas preces meas, quas videlicet neceſſitas hujus cauſæ expreſſit, Sibi deferri, quáſque tantò confidentiùs ſpero auditum iri, quòd ab Epiſcopo, & in cauſa Eccleſiæ prolatas; cùm aliàs ſemper magnorum Principum fuerit, etiam in negotijs merè temporalibus querelas ſubditorum gemitúſque excipere. Enimverò ſi liceret ante oculos Majeſtatis Veſtræ cor meum intimáſque cogitationes expromere, videret Ipſa id, quod animum meum perſtringit, non eſſe metum proventus temporales amittendi; cùm enim in ſacris Canonibus didicerim, Eccleſiaſticos fructus eſſe bona Deo conſecrata, nihil aliud ex ijs reſervatum mihi volui, quàm curam adminiſtrationémque mei Oeconomi: ſícque meam Perſonam ac particulare commodum quod attinet, quidquid Divina Providentia permiſerit, pacatiſſimè feram. Id ſolum à Majeſtate Veſtra petere mihi liceat, ut ſi quidem alicujus me culpæ reum pœnáque dignum crediderit, dignetur eâ tantùm fructuum parte multare,

Digitized by Google

multare, quæ ſuſtentandæ Perſonæ ac neceſſitati meæ parcè adhibetur, nec enim me pudebit Fidelium pietatem ac eleemoſynas implorare; tantùm ne hâc pœnâ & calamitate meâ quamplures alij ac innocentes involvantur. Cogor enim Majeſtati Veſtræ ſignificare proventus illos, qui ex Conſilij ſententia ſubducti mihi ſunt, ad alenda duo ſeminaria, in quibus Clerici animarum ſaluti ac curæ addicti, magnóque numero ſuſtentantur, ad fabricandam ædem Cathedralem hæreticorum furore planè deſtructam, ad reparandas ornandáſque reliquas Diœceſis Eccleſias, ad alendos tegendóſque pauperes, qui plurimi ſunt, & qui hoc ſubſidio deſtituti in extremam neceſſitatem adigentur, & denique ad exolvendum æs alienum, quod ut omnibus hiſce expenſis par eſſem, contrahere neceſſariò debui. Quod ergo ante hæc omnia animum meum intimè ferit, illud eſt, me licèt ardentiſſimo deſiderio ferar nihil agendi, quod Majeſtatem Veſtram vel leviſſimè offendat, non poſſe ſalvâ, quam Deo ejúſque Sponſæ debeo, fidelitate, Arreſto mihi nuper ſignificato obtemperare. Neque enim, niſi anathemata à ſacris Concilijs vibrata experiri velim, cooperari, imò ne conſentire quidem poſſum, ut Eccleſia juribus ſpolietur fidei meæ commiſſis. Inter ea verò jura unum è præcipuis maximéque ſpiritualibus eſt libertas conferendi Beneficia Eccleſiaſtica, quam libertatem Regalia omnino demolitur: hæc verò in quamplurimis Regni Gallici Provincijs nunquam locum habuit, id quod ex Edictis Galliæ Regum, Majeſtatis Veſtræ Prædeceſſorum, & Parlamentorum, & Cameræ Pariſienſis Protocollis, & ex doctrina Auctorum, qui ante Arreſtum Parlamenti Pariſienſis de anno 1608. de hoc argumento ſcripſère, & quorum aliqui in præfata Camera Computorum publicis officijs fungebantur, manifeſtè probari poteſt. Philippus Probus, vir inſignis

ſignis probatæque doctrinæ, & cui Regalia odio eſſe non poterat (nam Regaliæ titulo in Eccleſia huic ſervituti obnoxia Beneficium obtinuerat) non contentus Eccleſias in genere deſignâſſe Regaliæ immunes. Epiſcopatus quoque in particulari enumerat, exemptos liberóſque, & præſertim Tholoſanæ Provinciæ, quorum primum hunc Appamienſem conſtituit.

Enimverò non poteſt hoc jus Regaliæ ad Majeſtatem Veſtram pertinere, niſi uno ex ſequentibus titulis, videlicet aut præcisè, *Jure Regio:* aut titulo Univerſalis omnium *Eccleſiarum Fundatoris:* aut beneficio *Poſſeſſionis*, *memoriam hominum excedentis:* aut denique *Eccleſiæ Privilegio.*

Qui conati ſunt perſuadere Majeſtati Veſtræ, jus Regaliæ totâ Galliâ extendi, id principium aſſumpſerunt, ut dicerent, Regaliam jus eſſe Coronæ annexum, ideóque inalienabile & impræſcriptibile; quo fundamento nixi adjecerunt, quemadmodum Regium Diadema rotundum eſt, eáque figura deſignat, Coronam Regiam complecti omnia; ſic quoque Regaliam ad omnes Regni Eccleſias proferri, nullâ exceptâ. Sed permittat Majeſtas Veſtra, ut liberè dicam, nihil cogitari poſſe hâc Maximâ inanius, minúſque fundatum. Quî enim fieri poteſt, ut jus Beneficia Eccleſiaſtica conferendi, quod ſpirituale omnino eſt, à Regia Poteſtate & Corona dependeat? Planè nihil aliud hoc eſt, quàm ſpiritualem ac temporalem confundere poteſtatem, Eccleſiarum ac Principum jura commiſcere: & verò ſi hoc tantíque momenti jus adeò Regiæ Dignitati adjunctum eſt, quî fieri poteſt, ut Miniſtri Regum Majeſtatis Veſtræ Prædeceſſorum tot ſæculorum decurſu illud ignoraverint? an verò aut negligebant, aut neſciebant, quid Regibus deberetur? & ipſum Pariſienſe Parlamentum, ſi hanc Maximam veritati conſentaneam eſſe crediditſet,

Digitized by Google

crediſſet, num auſum aliquando eſſet (quod tamen aliquoties fecit) Regibus onus hanc poſſeſſionem probandi imponere, cùm de nonnullis Eccleſijs controverſia moveretur? Sed nec ſolùm hoc Galliæ Regum eſſet privilegium, ſed omnium omnino coronam geſtantium, qui eodem jure eadémque ratione Regaliam, quà latè dominantur, vendicare ſibi poſſent; ideò Lugdunenſe Concilium, cùm titulos recenſet, ob quos permitti Regalia poſſit, ſolius fundationis, & antiquæ Poſſeſſionis mentionem facit.

Alij ergo, qui fallacis hujus Maximæ inanitatem cernunt, diffidúntque tam fragili fundamento, ad alia ſe vertunt, & Majeſtati Veſtræ tanquam omnium Regni Eccleſiarum Fundatori Regaliam attribuunt. Cæterùm ſi Majeſtas Veſtra obſervare dignata fuerit, Eccleſiæ Appamienſis proventus in ſolis meríſque Decimis (quas Deus ſibi reſervavit, & quarum diſpenſationem Eccleſiæ Miniſtris reliquit) conſiſtere, Ipſamet facilè concludet, non fuiſſe Eccleſiam Appamienſem à Regibus Ejus Majoribus dotatam. Quod verò ſupra Decimas eſt, tam parvi eſt momenti, ut non credam tam modicæ rei intuitu voluiſſe Reges hujus Eccleſiæ fundatores appellari. Quamquam, etſi demus Fundatores appellandos eſſe, quis neſcit, ſolam Dotationem, ſi Privilegium Eccleſiæ abſit, non ſufficere, ut quis poſſit Beneficia Eccleſiaſtica conferre, ac Miniſtros Eccleſijs conſtituere?

Poſſeſſionem quod attinet, certiſſimum eſt, nunquam hoc jus à Majeſtate Veſtra in Appamienſi Eccleſia exercitum eſſe, nec ullum exemplum oſtendi poterit.

Denique tantùm abeſt, Eccleſiam hoc jus extendendæ Regaliæ Principibus conceſſiſſe, ut potiùs ſe illis enixè oppoſuerit, tunc videlicet, cùm in Concilio Lugdunenſi ſtatuit, ne Regalia ad loca extenderetur, in quibus recepta hactenus

Digitized by Google

non fuerat: & quamvis Clerus Gallicanus ſæpè Majeſtatis Veſtræ protectionem imploravit adversùs eorum molitiones, qui contra antiquam nativámque Eccleſiarum libertatem Regaliam inducere conabantur, non ideò tamen libertati ac juribus ſuis renuntiare volebant, imò ne Conventus quidem Cleri Generales, quantumvis maximè vellent, præſtare id poterant, tum quia Concilio Oecumenico à quatuor jam ſeculis in Gallijs recepto derogare non poterant; tum etiam quia in cauſa communi, & quando agitur de jure & præjudicio ſingulorum, ex regulis utróque jure receptis oportet ſingulos, quorum intereſt, conſentire. Jam verò conſtat, neque me, neque aliquem meorum Prædeceſſorum conſenſiſſe, aut Procuratoribus, aut Deputatis ad Conventus Generales miſſis mandatum in hac cauſa tranſigendi dediſſe. Neque etiam credidi, me Declarationibus à Majeſtate Veſtra in hac cauſa editis poſſe acquieſcere; multóque minùs earum executionem pollicitus ſum, nec umquam adduci paſſus, ut juramentum fidelitatis in acta publica referri permitterem, quod argumentum erat admiſſæ ſervitutis. Non ergo intelligere poſſum, quâ veritate dicatur, univerſalem Regaliæ cauſam fuiſſe in Contradictorio judicio, plenáque cognitione judicatam. Sed præſertim particulares pro Appamienſi Eccleſia rationes ſunt, ob quas Regaliæ ſubdi non poteſt; cùm enim & Alexandro VII. Pontifici Maximo, & Majeſtati Veſtræ placuerit Pontificijs Regijſque Diplomatibus vitam Regularem, ac bonorum communionem juxta Regulam S. Auguſtini in hac Eccleſia ſtabilire, ídque etiam quamplurimis Arreſtis in Pariſienſi Parlamento, ac Judicijs Contradictorijs confirmatum fuerit, admiſsâ ſemel Regaliâ neceſſariò conſequitur, fructum operis tam pij, & ex quo in publicum bonum tantum emolumenti ac ædificationis proceſſit, planè

corruptum

Digitized by Google

corruptum iri, cùm illi, qui titulo Regaliæ Beneficia occupavêre, numquam perſuadendi ſint, ut ſe exacto Tyrocinio, & ex ſententia Epiſcopi ſubmittant. Multo minùs excludi ſe à ſacra Profeſſione, ſi inhabiles reperiantur, patientur, quod unum omnem viam diſciplinæ ſolidæque pietati occludet. Sed nec illud ſperare ab ijs licet, ut videlicet privatis ſe facultatibus abdicent, vivántque in communi, & rationes Epiſcopo reddant; útque Priori Clauſtrali ſe ſubdant, quæ tamen adeò neceſſaria ſunt, ut Paupertatis & Obedientiæ vota in Eccleſia Appamienſi hactenus inviolabiliter obſervata, & Arreſtis etiam Majeſtatis Veſtræ munita conſiſtere ſine illis haud poſſint. Imò hujuſmodi, ut vocant, Regaliſtæ illis potiùs alimenta vitæ neceſſaria ſubducent, qui bonâ fide titulóque Canonico ſubnixi ſolemnem in hac Eccleſia Profeſſionem emiſerunt, ſéque inſuper juxta perpetuam & antiquiſſimam hujus loci conſuetudinem voto ſtabilitatis obſtrinxerunt; nunc verò & domicilio excluſi, ubi votorum ſuorum obſervantiam expleant, & alimentis privati, quibus ſuſtententur, contra jus & fas, magnóque cum animarum ſuarum diſcrimine, paríque ſcandalo Religionis vagari cogentur.

Hæc ſunt quæ Majeſtati Veſtræ neceſſariò indicanda credidi, quorum pondus ac ſolidam veritatem ſi Ipſa dignata fuerit ſecum expendere, tantum mihi de Majeſtatis Veſtræ juſtitia polliceor, ut omnino credam, non ſolùm approbaturam, quæ in hac cauſa hactenus à me geſta ſunt, verùm etiam tanquam muneri ac miniſterio meo fideliter explendo neceſſaria vehementer commendaturam, Suáque Regiâ auctoritate pondus ac vires addituram. Et quamvis videri poſſim ſolus ego hanc cauſam ab alijs deſertam ſuſtinere, placeat Majeſtati Veſtræ perſuaſiſſimum habere, quotquot

iſtarum

Digitized by Google

iſtarum rerum notitiam, honeſtíque curam aliquam habent, nec privatis commodis tanguntur, omnes ferè in hoc convenire, ut fateantur juſtiſſimam à me cauſam foveri, & inter illos ipſos, qui Majeſtatis Veſtræ Declarationibus & Edictis detulêre, alij aut jurium ſuorum ignorantiâ, aut nimio ſtudio gratificandi Majeſtati Veſtræ decepti ſunt. Nec deſunt, quos pudet pœnitétque admiſſi. Illi verò, qui licèt timidè anxiéque mihi perſuadere conati ſunt, ut contra Concilij Lugdunenſis Decreta Majeſtati Veſtræ obtemperarem, nullam aliam rationem adducebant permovendo mihi, quàm metum majoris mali, perinde ac ſi Regia Majeſtatis Veſtræ poteſtas veritati ac juſtitiæ opprimendis ſerviret, cùm potiùs ſperare debuiſſent, nunquam permiſſuram eſſe Majeſtatem Veſtram jura Eccleſiæ violari, ſi modò illi auſi eſſent Eccleſiarum cauſam ſuſcipere, tantúmque fiduciæ habuiſſent, quantum Majeſtas Veſtra æquitatis.

Cæterùm eos quod attinet, qui Regaliam toto Regno extendere voluerunt, pronum eſt cogitare, non aliam ob cauſam aggreſſos eſſe hoc jus Regium ultra antiquos legitimóſque terminos proferre, quàm ut Principis favorem compararent, aut augerent, aut etiam in diſtribuendis Beneficijs, quæ ad Majeſtatis Veſtræ Collationem pertinent, majori auctoritate fungerentur.

Quidquid iſtorum ſit, ego interim non omitto lacrymis precibúſque Deum Majeſtati Veſtræ propitium reddere, útque in Sacram ejus Perſonam ac Regna ſuarum gratiarum theſauros abundè profundat, enixè poſtulare, & præſertim ne umquam permittat jura Eccleſiæ ab eo violari, qui ſe primogenitum Eccleſiæ Filium, ac præcipuum Protectorem gloriatur; id enim ſi fieret, non tantùm apud poſteros laboraret Majeſtatis Veſtræ gloria, verùm etiam magna aliqua calamitas

Digitized by Google

calamitas ejus Regnis à Deo forſan immineret; quod ne fiat, ex intimo cordis mei enixéque poſtulo, quippe qui primas fidelitatis & reverentiæ in Majeſtatem Veſtram partes mihi vendico. Appamijs 20. Januarij 1678.

Humillimus & Obedientiſſimus ac fideliſſimus
Servus & Subjectus

Franciſcus Epiſcopus Appamienſis.

Documentum XXIII.

Epiſtola ejuſdem Epiſcopi Appamienſis ad Magnum Galliæ Cancellarium.

1. Februarij, Anno 1678.

LÆtatus vehementer ſum, cùm ex litteris, quas ad me exarare dignati eſtis, intellexi, quanto ſemper in pretio apud vos fuerit Reverendiſſimus Alectenſis Epiſcopus glorioſæ memoriæ, ſed multum huic animi mei gaudio deceſſit, quando ad querelas perveni, quas illius causâ ſubjungitis, perinde ſi improbaretis, quæ in cauſa Regaliæ ab eo peracta ſunt. Perſuaſum equidem habeo, voluiſſe Vos non tam memoriam cineréſque magni illius Servi Dei criminari, quàm quid in ſimili cauſa mihi agendum eſſet, amicè commonere. Id verò neceſſitate me obſtringit cauſas Vobis rationéſque aperiendi, quæ me, ut hanc ipſam cauſam amplecterer, efficaciter compulêre.

Fateor enimverò, nihil æquè mihi gratum optatúmque eventurum, quàm ut ſalvâ conſcientiâ acquieſcere in hac cauſa poſſem Regiæ voluntati, id quod etiam litteris ad Majeſtatem Suam datis, commendatíſque Domino de Chateau-

neuff liberè profeſſus ſum: nihil enim præter metum offendendi Dei morari me poteſt, ut non in omnibus, plenéque Regi obtemperem, præſertim cùm ingenuè fateri oporteat, Eum, à quo tempore Regni Gallici habenas moderatur, tam multis magníſque incrementis Catholicam Religionem extuliſſe, ut non Epiſcopos tantùm, ſed omnes etiam Sibi Chriſtianiſſimos devinxerit, nec quempiam ſanguinis etiam vitæque pœnitere debeat, ſi profundi illam pro gloria tanti Principis oporteat. Non ideò tamen permiſſum nobis eſt, gratitudinem noſtram in Principem adeò bene meritum ceſſione ejus juris teſtari, quod Eccleſia in Concilio Lugdunenſi collecta omni ratione cuſtodiendum fidei noſtræ commiſit; non ergo poteſtatis noſtræ, ſed alterius Oecumenici Concilij fuerit. Beneficia, quæ Eccleſia à Rege accepit, privilegio remunerari Regaliæ extendendæ in loca hujus oneris hactenus immunia, qualia ſunt noſtræ Provinciæ Diœceſes.

Quod ſi vobis placuerit, Regaliæ naturam attentiùs expendere, fatebimini, eam, ſi extra terminos proferatur antiquæ conſuetudinis, & in ſeipſa pernicioſam eſſe, & Eccleſiæ Regúmque legibus interdictam, & denique quamplurimis maximíſque incommodis obnoxiam.

Primò ergo ex ſeipſa & intrinſecè pernicioſa eſt, quia jus ſpirituale Regibus tribuit, cujus ex multorum Doctorum ſententia Laici abſolutè incapaces ſunt: aut ſaltem non aliter, quàm ſpeciali Eccleſiæ privilegio, quod illi ipſi fatentur, qui Regaliæ partes quàm maximè amplectuntur. Quamvis enim Epiſcopatuum aliorúmque Beneficiorum proventus ſint res merè temporales; jus tamen eos percipiendi, ac præſertim Beneficia conferendi dubium non eſt, rem eſſe maximè ſpiritualem, & ideò abſque Simoniaca labe vendi non poſſe. Hinc eſt, quòd prima juris Canonici Regula ita ſonet:

Beneficium

Digitized by Google

Beneficium Canonicum non poteſt licitè ſine canonica Inſtitutione obtineri. Hinc etiam eſt, quòd quamplurima Concilia Romaníque Pontifices eos anathemate feriunt, qui à manu Laica Beneficia acceperint, præſerim verò quinque Concilia Romana ſub Gregorio VII. habita, quorum unum anno 1080. celebratum ita loquitur: *Quoniam Inveſtituras Eccleſiarum contra ſtatuta Sanctorum Patrum à Laicis perſonis in multis partibus cognovimus fieri, & ex eis plurimas perturbationes in Eccleſijs, imò ruinam ſanctæ Religionis oriri, ex quibus Chriſtiana Religio conculcatur, decernimus, ut nullus Clericorum Inveſtituram Epiſcopatûs vel Eccleſiæ de manu Imperatoris, vel Regis, vel alicujus Laicæ perſonæ, vel fœminæ ſuſcipiat; quod ſi præſumpſerit, recognoſcat, Inveſtituram Apoſtolicâ auctoritate irritam eſſe, & ſe uſque ad condignam ſatisfactionem excommunicationi ſubjacere.* Eodem ſpiritu, quo Gregorius VII. Epiſcopi Galliæ agebantur, quando in Concilio Claremontano ſub Urbano II. Trecenſi ſub Paſchali I. & duobus Pictavienſibus, aliiſque pluribus ſeverè prohibuerunt, ne Beneficia à Regibus acciperentur. Sic etiam Inveſtituræ, quibus abolendis tantopere Eccleſia laboravit, non ob aliam cauſam à Pontificibus ſacriſque Concilijs damnatæ ſunt, quàm quòd reipsâ nihil aliud eſſe viderentur, quàm Inſtitutiones Beneficiorum, quæ, ſecluſo privilegio, ad ſolos Epiſcopos pertinent, ad nullum verò Principem temporalem, teſte etiam ipſo Choppino, quantumvis alioqui magno jurium Eccleſiaſticorum adverſario. Nec verò poſſunt Epiſcopi in ſuis Diœceſibus hoc privilegium concedere, cùm ex juris Canonici peritorum communi doctrina non liceat Epiſcopis ſervitutem aliquam ſuis Eccleſijs imponere.

Sed nec in genere tantùm extenſio Regaliæ ſacris Canonibus decretiſque Summorum Pontificum prohibita eſt (tunc videlicet, cùm Laicis omnibus etiam Principali digni-

Digitized by Google

tate fulgentibus interdicant, ne ullam ſibi proventuum, multóque minùs Beneficiorum Eccleſiaſticorum diſpoſitionem arrogent) verùm etiam ſpeciali Decreto Lugdunenſis Concilij, quod diſſimulatâ potiùs, quàm comprobatâ Regaliæ poſſeſſione pro ijs Eccleſijs, in quibus ex antiquo uſu Sibi illam deberi Galliæ Reges credebant (quantumvis ante Concilij tacitam approbationem non ſine animi ſcrupulo eâ uterentur) ne ad alias Eccleſias extenderetur, ſeveriſſimis Decretis inhibuit. Ipſum quoque Tridentinum Concilium in Tholoſano Provinciali Concilio, & in Conventu Melodunenſi anno 1615. à Galliæ Epiſcopis receptum juratúmque, ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrendæ Epiſcopis præcipit, ne bona, jura ac privilegia Eccleſiarum dilabi permittant.

Ipſi Reges Ludovici Regnantis Prædeceſſores ſæpè declarârunt, Regaliam non eſſe jus toto Gallico Regno extenſum. Ludovicus Junior, quo rerum potiente innoteſcere Regalia cœpit, Aquitaniam Regaliæ immunem eſſe declarat. Sanctus Ludovicus, Philippus III. Philippus IV. & Carolus V. Galliæ Reges idem de Septimania fatentur. Ludovicus XII. extendi Regaliam vetat, & qui eam dilatare conantur, Sacrilegij & uſurpatæ poteſtatis notat. Denique Philippus Valeſius, Henricus IV. & Ludovicus XIII. glorioſæ memoriæ declarant, nolle ut Regalia in præjudicium Eccleſiarum, quæ hactenus immunes fuerunt, extendatur.

Et verò etiamſi daremus, hanc ipſam Regaliæ extenſionem ad ea loca, quæ hactenus libera fuerant, intrinſecè & ex ſua natura pernicioſam non eſſe; & quamvis in Concilio Lugdunenſi non eam Eccleſia damnâſſet, tam multa tamen ſunt abſurda & incommoda, quæ ex illa conſequuntur, ut vel ob hæc ſola conniti omnibus viribus debuiſſem, ut à mea Diœceſi procul arceretur. Ut enim nihil dicam de Intruſione &

ne & Sacrilegio, quibus ſe obſtringunt, qui titulo Regaliæ Beneficia in Eccleſijs acceptant hujus ſervitutis immunibus, déque Excommunicatione, quam ex Decretis Avenionenſis Concilij anno 1326. ſub Joanne XXII. ipſa etiam Capitula incurrunt, quæ hujuſmodi Beneficiatos admittunt; ut inquam hæc omnia taceam, qui fieri poteſt, ut conſentiamus, nos Collatione ſpoliari omnium Beneficiorum, quæ poſtea ſine alio titulo, aut Inſtitutione Canonica Rex ipſe pro arbitrio diſtribuat? Henricus IV. abſtinuit Collatione Dignitatum. Fatetur Paſquier, Cathedralium Eccleſiarum Canonicatus Regaliæ haud ſubjacere. Idem de Prioratibus Conventualibus alijſque Regularibus Beneficijs dicendum eſt. Quamplurimis quoque Arreſtis definitum eſt, Præbendas Theologales Regaliæ legibus haud comprehendi. Parva & pauca ſunt hæc omnia, niſi & illud adderent, ut poteſtatem ſoli Pontifici propriam Regi quoque attribuerent; quippe Reſignationes *in favorem*, quæ jure Canonico Simoniæ notantur, ac ſoli Pontifici reſervantur, videmus ſine alio ſcrupulo à Rege admitti. Sic etiam penſiones Beneficijs conſtituere, & Præbendas Regulares ſæcularibus conferre *profiteri cupientibus*, Prærogativæ ſunt Pontificiæ poteſtatis, quas tamen translatas in Regem eſſe videmus. Sed neque hoc ſuffecit Regaliæ Patronis, niſi inſuper plura Regi concederent, quàm Pontifici permittuntur. Rex enim Beneficia etiam alijs confert, quàm in quorum favorem renuntiata ſunt, quod Papa non facit. Rurſus Beneficia non ſolùm ipſo jure aut facto vacantia, à quo tempore Regalia aperiri cœpit: verùm etiam à Rege conferuntur, quæ de Jure Canonico vacare non cenſentur, qualia ſunt Beneficia *reſignata*, *permutata*, *litigioſa*, & quorum poſſeſſio nondum perſonaliter adita eſt. Denique Epiſcopis & Capitulis omnis facultas adimitur Proviſos examinandi, quamvis

fieri poſſit, ut Cenſuris alijſque impedimentis Canonicis teneantur.

Hæ ſunt rationes, multæque aliæ, quas libens adijcerem, niſi jam aliàs hæc mea epiſtola prolixior evaſiſſet; ob quas credidi non licere mihi in hac Regaliæ cauſa Regijs Declarationibus acquieſcere, neglectâ veritate; nec timendum mihi fuit, ne aut ſcandali periculum, aut præſumptionis adirem, cùm ex Sanctorum Gregorij, Bernardi, & Auguſtini ſententia, *melius ſit, ut ſcandalum oriatur, quàm ut veritas relinquatur: nec ita arrogantia cavenda eſt, ut veritas relinquatur.*

Equidem æſtimanti mihi ſtudium amorémque præcipuum, quo cauſas Eccleſiæ, præſertim meæ Diœceſis ſemper complexi eſtis, & cujus in graviſſimis occaſionibus tot præclara argumenta dediſtis, ſpes omnino affulget, haud ingratum Vobis fore, quòd pari libertate fiduciáque jura Eccleſiæ meæ exponam: nec dubito, ijs coram Deo examinandis Vos curam aliquam impenſuros, méque, uti hactenus, commendatum habituros. Perſuaſum enim habeo, faſtigium illud Dignitatis, ad quam Vos Deus ſuis donis diſpoſuit provexítque, nihil Vobis de cura ac æſtimatione cœleſtium bonorum ſubtraxiſſe, quæ ſola vera & perpetua ſunt: quin potiùs auctoritatem illam, quâ ante alios conſpicui eſtis, occaſionem ac ſubſidium fore, Regno Jesu Chriſti, ejúſque Sponſæ dilatando, &c. Appamijs 1. Februar. 1678.

Humillimus & Obedientiſſimus Servus

Franciſcus Epiſcopus Appamienſis.

Documen-

Documentum XXIV.

Epiſtola ejuſdem Epiſcopi Appamienſis ad INNOCENTIUM XI. Pontif. Max.

Appamijs 4. Maij 1678.

Beatiſſimo in Chriſto patri & Domino Domino Innocentio XI. Pontifici Maximo.

BEATISSIME PATER,

IN legendis Eccleſiaſticis hiſtorijs ſæpe ſæpius animadverteram, ſanctiſſimam Sedem Epiſcopos ad ſe confugientes, maxima cum benignitate ſemper ſuſcepiſſe, ſummóſque Pontifices paternis viſceribus eos eſſe complexos, qui pro tuendis Eccleſiæ juribus laborarent. Verùm id clariùs intellexi, & jucundiùs expertus ſum, quando me Sua Sanctitas litteris Apoſtolicis conſolari, imò & hortari dignata eſt ad propugnandam Diœceſis Appamienſis libertatem, contra ſervitutem, quam noſtri Regaliam vocant, de qua ſemel & iterum ad Veſtram Sanctitatem ſcribere non dubitavi. Equidem, Beatiſſime Pater, ita mihi videbar affectus, ut non ſolùm bonis, ſed & vitâ ſpoliari mallem, quàm Eccleſiam, mihi licèt indigniſſimo commiſſam, nativâ carere libertate: ſed incredibile eſt, quantos addiderit animos Sanctitatis Veſtræ conſilium, vel potiùs præceptum, aut etiam Oraculum à DEO per Suum in terris Vicarium ad me delatum, ut modò cœleſti fretus auxilio nihil hac in parte, niſi mea peccata, meámque inſipientiam pertimeſcam.

Regaliæ negotium, Beatiſſime Pater, ad aures Suæ Sanctitatis, utpote maximis Eccleſiæ univerſæ negotijs intentæ, deferre

Digitized by Google

deferre vix umquam auſus fuiſſem, niſi & hoc ipſi Eccleſiæ univerſæ maximi referre perſpexiſſem. Cùm enim Rex Chriſtianiſſimus jure, ut ait, coronæ, ſeu ſupremi Dominij, non ſolùm fructus ſeu reditus hujus Diœceſis, cui regendæ à triginta tribus annis præfectus ſum, ſed etiam beneficia Eccleſiaſtica pleno jure, & abſque Canonica inſtitutione conferre intendat, quamvis in ea Regalia nunquam locum habuerit, imò nullibi, niſi ſede vacante, habere poſſit; valdè metuendum eſt, ne reliqui Principes, imò & Reſpublicæ idem ſibi vendicent.

Quod quidem Regaliæ jus, Beatiſſime Pater, quanta ſequantur incommoda, jam ſum expertus. Jacturam quidem bonorum temporalium etiam cum gaudio ſuſtinui; quippe quibus tamquam oneribus premebar, veritus ne non ſatis accuratam Deo rationem reddere de illorum diſpenſatione poſſem. Doleo autem plurimùm, quòd his deficientibus, & immiſericorditer ablatis, nequeam, ut hactenus, pauperes penè fame confectos, & infantes expoſitos ſeu abjectos alere, aut templa reſtaurare; quódque maximè neceſſarium eſt, Clericos litteris & virtutibus inſtruere; aliáque hujuſmodi pietatis opera omninò neceſſaria præſtare. Verùm adhuc majorem doloris cauſam præbet tumultuaria Clericorum, tum ſæcularium, tum ex diverſis ordinibus ſeu Congregationibus Regularium turba, qui Eccleſiæ Cathedralis Appamienſis Beneficia invadunt.

Pluribus, Beatiſſime Pater, ſuperſedeo, cætera námque, ſi dignetur annuere Sanctitas Veſtra, referet Archipresbyter Aquenſis, vir mihi fideliſſimus: ſed, quod magis placet, divini honoris, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudioſiſſimus, quod in gerendo prudentiſſimè Archipresbyteri officio, regendáque plebe ſibi creditâ, præclarè teſtatus eſt. Obſecro Beatiſſime

ſime Pater, ut eum Veſtra Sanctitas benignè audiat, ſalvum tutúmque curet, & me pariter conſilio, auxilio, precibúſque juvare dignetur. Interim Deum optim. Max. aſſiduis obſecrationibus enixè rogabo, ut Sanctitatem Veſtram Eccleſiæ ſuæ diu ſervet incolumem. Appamijs die 4. Maij 1678.

BEATISSIME PATER,
Sanctitatis Veſtræ

Humillimus & Obſequentiſſimus
Filius & Famulus

Franciſcus Epiſcopus Appamienſis.

Documentum XXV.

Breve Sanctiſſimi D. N. INNOCENTIJ Papæ XI. ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Epiſcopum Appamienſem.

Venerabili Franciſco Epiſcopo Appamienſi INNOCENTIUS Papa XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Moleſtiarum & incommodorum, quæ pro tuendis juribus Eccleſiæ tibi commiſſæ ſuſtinere te ſcribis, Nos quoque maximam in partem venimus, ad quos in primis pertinent damna & offenſæ, quæ Chriſtis DEI inferuntur. Gratulandum tamen potiùs, quàm dolendum eſt fraternitati tuæ, de hujuſmodi adverſis, ex quibus copioſa tibi ſeges enaſcitur exercendæ virtutis & conſtantiæ Paſtoralis; cui quidem magno incitamento & pari ſolatio eſſe non dubitamus Dei promiſſum, tribulationem pro ipſius cauſa patientibus cœleſtem opem, ac tandem mercedem

Digitized by Google

magnam nimis non defuturam. Quod ad Nos attinet, Regem Chriſtianiſſimum per litteras diligentiſſimè ſcriptas rogavimus, ut non ſolùm Appamienſis Eccleſiæ indemnitati conſultum velit, ſed etiam omnium aliarum Eccleſiarum, quæ cùm juri, quod vocant Regaliæ, obnoxiæ nunquam fuerint, recentibus tamen Regij Senatûs decretis contra omnes humani diviníque juris regulas, ac veterem inconcuſſámque obſervantiam, hujuſmodi onus ſubire coactæ ſunt. Id ipſum omni contentione ac ſtudio urgere non deſiſtimus, ſicubi Officij Noſtri ratio, & impoſita Nobis omnium Eccleſiarum ſolicitudo poſtulat, confiſi in divinæ miſericordiæ theſauris, aliquando fore, ut idem Chriſtianiſſimus Rex pro eximia atque avita pietate ſua, rei veritate melius cognitâ, alia conſilia, aliam mentem induat. Fraternitati interim tuæ Deum totius conſolationis propitium uſque precamur, ac peculiaris Noſtræ erga te charitatis indicem Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 4. Januarij *1679.* Pontificatûs Noſtri anno tertio.

Marius Spinula.

Documentum XXVI.

Breve Sanctiſſimi D. N. INNOCENTIJ PP. XI. ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Archiepiſcopum Tholoſanum.

Venerabili Fratri Joſepho Archiepiſcopo Tholoſano INNOCENTIUS Papa XI.

VEnerabilis Frater. Delatæ nuper ſunt ad nos querelæ Monialium Ordinis ſanctæ Claræ Urbaniſtarum in Tholoſana

Digitized by Google

Tholoſana civitate, graviter dolentium, & dolorem ſuum in paternum ſinum Noſtrum multis cum lacrymis deponentium, ut acciſis ac penè perditis rebus ſuis præſentem opem pro Apoſtolici muneris Noſtri debito afferamus: per hos enim dies ad illud Monaſterium veniſſe Monialem quamdam magno comitatu, militum etiam cohorte ſtipatam, ut Abbatiſſatûs perpetui poſſeſſionem invaderet, prætextu Regiæ nominationis, nulli juri, aut conſuetudini, nulli Apoſtolico indulto ſubnixæ: ſe quidem ad inuſitatæ rei ſpectaculum primò attonitas, mox collectis animis, & imploratâ cœleſti ope, quacumque ratione licuit, reſtitiſſe, ne immunitati Eccleſiæ, & inſtituto Ordinis ſui Apoſtolicâ authoritate firmato, tam inaudita, ac tam pernicioſi exempli injuria inferretur; ſed ſuperante vi militum cedere tandem coactas, effractiſque foribus, & pariete ipſo, liberum multis ſæcularibus aditum patuiſſe, cum quibus ingreſſos quoque milites violenter ibi & ſacrilegè multa patraſſe, magna cum totius civitatis indignatione & ſcandalo, Fraternitate autem tuâ, quæ par omnino erat, ut venientibus Lupis Paſtorale pectus opponeret, non ſolùm non repugnante, ſed ultro eos quodammodo invitante, & Monaſterium edito decreto per vim recludi jubente. Inhorruit ad tam indignæ rei nuntium animus Noſter, adeóque monſtri ſimilis viſa eſt, ut quamvis aliunde quóque eadem afferrentur, vix tamen perſuadere Nobis potuiſſemus, Archiepiſcopum Tholoſanum, inſpectantibus Religioſiſſimis fortiſſimíſque Galliæ Epiſcopis, & Galliâ universâ, eò progreſſum fuiſſe, ut dignitatis ac muneris ſui oblitus, nullo horribilium cenſurarum, & cœleſtis iræ metu, nullâ famæ reverentiâ, tanto facinori, pro quo impediendo animam ipſam, boni Paſtoris exemplo, ponere debuiſſet, non ſolùm non reſiſteret, ſed etiam ſuffragaretur;

niſi memoriâ teneremus, quid duobus abhinc annis in negotio Regaliæ, ut nuncupant, ubi de Appamienſi Eccleſia Tholoſanæ ſuffraganea agebatur, decernere auſus fueris contra manifeſtam cauſæ juſtitiam, contra omnes humani diviníque juris regulas, contra ipſius Eccleſiæ totiúſque Provinciæ tuæ jura & libertatem, & contra morem prædeceſſorum tuorum, aliorúmque Præſulum, qui in ſimilibus caſibus Regiæ voluntati atque indignationi, ne muneri ſuo deeſſent, obviàm fortiter eundo, & Dei cauſam ſtrenuè orando, læta & ſalutaria Eccleſijs ſuis reſponſa ab ingenita Chriſtianiſſimorum Regum juſtitia & pietate retulère. Officij itaque Noſtri eſſe duximus, gravem ac planè acerbum ea de re animi Noſtri ſenſum tibi aperire, téque in Domino monere, ut diligenter conſideres, quo in periculo ſis experiundæ divinæ ultionis, quam facilè provocabunt gemitus tot lectiſſimarum Virginum, quarum vitæ innocentia & candor, átque aſſiduus divinarum laudum concentus deliciæ quodammodo ſunt cœleſtis Sponſi, cui ſacroſancto & inſolubili vinculo conjunctæ fuère; niſi quàmprimum, emendatis, quæ admiſſa ſunt, miſericordiarum Patris clementiam demereri ſtudueris. Alioquin Nos, pro Vicaria Chriſti Domini in univerſam Eccleſiam poteſtate, quâ fungimur, quamquam indigni immerentéſque, & pro ſolicitudine, quam debemus unicuique Chriſti fidelium ad paternum patrocinium Noſtrum confugienti, cogemur de opportunis remedijs ſeriò cogitare. Datum Romæ die 18. Januarij 1679.

Marius Spinula.

Documen-

Digitized by Google

Documentum XXVII.

Tertia epiſtola ejuſdem Epiſcopi Appamienſis ad Regem Chriſtianiſſimum.

Appamijs 6. Junij 1679.

QUandoquidem Deus operâ Majeſtatis Veſtræ pacificandæ toti Europæ uſus eſt, ſpem concepi, fore ut eodem quoque tempore humillimis meis precibus placata Majeſtas Veſtra pacem alijs conceſſam, Epiſcopo ejuſque afflictiſſimæ Eccleſiæ haud eſſet negatura. Quintuſdecimus jam menſis agitur, cùm omnes Epiſcopatûs mei proventus, qui videlicet Patrimonium Chriſti ſunt, & ex meris Decimis conflantur, ſubtrahuntur mihi, & tamen toto hoc tempore nihil eorum omiſi, quæ ad omnes officij mei partes explendas neceſſaria videbantur. Enimverò nullius culpæ mihi conſcius ſum, ob quam meritus hanc pœnam videri poſſim, niſi quòd juramentum fidelitatis jam ante quatuor & triginta annos Majeſtati Veſtræ præſtitum inſcribi non fecerim: & planè teſtari poſſum, non hoc ex minori aut obſervantia, aut veneratione erga Majeſtatem Veſtram proveniſſe, ſed ex ſolo offendendi Numinis metu, ſi juramentum illud violâſſem, quo conſervandis juribus ac privilegijs Eccleſiæ meæ, cùm Epiſcopali Dignitate inſignirer, tam ſolemniter, ſanctéque me obſtrinxi: juramentum inquam illud, quo pro juribus, ac libertate Eccleſiæ Sponſæ JESU Chriſti tuendis, facultates ac vitam, imitatione tot aliorum Sanctorum, qui idem jucundiſſimo animo præſtiterunt, profundere compellerer. Numquid enim Majeſtati Veſtræ æquum videtur, ut cùm pro ſuſtinendis rationibus Principum hujus Mundi tot

hominum millia intrepidè morti occurrant, nullus tamen ſit, qui pari ardore ac firmitate Eccleſiæ cauſas amplexetur? & quàm infelix Principum conditio fuerit, ſi, cùm homines ſint, ideóque & errare ipſi, & ſeduci ab alijs poſſint, cogamur tamen eorum voluntati ac imperijs obtemperare, etiam cùm aliqua jubent Divinis legibus adverſa? Quin potiùs crediderim ego, nullum majus aut amoris, aut fidelitatis argumentum in Principem ſuum fore, quàm ſi malè aliquid agenti jubentíve (quod ſæpè ignari, prætérque intentionem faciunt) cooperari nolis, ac criminis ſocietatem recuſes. Et abundant planè cum ſacræ, tum profanæ hiſtoriæ Epiſcoporum Procerúmque Regiorum exemplis, qui cùm Dominis iniqua imperantibus generosè obſtitiſſent, gratiâ apud Principem magis magíſque floruerunt. Hæc Majeſtati Veſtræ tam ſunt nota, ut ijs immorari non ſit neceſſe. Adulantur planè Majeſtati Veſtræ, qui perſuadere Ei conantur, Regaliam jus eſſe Ejus coronæ ac Regiæ poteſtati annexum, cùm tamen, ſi brevitas epiſtolæ debita non prohiberet, facilè demonſtratu eſſet, nihil aliud eſſe Regaliam, quàm Privilegium, contra primævam Eccleſiarum libertatem Principibus conceſſum; ídque tam certum, & apud omnes in confeſſo eſt, ut intrepidè aſſeverare poſſim, numquam niſi ultimis hiſce diebus de hac veritate dubitatum eſſe. Sed nec jus Regaliæ percipiendæ Majeſtati Veſtræ hactenus adſcriptum fuit, niſi Ipſa aut Poſſeſſionem memoriam hominum excedentem, aut Privilegia oſtendiſſet Lugdunenſi Concilio antiquiora. Hoc enim à quatuor jam ſeculis in Gallijs receptum ſub pœna excommunicationis diſtrictè prohibuit, ne Regalia ad Eccleſias hâc ſervitute hactenus liberas (inter quas eſt Appamienſis) extenderetur.

Hæ

Digitized by Google

Hæ ſunt ergo rationes, quibus juſtitia illius cauſæ nititur; quam ego defendendam ſuſcepi; & poſſum Majeſtati Veſtræ affirmare, tam eſſe illam omnibus æqui boníque amantibus perſpectam probatámque, ut nullum mirandi finem faciam, fuiſſe qui Majeſtatem Veſtram hæc omnia hactenus celaverint; imò poſt Summi etiam Pontificis ſuper hoc argumento Majeſtati Veſtræ ſignificatas intentiones pergant nihilominus tanti momenti veritates, ac Principi tam æquo rerúmque intelligenti, alienis falsíſque coloribus fucare, multóque aliter, quàm ſe habent, proponere.

Me adminiſtratione omnium proventuum ſpoliârunt, ídque tam inclementer, ut ne quidem vitæ neceſſaria reliquerint, quæque etiam flagitioſiſſimis permittuntur, cùm tamen jus neceſſaria à ſubditis percipiendi ex Lege Divina proveniat; neque id ſit meræ gratuitæque fidelium liberalitatis, ſed potiùs actus neceſſariæ juſtitiæ, ac obligationis à Chriſto ſubditis impoſitæ, ut videlicet temporalia præſtent, à quibus Verbi Divini ac Sacramentorum ſpiritualia alimenta perceperunt, & ideò Beatus Paulus hoc ipſum jus neceſſaria alimenta à fidelibus petendi Apoſtolis competere fatetur; nec dubium eſt, ab Apoſtolis ad Epiſcopos legitimos eorum Succeſſores tranſiſſe. Nulla ergo poteſtas humana oraculo Chriſti Domini derogare poteſt, aſſerentis: *Dignum eſſe Mercenarium mercede ſuâ*; & Apoſtoli: *Neminem ſuis ſtipendÿs militare*; *& eum qui oves paſcit, ab ovibus viciſſim paſcendum eſſe*, pronuntiantis. Quòd ergo Epiſcopi neceſſaria vitæ à ſubditis ſuis, hoc eſt, proventus Epiſcopales recipiant, juris eſt naturalis Divinique. Nunc verò parùm fuit Majeſtatis Veſtræ Miniſtris, ut me ſeptuagenarium Epiſcopum, ac morbis conflictantem, omnibus Epiſcopatûs mei proventibus ſpoliarent, niſi etiam omnia quoque ſubſidia, quæ à Capitulo meo

meo Cathedrali expectare debebam, æquè ſubducerent: nam ex duodecim Canonicis, qui Collegium hujus meæ Eccleſiæ componunt, novem planè abdicârunt, nullâ nec ſervitiorum, quibus alij quindecim, alij viginti annos de ſua Eccleſia bene meriti ſunt, habitâ ratione; nec votorum Religioſæque Profeſſionis, quæ illos ob promiſſam ſtabilitatem uni Eccleſiæ adſtringit, nec vagari permittit. Taceo exceſſus ultimæ crudelitatis in eoſdem Canonicos exercitæ, quæ uti omnes juſtitiæ & humanitatis leges perverterunt, ita fidem ſuperarent, niſi documenta præſtò eſſent, adeò certa & indubitata, ut credere etiam inviti compellantur. Quod ſi quæras, quodnam tandem ſit illud crimen, quod plecti meruit tam indignis támque inhumanis modis? Illud unum affertur, quòd videlicet Deum offendere verebantur, ſi Eccleſiæ non obtemperâſſent, ac cenſuras contempſiſſent, quas ego ex præſcripto Sacrorum Canonum ijs comminari ſum coactus, qui Regaliam meæ Eccleſiæ imponere conabantur, cùm tamen compertiſſimum ſit, eam ſemper intra terminos Juris communis, liberámque ſtetiſſe. Sed quod omnem admirationem ſuperat, illud eſt, Canonicis, quos Regij Miniſtri expulerant, alios ſuffectos eſſe ex omni ferè Gallia, ac ſine delectu conductos, aut videlicet alterius Inſtituti ac Religionis ſocios, aut omnino Laicos, aut ætate ac moribus juvenes, quíque, ut ipſimet fatentur, nullâ re minùs, quàm Eccleſiaſticæ vitæ deſiderio tanguntur: & denique, quod planè omni exemplo caret, pueris è Collegio recèns eductis, nec ſacris Ordinibus, ob immaturam ætatem, adhuc aptis Canonicatus & Dignitates conferuntur, nullâ aut ineundi Tyrocinij, aut emittendæ Profeſſionis impoſitâ neceſſitate, quod planè nihil aliud eſt, quàm Eccleſiam ab origine ac fundatione ſua Regularem ſine auctoritate Pontificis Eccleſiæ

Capitis

Capitis ad conditionem ſæcularem reducere. Sed & illud ad malorum cumulum addidêre, ut videlicet major pars proventuum ad Capitulum Cathedrale ſpectantium in expenſas planè inutiles conſumerent, nullâ ornandæ Eccleſiæ, nullâ ſublevandorum pauperum curâ; imò ut omni obligatione pauperes adjuvandi deinceps abſolverentur. Sententiam ſeu Arreſtum à Majeſtatis Veſtræ Conſilio impetrârunt, quo Conſtitutio mea abolebatur; ea verò modicam aliquam eleemoſynam indixerat ad ſolatium trium Parochiarum pauperum, unde mille & octingentarum librarum proventus legebantur. Quis umquam perſuadere ſibi potuiſſet, ſub Principe, & Catholicæ Religioni ac juſtitiæ tam addicto, utrámque tamen tam apertè, nullóque pudore, & tanto tempore violatam eſſe? Non omiſi quidem preces lacrymáſque miſcere, ut remedium tot malis à Deo impetrarem; ſed ne videar aut metu, aut negligentiâ meis precibus defuiſſe, illud adjungo, ut throno etiam Majeſtatis Veſtræ ſupplex advolvar, Eámque, quâ maximâ licet, veneratione ac demiſſione compellem, dignetur Eccleſiam Appamienſem æquè ac alias hujus Provinciæ Diœceſes in hanc uſque diem hactenus liberam, nativæ ac Canonicæ immunitati relinquere; nec patiatur Capitulum meum Cathedrale, quod hactenus cum tanta ædificatione ac fructu vitam regularem duxit, ad ſæcularem ſtatum dilabi. Jubeat denique, juxta Apoſtolicas ac Canonicas Regulas, liberam mihi plenámque proventuum Epiſcopalium adminiſtrationem reſtitui: nam ſi Regum Galliæ præcipua gloria ac decus fuit, ut in eorum ſinu, quoties Epiſcopi affligerentur, tutam ſtationem ac aſylum ſuis perſecutionibus & ærumnis invenirent; cur ſperare non liceat, Majeſtatem Veſtram non permiſſuram, ut ego, quem ſemper teſtimonio etiam hujus Provinciæ fideliſſi-

Digitized by Google

Regis gratiam bonámque opinionem magis Vobis conciliet: is enim ingenuè agnoſcet, negotiorum multitudinem, quæ animum Veſtrum diſtringunt, impedimento fuiſſe, ne has Regaliæ materias adeò obſcuras implexáſque, & à communi Jure abludentes, examinare Vobis licuerit; & tamen ne partibus meis deeſſem, ego illas datis ad Regem, & Archiepiſcopum Tholoſanum litteris clarè expoſui; nunc tantùm illud adjungo, ex communi receptáque omnium Juris-Conſultorum opinione: *Omnia libera præſumi, niſi contraria ſervitus probetur*; quæ veritas ſi in alijs omnibus locum habeat, multo maximè circa Eccleſias procedit. Nunc ergo, ſi rationes & auctoritates ritè expendantur, quæ pro Regaliæ ſervitute Eccleſijs imponendæ in medium afferuntur, id unum ſufficiet, ut æquitas cauſæ appareat, quam ego defendendam ſuſcepi: ſi enim ab uſu & antiqua poſſeſſione præſcindas, alia, quæ cumulari in hanc rem ſolent, ſunt omnium Sapientium ſententiâ non infirma ſolùm & inania, ſed etiam riſu digna. Cùm ergo nec in mea Diœceſi, nec in alijs quampluribus Eccleſijs uſus & antiqua conſuetudo probari poſſint, ſequitur, non poſſe illis, niſi ſacrilegâ uſurpatione Regaliæ ſervitutem imponi: quod ſi circa hanc rem dubium aliquod ſuperſit, nihil moror, ut illi Deo juvante quamprimum abundéque ſatisfaciam. Cæterùm tam multa & ſingularia Generoſitatis & Amicitiæ argumenta ab Illuſtriſſima Dominatione Veſtra jam accepi, & ſi iſta deeſſent, notitia, quam habet de voluntate Romani Pontificis, déque ſacrorum Canonum Decretis, quæ Prælatis in Principum aulis verſantibus ſeveriſſimè prohibent, ne in ſuarum Eccleſiarum ſuorúmque Coëpiſcoporum, imò omnium inferioris etiam conditionis Clericorum detrimentum attentare aliquid audeant, id quod in Concilio Avenionenſi Anno 1326. ſub Joanne XXII

capite 25.

capite 25. & in alio etiam Avenionenſi ſub Benedicto XII. Anno 1337. *capite 20.* repetitum eſt: hæc, inquam, omnia ſecurum me certúmque reddunt, Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram præ omnibus privatis affectibus, quæ aliàs morari Eam poſſent, cauſam Eccleſiæ amplexuram eſſe, & interim, &c. Appamijs 6. Junij 1679.

Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ
Dominationis Veſtræ

Humillimus & Obſequentiſſimus
Servus

Franciſcus Epiſcopus Appamienſis.

Documentum XXIX.

Epiſtola ejuſdem Epiſcopi Appamienſis ad R. P. de la Chaiſe Societatis Jesu, & Regis Confeſſarium.

Aſabar. 14. Jun. 1679.

Admodum R. Pater.

JAmdudum animo propoſueram Admod. Reverendam Paternitatem Veſtram litteris convenire; ſed ne id facerem, duas præſertim ob cauſas prohibitus ſum; primò enim verebar, ne operam perderem, & nihil ſcribendo proficerem; deinde ne ſi conquererer, quas à Paternitate Veſtra ſufferre moleſtias cogor, Ipſa privato potiùs dolori, quàm æquitati Zelóque Immunitatis Eccleſiaſticæ conſervandæ eas querelas adſcriberet. Ne tamen ulla in re partibus meis defuiſſe viderer, aut aliquid inexpertum reliquiſſe, bonæ cauſæ

Digitized by Google

libertatíque Eccleſiæ à Divina Providentia mihi commiſſæ promovendæ, ſtatui amicorum conſilijs cedere, & ſiquid obtineri poſſet, hâc quoque epiſtolâ experiri, deinceps exitum hujus cauſæ, & tam ſubſtantiam, quàm modum ipſum ex animo integréque Deo commiſſurus, ut is videlicet juxta præſcriptum legéſque Divinæ Suæ Providentiæ omnia moderetur. Equidem ſi aut contra Paternitatem Veſtram, aut ejus Societatem privatis odijs ac ſimultatibus concitarer, ſcit Ipſa, quàm multæ præclaræque occaſiones abundaverint, juſtum animi mei dolorem conteſtandi, neque ab ullo mortalium id mihi vitio verti potuiſſet, quippe non mea, ſed veritatis ac juſtitiæ, imò boni publici cauſa agebatur; at malui Charitatis Chriſtianæque prudentiæ rationem habere, nec priùs ſilentium abrumpere, quàm neceſſitas loqui me cogeret.

Planè cùm Paternitatem Veſtram & Chriſtianam eſſe, & Religioſam cogitabam, nunquam perſuaderi poteram, & niſi aut Ipſa, aut ejus Societas aliqua in re offenſa à me eſſet, adeò vindictæ avidam fore, ut eam tanto Divinæ Gloriæ ac Immunitatis Eccleſiaſticæ diſpendio quæreret.

Reminiſci adhuc poteſt, cùm eam conveniendi Pariſijs occaſio fuiſſet, vidiſſémque globo Eccleſiaſticorum incinctam, ejus favore Beneficia captantium, dixiſſe mihi: *Hos eſſe lupos prædæ inſidiantes.* Quâ ergo conſcientiâ, quæ gregi ovium innocentium alendo debebantur, rapacibus lupis Ipſa projecit? imò ne expectavit quidem, ut fauces aperirent prædæ expetendæ, ſed etiam eorum famem prævenit; cùm enim Canonici Eccleſiæ meæ vitam Regularem profiteantur, quam ego Apoſtolicâ auctoritate Regíſque auſpicijs feliciter reſtitui, ij, qui Beneficijs Eccleſiaſticis nihil aliud quàm proventus opéſque affectant, nullâ planè curâ Canonicatuum

tange-

tangebantur, quibus paupertatis vitæque communis obligatio incumbit. Sed Paternitas Veſtra illis animos addidit, oblatâ ſpe eos Canonicatus ad vitam ſæcularem revocandi, ídque ſe effecturam promiſit.

Eadem quoque Patris Ferrier intentio fuerat, vitam Regularem in Eccleſia mea abolere volentis; id verò quàm à Divina voluntate alienum fuerit, ſatis intelligere Paternitas Veſtra ex ijs difficultatibus potuit, quæ Romæ & alibi ſuperari non potuêre: non ergo capere poſſum, ex quibus rationibus animum ipſa adjecerit illi operi deſtruendo, quod Patres etiam Societatis, quorum utique teſtimonia ſuſpecta habere non poteſt, approbare conati ſunt, ac ſæpè confiteri, illud in DEI gloriam, Diœceſis utilitatem, totiúſque Eccleſiæ ædificationem redundare; niſi fortè eaſdem ob cauſas delendæ vitæ Regulari accincta eſt, ob quas non eſt verita palàm jactare, id quoque majori DEI gloriæ acceſſurum, ſi jam pridem Eccleſiam meam Regij clauſiſſent. Quò ergo, mi Pater, demiſſa illa veneratio, & cæca obedientia avolavit, quam Societas Veſtra Apoſtolicæ Sedi hactenus profeſſa eſt? video enim conari Vos deſtruere, quod illa ædificavit; ídque non ſolùm ſine Sedis Apoſtolicæ auctoritate, ſed etiam contra Illam. Obſervatum enim eſt, in ultimis Codicillis, quos Paternitas Veſtra pro obtinendis Eccleſiæ meæ Canonicatibus expediri fecit, omiſſam fuiſſe clauſulam, addi aliàs ſolitam, quâ videlicet, qui hujuſmodi Beneficia impetraverant, jubebantur habitum Regularem aſſumere, Tyrocinium experiri, ac denique Profeſſionem emittere. Qui ergo non omnino cæci ſunt, imò qui ſe inter præcipuos amicos Paternitatis Veſtræ profitentur, hæc omnia ſpectare eò dicunt, ut, non obſtantibus Capituli mei, Romanæque Sedis proteſtationibus Decretíſque, ſæcularis vitæ licentiam inducat, Regulari

lari extinctâ, ſícque quacúmque tandem ratione, etiam Profeſſione ſuâ planè indigna fidem exolvat, quam illis obligavit, quos ad captandos Eccleſiæ meæ Canonicatus jam priùs impulerat.

Utinam ſaltem Paternitatem Veſtram ab hujuſmodi conatibus reverentia retineret Gallici Regni, in quo nemo non videt, abuti ipſam fiduciâ, quam munus Confeſſarij ei apud Regem conciliavit, & quâ id unicè agit, ut præcipua Eccleſiæ jura ab ignaro licèt Rege violentur, útque Principis auctoritate tam injuſtæ ſævæque actiones muniantur, quas, niſi publicis & authenticis monumentis conſtarent, nemo credere ſuſtineret. Enimverò fieri non poteſt, ut Paternitas Veſtra Regaliæ examinandæ animum ſolidè adjecerit, quin protinus intellexerit, eam nec in mea, nec in alijs quampluribus Eccleſijs locum habere, ſicque ingenti damno Eccleſiam afficere, quando Regi perſuadet, ut eam ſibi uſurpet. Quod ſi Paternitas Veſtra iſtarum rerum plenam notitiam non habet, quâ rogo conſcientiâ non minùs inclementer ſævéque nos perſequitur, quàm ſi Rei eſſemus Divinæ humanæque Majeſtatis?

Non permittit brevitas epiſtolæ debita, ut hîc aut rationes percurram, quæ cauſæ à me ſuſceptæ æquitatem oſtendant, aut ſeriem malorum pertexam, quæ tanto jam tempore Regaliæ obtentu perpetior, præſertim cùm perſuaſum habeam, Paternitatem Veſtram non tam ignorantiâ rerum, quàm odio mei laborare, quod ut deponat, à ſolo Deo expectari poteſt. Enimverò metus Regiam indignationem incurrendi, ſi videlicet Regi innoteſcat, ſe ab eo deceptum eſſe, cujus unica & præcipua obligatio erat Principem rerum, quæ ad animæ Ipſius æternam ſalutem verámque gloriam perti nent, admonere, pudor quoque errorem ingenuè confitendi,

ficendi, ac denique ingens cupido deprimendi calcandíque Epiſcopum, Societati, Veſtríſque maximis (quippe à Chriſtiana Sanctorúmque Patrum Doctrina alienis) adverſum: hæc, inquam, omnia ingentia ſunt, Paternitati Veſtræ profitendæ veritatis impedimenta, nec ab alio, quàm, qui cordium Dominus eſt, ſuperari poſſunt. & tamen mihi credat (neque enim, uti ſpero, ſe ab Epiſcopo admoneri indignè feret) multa ſunt, quæ juſto eam timore percellere poſſint, ne, poſteaquam ob calcatam immunitatem Eccleſiaſticam Divinam indignationem in ſe provocavit, Regiam quoque incurrat; Rex enim, quâ eſt prudentiâ & æquitate, ubi aliquando intellexerit, Se conſilijs à vobis ſuggeſtis, ac contra animi ſui ſententiam deceptum, tot malorum cauſam fuiſſe, non poterit non ea omnia eorúmque auctores damnare. Ex adverſo ſi Paternitas Veſtra infortunium ac impendentia mala præveniat, expleátque boni Confeſſarij partes, ſuámque induſtriam Regis ſaluti impendat, cujus videlicet animam gubernandam ſuſcepit, Dei Benedictionem experietur, & Rex quoque gratum acceptúmque habebit, Se veritatem aliquando ſaltem edoctum eſſe. Illos verò, quibus Paternitas Veſtra cauſa fuit, ut Cenſuras Eccleſiæ incurrerent, longè majori Beneficio affecerit, ſi potiùs viam illis & rationem oſtenderit, quâ ſe dignos reddant Eccleſiaſticis honoribus, quàm ut contra Canonum præſcriptum ſibi illos uſurpent. & denique quicunque æqui juſtíque amantes ſunt, Deum ex animo benedicent, ubi intellexerint, Paternitatem Veſtram auctoritatem ſuam perſuadendo Regi interponere, ut Regaliâ intra fines à Majoribus ſuis obtentos, & à Lugdunenſi Concilio (quod extendi eam vetuit) conceſſos contentus eſſe velit.

Finio, mi Pater, nec aliud adjungo, quàm eſſe utique Charitatis Veſtræ, pacem tandem concedere Epiſcopo ſeptuaginta annos nato, quadraginta paſtorales infulas ſuſtinenti, & ultimas horas præſtolanti; nec ampliùs pati viros ſelectæ virtutis, Deóque ſpeciali ratione conſecratos, quíque cum tanta omnium ædificatione illius ſe obſequio addixerunt, ab ijs tam ſævâ perſecutione pulſari diſſiparíque, qui ſe vitæ Regularis hoſtes profitentur. Spero equidem, me Deo propitio uſque in extrema fidelem fore, nec ceſſabo eſſe, quidcumque tandem à Paternitate Veſtra adverſi mihi contigerit.

Admodum Reverendæ
Paternitatis Veſtræ

Humillimus & Obedientiſſimus
Servus
Franciſcus Epiſcopus Appamienſis.

Documentum XXX.

Secundum Breve Sanctiſſimi D. N. Innocentij Papæ XI. ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Epiſcopum Appamienſem.

INNOCENTIUS PP. XI.

Venerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Præcipuæ argumentum lætitiæ attulerunt nobis litteræ Fraternitatis tuæ proximè ad Nos datæ, in quibus eximium tuum de integra atque incorrupta ſervanda morali Theologia, de inſtauranda Cleri, & Regularium Ordinum diſciplina, déque propulſanda ab Eccleſia ſæcularis poteſtatis injuria, zelum ſtudiúmque diſertè declaras. Et quidem

quidem quod ad Diœceſis tuæ rationes pertinet, gratias Divinæ Majeſtati agere non ceſſamus, quòd in tanta rerum ac temporum difficultate ſuſcitaverit ſibi Sacerdotem fidelem, qui opponat murum pro domo Iſraël. Neque dubitamus, quin tot experimentis probata, & confirmata virtus tua, egregio propoſito, Deo bene juvante, ad extremum conſtanter inſiſtat, parati omni ope & auctoritate noſtrâ tibi pro Dei honore tam ſtrenuè laboranti, perpetuò adeſſe. Reliqua à dilecto filio Archipresbytero Aquenſi Viro pio, atque induſtrio, qui tuas Nobis litteras reddidit, & à quo has Noſtras accipies, fuſiùs cognoſces, ac Fraternitati tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem ſub annulo Piſcatoris die ſecundâ Auguſti 1679. Pontificatûs Noſtri anno tertio.

Marius Spinula.

Documentum XXXI.

Epiſtola ejuſdem Epiſcopi Appamienſis ad D. de Harlay Procuratorem Generalem Parlamenti Pariſienſis.

Appamijs 4. Septemb. 1679.

INſinuatum mihi fuit Arreſtum, ſeu ſententia ad inſtantiam Veſtram à Parlamento pronuntiata, quo coram eo tribunali ſiſti jubeor ad videndum irritari duas Conſtitutiones meas (perinde ac ſi in illis edendis indebitam poteſtatem uſurpâſſem) contra duos Colonos, qui nomine juvenis cujuſdam Barbes de Luſſan ſcholas adhuc terentis, & titulo Regaliæ Beneficium illud adepti proventus, Cuſtodi Eccleſiæ Appamienſis aſſignatos, conduxerunt. Ego qui ignorare

non poſſum, quantum & Parlamento ipſi (quippe præcipuo Galliæ Senatui) & Dominationi etiam Veſtræ magnam in eo Senatu partem occupanti honoris debeam; quâ par eſt reverentiâ, præfatum Arreſtum excepi, & tamen, ne deferre illi poſſem, graviſſimæ me rationes compulerunt, quas me recenſentem dignetur Dominatio Veſtra benignè audire.

Primò enim, quibus ego ſumptibus tam longum gravémque Proceſſum ingrediar, quando me omnibus ſpoliârunt, atque ad incitas redegerunt, ne alimentis quidem neceſſarijs relictis (quæ tamen etiam ſceleratiſſimis permittuntur) ut à viginti jam menſibus vitam amicorum liberalitate utcumque ægréque ſuſtineam? & tamen neminem latet, nec patrimonium mihi eſſe, quo ultimæ neceſſitati ſubveniam, nec interim, quantum per ætatem licet annis ac infirmitatibus feſſam, functiones ac curas Paſtorales omittere.

Deinde: Non intelligo, quam Eccleſia mea expectare à Parlamento juſtitiam poſſit, quando & elapſo ſæculo, & initio currentis, tanto ardore dilatandæ Regaliæ totóque Regno extendendæ incubuit, ut moderari eum Reges oportuerit. Parlamentum enim jus Regaliæ tanquam Coronæ annexum, imò tanquam ipſius Parlamenti præcipuam prærogativam ab aliquot jam annis habuit, quia videlicet omnes proceſſus, qui hanc Regaliæ cauſam ſpectant, Parlamento deferuntur. Quod ſi plurium jam ſeculorum Jurisprudentiam conſulas, invenies, conſtanter à Parlamento eam Regulam obſervatam fuiſſe, ut nunquam pro Rege pronuntiaret, niſi probatâ à Regijs Procuratoribus poſſeſſione, quod utique Dominatio Veſtra in Protocollis, Tabularijs, libriſque Auctorum, qui ſuper hoc argumento ſcripsère, probè noverit. Circumſtantiæ quoque, quæ Arreſtum Pariſienſe comitantur, hujuſmodi ſunt, ut facilè ex ijs Parlamenti in me animum

mum colligere liceat: Actionem enim criminalem duobus Clericis intentat, adeò miſeris, ut ſolis eleemoſynis (quæ mihi à Fidelibus ſuppeditantur, & quarum partem ego illis communico) precariò ſuſtententur; adeóque innocentibus, ut nullâ aliâ culpâ laborent, quàm quòd binas conſtitutiones meas partibus inſinuârint, & quarum æquitatem examinare non utique ad eos pertinebat.

Tertiò. Quemadmodum certiſſima res eſt, non poſſe jus Regaliæ, niſi Eccleſiæ privilegio ad Reges pertinere; ita certum eſt, ad eandem Eccleſiam ſpectare, ut de Regalia cognoſcat judicétque, id quod in Lugdunenſi Concilio fecit; & quamvis daremus, ſententiam Concilij in hac cauſa non omnino apertam & claram eſſe, eam tamen interpretari Pontificis Romani partes eſſent, non Regij Tribunalis. Cùm ergo binis à me editis Conſtitutionibus nihil aliud egerim, quàm ut Decretum exequerer Concilij Oecumenici (id verò non de privatis tantùm perſonis loquitur, ſed de *quantacunque dignitatis honore præfulgentibus*) nec terminos exceſſerim à Concilio præfixos, ſequitur injuſtam eſſe eorum calumniam, qui in foro ſæculari me accuſant uſurpatæ, ac ultra metas dilatatæ poteſtatis. Has ipſas ob cauſas nunquam ego in dubium revocavi, quin poſſem deberémque Laicos Cenſuris punire, qualeſcunque tandem eſſent, in rebus ſpiritualibus Deóque conſecratis (de his enim quæſtio jam vertitur) Eccleſiæ legibus ſubjacere; tantóque magis ad id agendum permovebar, quòd viderem proventus, quos ſibi Laici vendicabant, nihil aliud eſſe, quàm meras Decimas ad luminaris aliámque Divini Cultûs ſuppellectilem deſtinatas, ſine qua nec ſacra Officia peragi deinceps poterunt, quippe eo decoro ſublato, quod eorum ſanctitati debetur, & verò tam eſt injuſta paténſque hæc uſurpatio, ut nullo honeſti colore fucari poſſit.

 Quartò.

Digitized by Google

Quartò. Quod ſi alij Prælati, quorum Eccleſiæ liberæ erant, in extenſionem Regaliæ conſensêre, non poteſt eorum conſenſus detrimento mihi eſſe, qui nullam penitùs in eo partem habui. Imò Reſervationes, Proteſtationes, Derogationes, aliæque cautelæ ab Epiſcopis aut ante, aut poſt conſenſum adhibitæ clarè oſtendunt, & agnoviſſe illos Eccleſiarum ſuarum jura ac libertates, & noluiſſe abſolutè renuntiare, imò nec ſponte Regijs Decretis acquieviſſe, ſed ſolo metu, ne ijſdem malis mecum involverentur, & adhuc pejoribus Eccleſias ſuas obruerent, niſi obtemperâſſent. Et denique numquam eorum conſenſu effici potuit, ut tantum damni Eccleſiæ ſubire cogerentur, id quod ex annexis, quas ad Illuſtriſſimum Archiepiſcopum Tholoſanum dedi, Dominatio Veſtra pleniùs intelliget.

Cæterùm cùm Parlamenti Pariſienſis juriſdictioni me ſubmittere recuſavi, non ideò in cauſa propria Judicem me conſtitui, ſed illud tantùm egi, ut in cauſa ſpirituali, & in qua Pontifices, Concilia, Epiſcopíque auctoritate DEI funguntur, Decreta Eccleſiæ exequerer; & ſi Cenſuras adhibui uſurpatoribus coërcendis, exemplo & auctoritate plurium Conciliorum, etiam Oecumenicorum id feci, qui dignam hanc cauſam eſſe cenſebant, quæ hujuſmodi pœnis ſuſtineretur, præſertim cùm non minor Epiſcopis obligatio incumbat, libertates ac jura Eccleſiæ, quàm fidei dogmata propugnandi, id quod ſolidè Auctor ſermonis oſtendit, quem dignum cenſui, ut Dominationi Veſtræ à me tranſmitteretur.

Non permittit Epiſtolæ brevitas, ut omnia pertexam, quæ de hac materia dici poſſunt, quæque libenter adjungam, ſi modò intelligam id Dominationi Veſtræ placere, ac tempus ſuppetere ea perlegendi. Nunc finem Epiſtolæ impono, & Dominationem Veſtram ardentiſſimè obteſtor, dignetur

in

in memoriam revocare, ſe & Regij Miniſtri, & hominis Chriſtiani perſonam agere, atque ut prima obligationem imponit, ne quidquam de juribus ad Coronam ſpectantibus dilabi permittat, ita quoque ſecunda, ne illa in Eccleſiæ præjudicium extendi patiatur; alioqui periculum eſſet, cœleſtem Benedictionem impeditum iri, quam alioquin ſibi ſuæque illuſtri familiæ Dominatio Veſtra tam multis egregijſque operibus promerita eſt. Appamijs 4. Septemb. 1679.

Humillimus & Obſequentiſſimus Servus

Franciſcus Epiſcopus Appamienſis.

Documentum XXXII.

Tertium Breve Sanctiſſimi D. N. INNOCENTIJ Papæ XI. ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Epiſcopum Appamienſem.

Venerabili Fratri Franciſco Epiſcopo Appamienſi INNOCENTIUS Papa XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Perlegimus litteras Fraternitatis tuæ, in quibus afflictum Appamienſis Eccleſiæ ſtatum, & tuum propterea dolorem Nobis ob oculos ponis; qua de re, Paſtoralem zelum, & ſolicitudinem magnopere commendamus, & eodem tecum ſenſu affecti, non ceſſamus à Patre miſericordiarum pro muneris Noſtri debito, poſtulare, ut priſtinam Eccleſiæ iſti tranquillitatem, dignitatémque reſtituat, ac Nobis lumen ad ea decernenda, exequendáque ſuppeditet, quæ cum tuæ, tum univerſæ Eccleſiæ rationibus expedire

videbuntur,

Digitized by Google

videbuntur. Reliqua ab eo cognoſces, qui tuas Nobis litteras reddidit; téque, atque invictam Epiſcopalis roboris conſtantiam, quà cæteris præluces, intimo charitatis affectu in Domino complectentes, Fraternitati tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris. Die 10. Decemb. 1679. Pontificatûs Noſtri anno 4.

Marius Spinula.

Documentum XXXIII.

Conſtitutio ejuſdem Illuſtriſſimi Epiſcopi Appamienſis.

7. Febr. 1680.

FRanciſcus miſeratione Divinâ Epiſcopus Appamienſis, &c. Conſtitutiones à nobis nuper promulgatæ, quibus procul arcebamus, qui in Diœceſi noſtra Regaliæ obtentu Beneficia quædam impetraverunt (cùm tamen conſtet, præfatam noſtram Diœceſin hujus ſervitutis penitùs immunem eſſe, nec proinde Regaliæ ſubjici poſſe, niſi violatis quamplurimis ſacris Canonibus Regúmque Edictis) adeò apud quorumdam avaros, ambitioſos, ac Beneficijs Eccleſiaſticis inhiantes animos nihil effecêre, ut potiùs reperti ſint, (quod non ſine animi dolore intelleximus) qui Regaliæ obtentu etiam ad Beneficia Curata adſpirare, & illa obtinere ſint conati; id verò omni exemplo caret, ac etiam, ubi aliàs Regaliæ locus eſt, nunquam hactenus uſurpatum. Eò igitur temeritatis deventum eſt, ut in captandis Beneficijs Eccleſiaſticis nullus ſit regulis aut pudori locus, & quia hujuſmodi intruſionibus ſiſtendis nulla ampliùs remedia ſuperſunt nobis.

nobis, quàm auctoritas Epiſcopis à Deo tributa, cenſuræque Eccleſiaſticæ, ultima videlicet Eccleſiæ remedia, & quibus non ij ſolùm coërceri debent, qui aliunde quàm per legitimam ac Canonicam januam Eccleſias irrumpunt, ſed illi etiam, qui ita irrumpentibus auxilia & conſilia ſubminiſtrant; ideò ex his alijſque cauſis Conſtitutiones noſtras jam aliàs editas renovamus, ac inſuper ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrendæ omnibus cujuſcunque dignitatis ac conditionis perſonis diſtrictè prohibemus, ne Dignitates, Prioratus, aliáque Beneficia curam animarum annexam habentia pro ſe aut alijs titulo Regaliæ petere, aut impetrare præſumant: neque, aut ſuo, aut aliorum nomine eorum Poſſeſſionem adeant, aut fructus ſeu mediatè, ſeu immediatè percipiant. Prohibemus etiam æquè ſub pœna Excommunicationis cujuſcunque ſtatûs ac conditionis perſonis, ne ſcienter ac voluntariè ſub quovis prætextu aut colore, Notarij videlicet, Teſtis, Emphyteutæ, ſubemphyteutæ, aut aliâ quâvis ratione, ad actus & uſurpationes ſupranominatas auxilium, conſilium, aut favorem præſtent. Reſervamus etiam nobis, præterquam in articulo mortis, abſolutionem à præfata pœna Excommunicationis. Appamijs 7. Febr. 1680.

Franciſcus Epiſcopus Appamienſis.

Digitized by Google

Documentum XXXIV.

Alia Conſtitutio ejuſdem Epiſcopi Appamienſis, quâ omnes Fideles ſuæ Diœceſis ad publicas preces aliáque pietatis opera placandæ Divinæ indignationi exhortatur.

22. Febr. Anno 1680.

FRanciſcus, &c. Clero Populóque Appamienſi ſalutem & benedictionem. Tam manifeſta ſunt indignationis Divinæ hanc noſtram Diœceſin punientis argumenta & effectus, ut oporteat aut cæcum eſſe, qui ea non videt, aut planè inſenſibilem, qui illis non intimo dolore conficitur. Eccleſiarum Paſtoribus ultima ferè neceſſitas incumbit officio ſuo abſtinendi, omittendíque ſanctiores quáſque functiones, imò eorum nonnulli, qui alioqui ſe totos addixerunt curandis animabus, coguntur gregem ſuum frequenter deſerere, neceſſitate alimenta mendicandi, id quod ſine dedecore ſacri characteris, ſine damno quamplurium abſque Sacramentis decedentium, ſine juventutis neglectu neceſſariâ inſtructione carentis, ac denique ſine infinita morum corruptela fieri haud poteſt. Hæc omnia inde proveniunt, quòd legitimi ac canonicè inſtituti Paſtores redditibus ſuſtentandæ vitæ neceſſarijs priventur; quamvis nec ad iſtos ſolos hæ miſeriæ pertineant, ſed etiam ad magnam partem eorum pauperum, qui charitate Eccleſiaſticorum fovebantur.

Equidem ingenuè fatemur, calamitates, quibus confligamur, noſtris peccatis noſtríſque imperfectionibus magna ex parte deberi; ſed nec vos abnuetis, veſtra quoque peccata multum ad eas contuliſſe; quamquam & hoc ipſum negligentiæ noſtræ adſcribimus, quippe non eâ, quâ par eſt, induſtriâ partes Officij noſtri explemus: friget orandi ſtudium: exempla

exempla minùs quàm oporteret ſincera & incontaminata: mores non ſatis incorrupti Zelóque Apoſtolico flagrantes: denique omnes fateamur oportet, flagella Divinæ juſtitiæ noſtris peccatis, abuſúque Divinarum gratiarum provocata fuiſſe, & forſan graviora adhuc impendent, niſi juſtitiam Divinam cleri pœnitentiâ, dignáque ſatisfactione occupemus.

Hæc noſtra conſilia illis fortè intempeſtiva videbuntur, qui dies Quadrageſimale jejunium præcedentes omni voluptati morúmque licentiæ dedicârunt, perinde ac ſi propoſitum haberent Spiritui Sancto futuræque pœnitentiæ impedimenta obijcere, & jejunium atque alia ſacri illius temporis opera contra intentionem Eccleſiæ planè inutilia reddere. At veri legitimíque Chriſti fideles, ubi vident Matrem ſuam Eccleſiam abjectis gaudij inſignibus luctu opertam, ut ſuum amorem & obſequium in Matrem teſtentur, eundem ipſi quoque dolorem, eoſdémque mores induunt: & quamquam omni Chriſtiano nullum ſit tempus exercendæ pœnitentiæ importunum; tunc tamen, quicunque veram fidem amplectitur, vacare illi obſtringitur, quando judicium Dei obſervat à Sanctuario incipere, ac etiam cum Divinæ gloriæ jactura, ſi ita loqui fas ſit, vindictam cœleſtem exerceri, quod planè præcipuum eſt irati Numinis argumentum. Nulla ergo ratio permittit, ut filij Matrem dolentem deſerant, multóque minùs, lacrymas non ſolùm non extergant, verùm etiam novum ei mœrendi fomitem adjungant, effrænatâ vivendi licentiâ, cogántque in eas voces cum Propheta prorumpere: *Suſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: qui conſolaretur, & non inveni.*

Non deerit fortaſſe, qui credat in poteſtate noſtra eſſe torrentem malorum ſiſtere, utinam liceret id nobis intactâ conſcientiâ, ac juribus Eccleſiæ illibatis (quorum nos Deus

 cuſtodes

Digitized by Google

cuſtodes conſtituit, etſi indignos) quovis modo præſtare. Sed quamvis omnem induſtriam locaverimus quærendis honeſtis medijs, quibus hæc cauſa componeretur, preces quoque ad Deum, & conſilia ab hominibus virtute & doctrinâ conſpicuis addiderimus, nunquam tamen modum reperimus in hac cauſa tranſigendi, Deo conſcientiáque inoffenſis, præſertim poſtquam repetitis litteris mentem quoque Sanctiſſimi D. Noſtri Romani Pontificis intelleximus, noſtram agendi rationem tanquam Eccleſiæ utilem proficuámque apprimè comprobantis.

Sed & illud ſalvâ omnino veritate profitemur, præcipuum doloris noſtri argumentum non eſſe, ærumnas, quibus in hac cauſa acerbè jactamur, ſed potiùs damna ſpiritualia, quæ in nos quoque redundant, ac ultimam neceſſitatem, quâ pauperes conflictantur, & cui ſublevandæ nulla nobis poteſtas relicta eſt. Æquum igitur eſt, ut placando Deo avertendíſque malis, quæ Diœceſin noſtram partim affligunt, partim etiam deinceps impendent, manus nobiſcum operámque ſocietis.

Omnibus ergo Capitulis, Parochis, Vicarijs Diœceſis noſtræ præcipimus, ut proximâ Dominicâ, quæ eſt 25. currentis menſis, publicas ſupplicationes inſtituant. Singulis quoque Sacerdotibus, ut quamprimum commodè potuerint, ter Miſſam recitent, quæ in Romano Miſſali *pro quacunque tribulatione* inſcribitur. Reliquis Eccleſiaſticis, ut Pſalmos Pœnitentiales cum Litanijs, Orationibus, ac verſiculis conſuetis perſolvant: omnibus verò ut quartâ & ſextâ feriâ, Sabbatóque proximæ hebdomadis jejunent. Laicos etiam exhortamur, ut ſupplicationibus diligenter interſint, ad Confeſſionis Sacramenta ritè obeunda ſeſe diſponant. Beatiſſimæ Virginis Roſarium ſemel minimùm recitent, jejunia Eccleſiaſticis impoſita

impoſita ipſi quoque ſuſcipiant. Omnes denique Diœceſis noſtræ fideles ardenter ac feriò commonemus, ut eleemoſynis, alijſque pijs operibus, placandæ Divinæ juſtitiæ impetrandæque miſericordiæ diligenter incumbant. Ut verò mens & intentio noſtra omnibus innoteſcat, juſſimus hanc Conſtitutionem ſub ſacro Miſſæ Officio in omnibus Parochijs proximâ Dominicâ promulgari, & ad valvas Eccleſiæ Cathedralis affigi. Datæ Appamijs in Seminario noſtro 22. Febr. 1680.

Franciſcus Epiſcopus Appamienſis.

Documentum XXXV.

Sententia Excommunicationis ab eodem Epiſcopo Appamienſi contra Guerin Palarin Sacerdotem ſolemniter pronuntiata.

Die 24. Mart. 1680.

FRanciſcus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Appamienſis, &c. Viſâ Conſtitutione Noſtrâ ſub data 27. Octobris anno 1677. quâ omnibus Canonicis Cathedralis & Collegiatæ Beatiſſimæ Virginis de Campo Eccleſiarum diſtrictè prohibetur, ne ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ ad præfatarum Eccleſiarum beneficia titulo Regaliæ quemquam admittant, neque ad ullos actus Capitulares, locum in Choro, aliáſque functiones recipiant. Viſis etiam actis, & inſtrumentis executionis à Domino Antonio Novè Eccleſiaſtico Diœceſis Tholoſanæ die 26. Februarij, anno 1680. Domino Balthaſaro d'Ouvrier Decano noſtræ Collegiatæ de Campo inſinuatæ: attentâ quoque inobedientiâ & con-

tumaciâ contra præfatam noſtram Conſtitutionem Domini Guerin Palarin, Canonici & Sacerdotis ſæpedictæ noſtræ Collegiatæ (quamvis ipſe quoque unus ex illis fuerit, qui, ut noſtra Conſtitutio in publica Capituli acta referretur, conſenſerat) quippe qui non obſtantibus Conſtitutionibus, & Inhibitionibus noſtris, titulo Regaliæ Poſſeſſionem Decanatûs Eccleſiæ Collegiatæ de Campo adire præſumpſit (prout apparet tam ex publico actu ad prædictos Canonicos vigeſimâ currentis menſis directo, quàm ex ſtallo locóque Decani ab ipſo occupato) quantumvis eum non lateret, Diœceſin noſtram Regaliæ ſubjectam non eſſe, imò quamvis Regaliæ ſubjaceret, Decaniam, utpote Beneficium electivum, exemptam eſſe, præſertim cùm ipſe Palarin ſeptem integros annos Dominum Balthaſarum de Ouvrier pro Decano canonicè electo ſemper agnoverit: viſo denique prænominato actu ad jam dictos Canonicos ſub data 20. currentis menſis, & rationibus in eo adductis, & præſertim quia ſæpè fatus D. Palarin, quamvis ter à nobis admonitus, nullas probabiles cauſas allegat, ob quas excommunicari & denuntiari non debeat, invocato DEI Omnipotentis nomine Patris, Filij & Spiritûs Sancti de poteſtate ligandi atque ſolvendi ſpecialiter confiſi, quam Chriſtus Apoſtolis Epiſcopíſque eorum Succeſſoribus clementer largiri dignatus eſt, declaravimus & denuntiavimus, declaramus & denuntiamus pro Excommunicato præfatum Guerin Palarin Presbyterum Canonicum noſtræ Eccleſiæ Collegiatæ Beatiſſimæ Virginis de Campo, eúmque velut Excommunicatum ſeparamus à Communione Eccleſiæ, nec non à participatione Corporis & Sanguinis Chriſti JESU, eúmque poteſtati Sathanæ temporaliter ſubjicimus, ut per veram ſincerámque pœnitentiam ejus ſpiritus ſalvus fiat in die Domini. Poteſtatem verò ab hac Excommunicatione

municatione abſolvendi nobis reſervamus, prohibentes & diſtrictè omnibus utriúſque ſexûs inhibentes, ne ſub pœna Excommunicationis à ſacris Canonibus latæ cum prædicto Palarin audeant communicare. Præcipimus etiam, ut præfatus Palarin publicè denuntietur, ejúſque Denuntiationis & Excommunicationis notitia vicinis quoque Diœceſibus inſinuetur, nec non omnibus, quibus opus erit, ut ita juxta Juris diſpoſitionem tamquam excommunicatus, & ab Eccleſiæ Communione ſeparatus habeatur. Factum & pronuntiatum dicto Palarin in noſtra Eccleſia de Campo in præſentia Cleri Populíque, die 24. menſis Martij, anno 1680.

Franciſcus Epiſcopus Appamienſis.

Notandum, ſimilem quoque Excommunicationis & Denuntiationis ſententiam in Petrum Brau ab eodem Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Epiſcopo die 24. Martij Anno 1680. fuiſſe pronuntiatam.

Documentum XXXVI.

Conſtitutio ejuſdem Epiſcopi Appamienſis ad impediendam Regaliæ in ſuam Diœceſin introductionem.

Die 31. Martij 1680.

FRanciſcus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Appamienſis. Cùm nihil Eccleſia habeat magis neceſſarium, majoríſque pretij, quàm & libertatem de Officijs Beneficijſque, præſertim Cathedralium Eccleſiarum diſponendi (in quibus Canonici alijque in dignitate conſtituti in partem ſolicitudinis Epiſcopalis regendæque Diœceſis, præſertim

ſertim vacante Eccleſiâ, vocati ſunt) & liberam temporalium proventuum adminiſtrationem, ſine quibus nec Divina Officia decorè peragi, nec Eccleſiæ reparari ornaríque, nec habiles miniſtri ſuſtentari, nec quotidianis pauperum neceſſitatibus ſubveniri, nec denique expenſæ quotidianæ perferri poſſunt; introductio verò Regaliæ utróque hoc jure, ſaltem vacantibus Eccleſijs, privet, ea propter non alio eam loco, quàm duræ ſervitutis habere poſſumus, omninóque illi libertati adverſæ, quam Chriſtus ſuo nobis ſanguine acquiſivit, ipſo etiam Ludovico Juniore teſte in ſua Declaratione de anno 1137. ubi Provinciam Aquitaniæ hujus jugi immunem eſſe fatetur.

Hic Regaliæ abuſus Laicis Regijſque Miniſtris occaſionem tribuit, Cathedralium & Collegiatarum Eccleſiarum, ac præcipua Diœceſis Beneficia hominibus ſine ulla ad ſtatum Eccleſiaſticum vocatione conferendi, ſine ſcientia & pietate adimplendi, nec aliud meritum præ ſe ferentibus, quàm quòd apud Majeſtatis Suæ Miniſtros, quibus iſtorum Beneficiorum diſtributio permiſſa eſt, omnem induſtriam collocaverint, ut aliquo Beneficio potirentur; quod tamen unicum, quamvis alia deeſſent, ſi ex ſpiritu & diſciplina Eccleſiæ res agatur, omnino indignos reddit omni Eccleſiaſticâ dignitate. Ex quo ſequitur, ut qui ad Epiſcopatus promoventur, tantùm abſit ut perſonas reperiant, in quorum humeros partem aliquam Paſtoralis ſolicitudinis ſecurè deponant, ſed potiùs, quæ Epiſcopis boni aliquid præſtare volentibus ſe omni conatu opponant.

Auget malum damnúmque, quòd, cùm denominatio ad vacantes Epiſcopatus Regij juris ſit, numquam Regios Officiales occaſio & rationes deficient Regem perſuadendi, ut nominationem differat, Regaliámque producat, id quod Divum

Divum Bernardum in eas querelas prorumpere coëgit, quæ *epiſtola 122.* leguntur, tempore videlicet Ludovici Junioris more receptum fuiſſe, ut Epiſcopatuum collatio differretur, quo diutiùs eorum proventibus frui liceret.

Poſtquam ergo tam in Conſtitutionibus noſtris, quàm alijs publicis actibus juſtiſſimas rationes palàm fecerimus, quæ nos obſtringunt, ut, quantùm pro noſtra virili parte fas eſt, libertatem Eccleſiæ contra Regaliam tueamur, fruſtra etiam adhibitis dulcioribus remedijs, qualia ſunt preces, adhortationes, demonſtrationes, privatæ publicæque & Canonicæ admonitiones, cogimur tandem non ſine ingenti intimóque dolore alia & acerbiora remedia experiri.

Quamplurima ſunt Oecumenica Concilia, Summorúmque Pontificum Conſtitutiones, quibus contra Bonorum juriúmque Eccleſiaſticorum uſurpatores, eóſque, qui hujuſmodi uſurpatoribus auxilium aut conſilium præſtant, Excommunicatio pronuntiatur, ſícque à nobis editæ Conſtitutiones non tam novas prohibitiones nováſque pœnas complectuntur, quàm antiquas renovant applicántque, tantóque magis ad hoc agendum impellimur, quòd Decreta pœnæque à ſacris Canonibus ſancitæ, non ſolos Laicos reſpiciunt, jurium, bonorum, libertatúmque Eccleſiaſticarum uſurpatores; ſed etiam in Clericos & Epiſcopos vibrantur, qui aſſenſum præbent, neque ſe hujuſmodi uſurpationibus, quantùm licet, opponunt, & præſertim Concilium Lugdunenſe adeò inter alia celebre, loquens de hoc ipſo Regaliæ argumento, non ſolùm *cap. 12.* contra illos tam ſæculares, quàm Eccleſiaſticos, qui obtentu Regaliæ in Eccleſijs hujus juris expertibus vacantia bona uſurpant, Excommunicationis ſententiam profert; verùm etiam eos, qui hujuſmodi uſurpa-

 toribus

Digitized by Google

toribus connivent, neque uti oporteret, ſe illis opponunt, fructibus omnium ſuorum Beneficiorum privat.

Concilium Avenionenſe ſub Papa Joanne XXII. Anno 1322. Excommunicationem indicit & illis, qui vacantia bona Eccleſiarum uſurpant, & qui uſurpatoribus *gratis*, hoc eſt, voluntariè *obediunt*, id quod ijſdem ferè verbis in alio Concilio Avenione æquè habito ſub Benedicto XII. Anno 1337. repetitum fuit. Concilium quoque Tridentinum *Seſſ. 22. cap. 11.* omnibus quacunque dignitate, etiam Regali aut Imperiali præfulgentibus, ſub pœna Excommunicationis interdicit, ne bona & jura Eccleſiaſtica ſibi vendicent; ijſdémque pœnis omnes Eccleſiaſticos afficit, quicunque hujuſmodi uſurpatoribus aut conſenſum, aut operam præſtant.

Eccleſiæ quæcunque recepto jam more & antiquâ conſuetudine Regaliæ jugo aſſueverunt, non poſſunt non gemere, & quamdiu Deo libuerit, hanc ſervitutem non patienter tolerare. Eas verò Eccleſias quod attinet, quæ nullo hactenus titulo aut conſuetudine juri Regaliæ ſubjectæ fuerunt, earum Epiſcopi, quippe Paſtores Cuſtodéſque, ſufferre potiùs omnia debent, quàm ut antiquam & Canonicam libertatem aboleri, & jugo tam gravi inſuetóque Eccleſias ſuas ſupponi patiantur.

Qui hactenus titulo Regaliæ Beneficia noſtræ Diœceſis occupârunt, ambitionis avaritiæque ſpiritum, quo nimiùm quantùm agitantur, tam claris manifeſtíſque ſignis prodiderunt, ut omnino conjicere liceat, nullo eos timore cenſurarum percelli, quas comminati ſumus, quáſque actualiter incurrerant, licèt nimiâ forſan conniveniâ unicum pro excommunicato hactenus denuntiaverimus. Et tamen nullum aliud remedium ſupereſt nobis, quo hunc malorum torrentem ſiſtamus impediamúſque, ne paucorum exempla in plurium

Digitized by Google

plurium perniciem tranſeant, irreparabili Diœceſis noſtræ damno, quàm ut has pœnas extendamus, iiſque etiam applicemus, qui conſilio, auxilio, aut alio quovis modo introducendæ in hanc noſtram Diœceſin Regaliæ auctores fuerint, tantóque magis ad hoc agendum conſtringimur, quòd in hac cauſa non alias partes vendicemus, quàm ut exequamur Decreta Eccleſiæ, ídque in materia, quam ad cognitionem & poteſtatem noſtram pertinere nemo inficiabitur; quippe cùm in illa non de proventibus tantùm Eccleſiæ, verùm etiam de collationibus Beneficiorum agatur, utique ſunt res ſpirituales meréque Eccleſiaſticæ: & verò pollicemur nobis, eos, qui privatis lucris minùs cæcè obſtinatéque adhærent, facilè conſtitutionibus noſtris obtemperaturos, nec ſacræ Juriſdictionis declinandæ causâ fallaci vanóque effugio profanos Magiſtratus appellaturos, id quod in cauſis, quæ connexionem aliquam cum civilibus habent, ſæpè multúmque evenit.

Erunt fortaſſe etiam, qui, cùm Cenſuras à nobis latas incurrerint, ſuperiorem auctoritatem, à qua abſolvantur, appellabunt: verùm cùm notorium ſit, vanum hunc eſſe irritúmque recurſum, nihil aliud agent, quàm ut contumaciam ſuam, Legúmque Eccleſiaſticarum contemptum magis magíſque conteſtentur. Et præſertim cùm nihil aliud agamus, quàm ut quamplura cum Generalia, tum Provincialia, & in Gallijs recepta Concilia exequamur, non poteſt hæc præſens noſtra Conſtitutio niſi ab illis violari, qui totius Eccleſiæ auctoritati unà adverſantur: nec eſt alia poteſtas, præter Pontificiam, quæ hujus cauſæ cognitionem pro eo ſtatu, in quo verſatur, arrogare ſibi poſſit.

Multò minùs eo prætexu Cenſuras à nobis latas declinare poterunt, quòd non omnes ſolemnitates adhiberi aliàs ſolitæ obſervatæ in præſenti negotio fuerint; quis enim neſciat,

 accidentia,

Digitized by Google

accidentia, quæ abeſſe poſſunt, ſubſtantiæ poſtponi oportere? neque tunc ſolemnitates neceſſarias eſſe, quando ſunt impoſſibiles, id quod in præſenti cauſa manifeſtè contingit; nemo enim ignorat, aliquos de Clericis noſtris, qui Decreta à nobis edita inſinuare & promulgare ſunt auſi, injurijs affectos, intentatíſque carceribus abſterritos eſſe.

Perſuademus ergo nobis, neminem fore tam ſui pietatíſque ac religionis immemorem, qui, ut Clericis gratificetur dignitatum quæſtúſque avidis, tam gravibus magníſque malis (qualia ſunt, quæ ex Cenſuris, præſertim Excommunicatione, proveniunt) implicare ſe velit, tantúmque abfuturum, ut animæ, DEI, ſuæque ſalutis amantes ſocietate eorum, qui anathemate percuſſi ſunt, infici ſe patiantur, ut potiùs magno ſui merito hanc occaſionem, ſuam erga Eccleſiam obedientiam fidelitatémque conteſtandi, amplexuri ſint, devitando videlicet obduratos illos, & ab Eccleſiæ Communione ſeparatos peccatores. Quòd ſi aliqui ſint, qui, ne levi aliquo emolumento ſe privent, aut humanis reſpectibus obnuntient, malint Eccleſiæ Decretis adverſari, ij planè, ſi in laqueos diaboli incidant, animæque naufragium patiantur, ſibi ipſis culpam, non alijs adſcribent.

Nos enim quod attinet, Deum toto cordis affectu enixéque precamur, ut in omnes Diœceſis noſtræ fideles miſericordiæ & benignitatis ſuæ fontes effluere faciat, flagella verò juſtitiæ & iracundiæ ſuæ clementer avertat. Nec enim in hac cauſa, DEO teſte, alium nobis finem propoſuimus, quàm ut obligationi reſponderemus, quam nobis Officium noſtrum imponit, útque pro virili noſtra parte Eccleſiæ noſtræ libertatem ac jura tueremur, omniúmque fidelium curæ noſtræ ſubditorum ſaluti caveremus: eorum etiam, quorum corpora vibratâ Excommunicatione *poteſtati Sathanæ tradidimus,*

Digitized by Google

dimus, ut eorum corpora in die Domini ſalva ſiant. Quòd ſi aliqui ſint, qui Eccleſiæ pœnis abuti, quàm corrigi malint, remedia ijs curandis à me adhibita in fomenta potiùs contumaciæ convertant, id quidem maximo dolori nobis erit, quippe cùm id Divinæ iracundiæ, quam in hujuſmodi obduratos peccatores exercere etiam in hoc mundo ſolet, præcipuum argumentum ſit; illud ſaltem conſolabitur nos, quòd videlicet omnes partes miniſterij noſtri expleverimus, omníque metu liberati ſimus eas pœnas incurrendi, quas alioquin timidis otioſíſque Paſtoribus Propheta intentat; quódque Decretis Eccleſiæ obtemperaverimus, ut arma ſpiritualia pro Eccleſiæ juribus defendendis ſtringamus, nobis imperantis.

Has igitur aliáſque ob cauſas poſt invocatam Spiritûs Sancti gratiam, póſtque audita conſilia virorum, doctrinâ & virtute præſtantium, ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrendæ, omnibus cujuſcumque ſtatûs ac dignitatis hominibus diſtrictè injungimus, ne pro ſe, aut pro alijs Prioratus, Canonicatus, Præbendas, aut alia quæcumque Diœceſis noſtræ Beneficia titulo Regaliæ petant, neque eorum poſſeſſionem capiant, aut ſi aliqua impetrârunt, ne eorum fructus ſibi vendicare, aut functiones exercere præſumant. Prohibemus etiam æquè ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrendæ omnibus cujuſcunque ſtatûs ac conditionis hominibus, ne ſub quovis Procuratoris, Commiſſarij, Conductoris, aut alio nomine titulóque Regaliæ proventus Epiſcopatûs, ſeu Capituli noſtri, aut aliorum Beneficiorum Diœceſis Appamienſis, ſive in parata pecunia, ſive in alijs rebus pretio æſtimabilibus percipere audeant. Prohibemus denique omnibus & ſingulis ſub pœna Excommunicationis, ne ad percipiendos diſtribuendóſve proventus noſtros, aut obtinenda Beneficia noſtræ Diœceſis titulo Regaliæ, exer-

cendáſque eorum functiones, aut alium actum edendum, qui Regaliæ in hanc Diœceſin introducendæ ſervire poſſit; ne, inquam, ad hæc omnia, aut iſtorum aliquid auxilio, aut conſilio quovis modo concurrant. Quin potiùs omnes Diœceſanos, ac præſertim Eccleſiaſticos exhortamur, ut omni, quâ poſſunt, honeſtâ ratione, ac modo, ſe Regaliam ejúſque extenſionem averſari, ac improbare conteſtentur. Quia verò Adverſariorum potentia in hac præſenti alijſque Conſtitutionibus noſtris promulgandis non permittit omnes, alioqui neceſſarias, ſolemnitates obſervari, ideò declaramus, eas hoc ipſo, quòd à nobis publicatæ, & ad valvas Eccleſiarum affixæ fuerint, pro ſufficienter promulgatis & publicatis habendas eſſe, nóſque ſine alijs citationibus, monitionibus, aut inſinuationibus præcedentibus ad pœnas, Cenſuras, & Excommunicationes proceſſuros, quarum etiam abſolutionem nobis reſervamus, nec permittimus, ut ab his Cenſuris abſolvere poſſint, quibus alioqui facultatem generalem dedimus à caſibus reſervatis abſolvendi. Pronuntiatæ Appamijs Clero præſente 31. Mart. 1680.

Franciſcus Epiſcopus Appamienſis.

Documentum XXXVII.

Quartum Breve Sanctiſſimi D. N. INNOCENTIJ ad Illuſtriſſimum Epiſcopum Appamienſem.

Die 17. Julij, Anno 1680.

VEnerabilis Frater, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Quod plurimorum ſermone Noſtris auribus dudum inſonat, Fraternitatis tuæ ad Nos litteræ

planè

Digitized by Google

planè declarant, Te ſcilicet in tribulationibus gloriantem, & inter affectæ valetudinis incommoda, inter paupertatis & vexationum anguſtias creſcentem quotidie magis in charitate Chriſti, magno fortíque animo illius cauſam agere, pergratum DEO hominibúſque ſpectaculum exhibere. Magnum profectò ex tantæ virtutis experimento dolori Noſtro ſolatium cepimus, & pari obligationis nexu obſtringimur, tendendi ſupplices in cœlum manus, ut uberes profiteamur miſericordiarum Patri gratias, quòd difficilimo tempore ſuſcitaverit ſibi in iſto Regno Sacerdotem fidelem, qui in communi animorum conſternatione & ſilentio, quaſi tubam exaltet vocem ſuam, & opponat murum pro domo Iſraël. Documentum illuſtre cæteris, quos Dominus poſuit regere Eccleſiam, quam acquiſivit ſanguine ſuo, quàm præclara, quàm gaudij plena res ſit, dignos haberi, qui pro JESU Chriſti nomine contumeliam patiantur: ſi contumelia dicenda eſt, ex qua vera & ſolida in hac quoque mortali vita oritur gloria, judicio ſapientum. Nos quidem, quantum ſitum in Nobis erit, nullo loco deerimus virtuti tuæ: quamquam etſi deeſſent omnes, pro explorato tamen habemus Deum cauſæ ſuæ, neceſſitati Eccleſiæ, conſtanti tuæ in ipſum fidei, aſſiduis & accuratis precibus Noſtris, bonorum denique omnium votis non defuturum. Statueramus efficax remedium adhibere ijs, quæ Archiepiſcopus Tholoſanus contra Lugdunenſis Concilij ſanctionem, & contra Appamienſis Eccleſiæ, vel potius Provinciæ Tholoſanæ jura libertatémque attentare auſus fuit: ſed redditis Chriſtianiſſimi Regis litteris, in quibus ad ultimas Noſtras cum conſueta filialis obſervantiæ ſignificatione reſpondens, ſe injunxiſſe ſignificat dilecto filio Noſtro Cardinali d'Eſtrées, ut expedito itinere ad urbem proficiſcatur, regiam Nobis mentem ſuper negotio Regaliæ declaraturus:

operæ

Digitized by Google

operæ pretium duximus eidem remedio ſuperſedere, dum Cardinalis adveniat. Nobis enim perſuademus, Regem quoque ipſum interim curaturum, ut omnia in locum priſtinum reponantur. Quod ſi ſecus accidat, & præfatus Archiepiſcopus, ab eóque cauſam habentes pergant in te tuiſque Canonicis, aliiſque Eccleſiæ tuæ Beneficiariis vexandis, prætextu juris Metropolitici, tuæ Paſtoralis ſolicitudinis, & ſpectatæ conſtantiæ partes erunt, Te, tuámque Eccleſiam adverſus eorum attentata, ſacrorum Canonum, & Conſtitutionum Apoſtolicarum ope armiſque defendere. Ad Nos enim quod pertinet, omne tibi à Pontificia authoritate, & à paterna charitate Noſtra præſidium polliceri debes. Tibique Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 17. Julij 1680. Pontificatûs Noſtri anno quarto.

Marius Spinula.

Documentum XXXVIII.

Primum Breve Sanctiſſimi D. N. Innocentij XI. ad Regem Chriſtianiſſimum.

Die 12. Mart. Anno 1687.

INNOCENTIUS PP. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Jam pridem inaudivimus, non deeſſe Majeſtati Tuæ Conſiliarios & adminiſtros, qui Tibi perſuadere niterentur, ut uſum illum antiquum Cuſtodiæ fructuum vacantium Eccleſiarum, quod Regaliam vocant,

vocant, ad eas quoque Regni Tui Eccleſias extenderes, quas illi juri obnoxias nunquam fuiſſe, ex ipſis Fiſci Regij Tabularijs liquidò conſtet. Sed nos memoriâ repetentes, omnem ea de re controverſiam communi olim Eccleſiæ Catholicæ conſenſu, & benignâ Sedis Apoſtolicæ indulgentiâ, providè ſapientérque compoſitam fuiſſe in Concilio Lugdunenſi Generali, minimè ad credendum adduci poteramus, Majeſtatem Tuam conſilijs hujuſmodi aures præbituram aliquando eſſe: multo minùs admoturam operi manum, invitâ Synodo, tantæ apud omnem Eccleſiam auctoritatis, & reclamantibus Conſtitutionibus, & exemplis Regum majorum, qui Conſtitutionem in eadem Synodo ad regias preces, regijs Legatis præſentibus, in ipſa Gallia, & totâ Gallicâ gente efflagitante ſancitam, per integrum quatuor ferme ſæculorum ſpatium, certatim probârunt obſervaruntque, & præcipuo in honore habuerunt. Nec veriſimile videbatur, Majeſtatem Tuam, poſtquam tantum Sibi apud Deum meriti, & apud homines gloriæ, eximijs pro Religione Catholicâ rebus geſtis comparavit, ut nullius Majorum Suorum Regum clariſſimorum memoriæ invidere poſſet, velle rem aggredi, quæ nullâ urgente neceſſitate, vel æquitate ſuadente, magnum eſſet quamplurimis Galliæ Epiſcopis, eorúmque Clero incommodum, & juſtum dolorem allatura, non ſine gravi Catholicorum omnium ſenſu, qui in Francorum Annalibus, & in Sacrorum Canonum ſtatutis animadvertunt, quantum id veteri conſuetudini, & Eccleſiaſticæ libertatis ac diſcipinæ rationibus adverſetur. Unde pleríque, tum veteres, tum recentes Galliæ ſcriptores, quantumvis Majeſtati Tuæ, & imperio ſubeſſent, & auctoritati magnitudiníque impenſiùs ſtuderent, in eos, qui præfatam Regaliæ extenſionem ſuadere auſi fuerant, tanquam in malæ perditæque cauſæ patronos, & favorem

aulæ captantes, liberâ indignatione invecti, ſtylum ſubinde ſtrinxerunt. Nullus verò Galliæ Regum, vel tentare id voluit, vel tentatum id exequi ſuſtinuit, memor à ſapiente præclarè præcipi: *Ne tranſiliamus terminos, quos poſuerunt Patres noſtri.*

Illud prætereà nos ejus periculi metu curáque liberabat; quòd, cùm Majeſtas Tua, non multis abhinc annis, ſanctæ Sedis Apoſtolicæ liberalitate aucta, ornatáque ſit penè ſupra votum, indultis ampliſſimis, præter ea, quibus jam Reges Majores Tui ejuſdem Sedis benignitate gaudebant, nominandi ad Beneficia Eccleſiaſtica, non putaviſſemus Te ſanctiſſimi ſapientiſſimíque olim Galliæ Regis exemplo, cogitare de novis ineundis rationibus regiæ in ſacros reditus auctoritatis amplificandæ. Sed ubi allatæ fuêre ad Nos bonæ memoriæ Nicolai Epiſcopi Alectenſis litteræ, quibus poſt debitas religioſi in hanc ſanctam Sedem obſequij, & filialis obſervantiæ ſignificationes, ad Nos querelas, quas propè moriens poſteà renovavit, ob Regaliæ uſum in ſuam Diœceſin, quæ ab eo libera ſemper fuit, nuper invectum deferebat, unáque appellationem à ſententia Metropolitani Narbonenſis; deinde verò edocti ſumus, idem Appamienſi Eccleſiæ contigiſſe pariter liberæ; tandem vidimus Ipſi regium Majeſtatis Tuæ Decretum, quo omnes Eccleſiæ Gallici Regni, hujuſmodi oneri jubebantur aſſueſcere, mirati vehementer ſumus Conſtitutionum Apoſtolicarum, & Generalium Conciliorum decretis, ac tam rectâ compertáque apud omnes veritate & juſtitiâ, potiores fuiſſe illorum conatus, qui terrena potiùs, & caduca, quàm cœleſtia & æterna reſpicientes, dum Majeſtatis Tuæ gratiam, potentiam amplificando, aucupantur, moleſtiſſimos Tibi, & valde periculoſos conſcientiæ terrores, quod Deus avertat, in id tempus præparant, cùm in diſtricto Dei judicio

judicio mortales omnes, quocúnque tandem potentiæ & dignitatis loco ſint, diligentem reddere debeant omnis anteactæ vitæ rationem.

Nos itaque pro noſtra non minùs erga æternam, quæ magnæ nobis curæ eſt & eſſe debet, Majeſtatis Tuæ ſalutem, quam erga inclitum Clerum, & religioſiſſimos Galliæ Præſules, imò erga univerſalem Eccleſiam, cujus in hoc negotio procul dubio cauſa agitur, Paternâ charitate ſeriò admonendum Te, & vehementer hortandum obſecrandúmque judicavimus, ut à tam injuſtis, & perniciofis ejuſmodi conſilijs animum abducas; præfatis Alectenſi & Appamiarum, cæteríſque regni Tui Eccleſijs, quæ uſui Regaliæ huc uſque obnoxiæ non fuêre, ſuas libertates atque immunitates ſartas tectas relinquas, nec eas de cætero ullo modo labefactari ſinas: ſed quidquid in contrarium hactenus actum tentatúmque eſt, repares, & in priſtinum ſtatum reſtitui cures; néve cœleſtis beneficentiæ fontem, quem ſubditæ Tibi gentes, pietatis imprimis juſtitiæque merito, ſicuti credere nos juvat, expertæ huc uſque ſunt, ſecus nunc agendo, & Dei, per quem regnas, Eccleſiam tam graviter lædendo, obſtruas; qui ſcias hujus quoque vitæ bona, & regnorum felicitatem & incrementa, à Divina bonitate unicè dari, expectandáque eſſe; ſicuti innumera omnium gentium, & temporum exempla teſtantur.

Nos ſanè hos animi noſtri ſenſus in ſinu tacitos continere non patitur, vel noſtri paſtoralis officii ratio, cui ſolicitudo omnium Eccleſiarum incumbit; vel juſtitiæ debitum, quo omnibus ad hanc ſanctam Sedem ex veteri juſtóque more, quem à nulla humana poteſtate impediri fas eſt, recurrentibus, jus reddere, conſilium, opem, ac paternum patrocinium præſtare jubemur; vel denique neceſſitas occurrendi ſcan-

dalo, quo Chriſtiani latè populi ad tantæ exitum rei converſi, afficerentur, ſi à laicali poteſtate, Eccleſiæ, eorúmque Antiſtites, & Miniſtri, ſuis libertatibus atque immunitatibus, earúmque uſu & antiquâ poſſeſſione, contra generalium Conciliorum decreta, & veterem inconcuſſámque obſervantiam, ſpoliarentur; non alio prætextu, quàm novæ atque inauditæ opinionis nullo jure nixæ, cui nonnulli poſteà acceſſerunt, non quòd aliquid novi invenerint, quod rei veritatem tam apertam poſſet in dubium revocare; ſed ut rem ſuam agerent, nihil ſoliciti, ſi publicam perderent.

Speramus Majeſtatem Tuam, cauſæ juſtitiâ, & æquitate cognitâ, quæ patet ipſa per ſe, Paternæ cohortationi ac precibus noſtris, pro ſpectata animi Tui pietate & ſapientia, perpetuáque in hanc Sedem obſervantiâ auſcultaturam; nóſque curâ non minùs moleſtâ quàm neceſſariâ, inter tot alias, quibus circumdamur, liberaturum. Sanè ſi aliter ſuadentium conſilia Majeſtas Tua paulò attentiùs excuſſerit, facilè intelliget, homines gratiæ & fortunæ inhiantes, obtentu Regiæ poteſtatis, ſuam firmare velle; neque tam eſſe amplitudinis Tuæ cupidos, quàm laudis inimicos, cùm authores Tibi ſint, ut qui longinquis non ita pridem expeditionibus, & ad omnem poſteritatis memoriam illuſtribus, Chriſtianæ Reipublicæ ſalutem tueri, & Religionem amplificare tantopere ſtuduiſti in alienis terris, nunc à Te ipſo quodammodo abiens, Eccleſiæ libertatem, authoritatemque in Tuis imminutam velis. Quaſi verò facilè Tibi perſuaderi poſſe confidant, æquum eſſe, vel fieri poſſe, ut nobilitetur & creſcat ex Eccleſiæ ruinis Imperium, quod religioſiſſimi fortiſſimíque Reges Majores Tui, mirifico in eandem Eccleſiam ſtudio, & pari in Apoſtolicam Sedem pietate imprimis partum, Tibi eorum veſtigijs ſtrenuè inſiſtenti, ampliſſimum

reli-

reliquerunt. Tu Reges eos, Fili chariſſime, vel potiùs Te ipſum imitare, & eorum Tuáque præclara facta ſæpe in mentem revoca.

Nos quidem obliviſci non poſſumus Prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices, qui ſimilibus de cauſis graves ac diuturnas pati ærumnas, & immanes contentionum & periculorum procellas, in eo confiſi, qui mari ventíſque imperat, invicto animo ſubire non dubitârunt. Hæc ad Majeſtatem Tuam inviti ſcribimus, qui in lætiori argumento verſari magnoperè cuperemus. Sed poſtquam Apoſtolicæ ſervitutis onus ſubeundo Divinæ voluntati paruimus, liberum jam Nobis non eſt exequi Noſtram, quæ Tuæ obſecundare quacumque in re vellet, ſicut in pluribus, quas nobis ratio temporum & publicæ pacis ſtudium hactenus indulgere permiſit, cognoſcere potuiſti. Significavimus hæc ipſa Oratori Majeſtatis Tuæ Nobili Viro Duci d'Eſtrées, ut ad Te pluribus referret, itidémque Venerabili Fratri, & Archiepiſcopo Adrianopolis Nuntio apud Te noſtro; quem ut de tota re differentem, diligenter & benignè, pro more Tuo velis audire, vehementer à Te petimus, ac Majeſtati Tuæ Apoſtolicam benedictionem impertimur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 12. Martij 1678. Pontificatûs Noſtri anno ſecundo.

Marius Spinula.

Digitized by Google

Documentum XXXIX.

Secundum Breve Sanctiſſimi D. N. INNOCENTIJ Papæ XI. ad Regem Chriſtianiſſimum.

Die 21. Sept. 1678.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Ludovico Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

INNOCENTIUS PP. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Ex litteris, quibus Majeſtas Tua ad noſtras quintâ Aprilis datas reſpondit, & ex ijs quæ ad Nos retulit venerabilis frater Archiepiſcopus Adrianopolitanus, eò rem adductam videmus, ut Nos vel officio noſtro deeſſe, retinendo verbum in tempore ſalutis, vel Tibi fortaſſe moleſtiæ eſſe cogamur. Sed dabis, Chariſſime Fili, paſtoralis officij debito, dabis paternæ ſolicitudini atque amori in Te noſtro, ſi Te malè conſulentium culpâ, in ſummo æternæ ſalutis periculo conſtitutum videntes, opportunè importunè inſtamus & obſecramus, elatâ voce clamantes, ut è tam præcipiti loco pedem referas. Duo inprimis Tibi pro veris atque indubitatis affirmari cognovimus ex Tuis litteris. Primum quidem Regaliæ jus (uti nuncupant) in Eccleſias Galliæ univerſas Majeſtati Tuæ competere, tanquam Regiæ coronæ inſitum, & innatum: deinde clariſſimos Reges Majores Tuos jus illud, & exercuiſſe dum viverent, & ad Te morientes hæreditario ordine tranſmiſiſſe: quibus à Te creditis, minimè miramur, ſi ad ea progreſſus fuiſti, quæ talium principiorum conſentanea erant. Veruntamen

tamen illa tam aliena à vero ſunt, ut nihil magis. Nemo enim ſanæ mentis & doctrinæ auſit in dubium revocare, nullum ſæculari poteſtati in res ſacras jus eſſe, niſi quatenus Eccleſiæ indulſit authoritas. Hæc autem non ſolùm Galliæ Regibus non indulſit, ut Regaliam prædictam extenderent ad Eccleſias illi oneri non aſſuetas, ſed etiam id fieri apertè vetuit in Generali Concilio Lugdunenſi, quod Gallia imprimis veneratur, ac ſanctum habet. Reges verò prædeceſſores Tuos quotquot fuere, ejuſdem Concilij diſpoſitionem religiosè ſemper & per quadringentorum ferme annorum ſpatium cuſtodiviſſe, & ſi quis eorum de illa infringenda cogitavit, re melius penſatâ, ab incepto deſtitiſſe, audimus in confeſſo eſſe apud omnes Scriptores præſertim Gallos, & Regia ipſa Tabularia ad oculum demonſtrare. Quamobrem pati non poſſumus nec debemus, Majeſtati Tuæ obtrudi errorem tam manifeſtum, tam conſcientiæ Tuæ, tam Galliæ Regno, tam Eccleſiæ univerſæ pernicioſum. Semel enim admiſſo, licere Majeſtati Tuæ adversùs Generalis Concilij Lugdunenſis decreta, adversùs Regum Majorum Tuorum exempla, adversùs ipſam rerum ſacrarum naturam & primigeniam Eccleſiarum libertatem, invehere jus Regaliæ in eas quoque Eccleſias, quæ hujuſmodi oneri obnoxiæ numquam fuêre, idque palàm diſſentiente & reclamante, & ineluctabilem cœleſtis iræ animadverſionem multis cum lacrymis denuntiante Romano Pontifice, ad quem ſicut vetus conſuetudo poſcebat, nonnulli Galliæ Epiſcopi à Metropolitanorum ſententijs appellârunt: nemo non videt, quæ inde Eccleſiæ Catholicæ deformatio ac ruina, quæ ſacrarum ac profanarum rerum confuſio, ſublato quodammodo inter ſpiritualem ac ſecularem poteſtatem pariete medio, ſit conſecutura, non in Gallia ſolùm, ſed in omnibus alijs Chriſtiani orbis provincijs,

Digitized by Google

provincijs, manante in dies latiùs exempli authoritate. Accedet ad hæc (niſi error tam abſurdus ac tam certus corrigatur) gravis jactura, & periculum animarum in iſto Regno. Illi enim, quos Majeſtas Tua vacantium Eccleſiarum fructibus augebit, in quibus Eccleſijs jus illud locum non habet, cum progreſſu temporis vel monitu Sacerdotum, quibus arcana conſcientiæ ſuæ detegunt, vel etiam ipſi per ſe (ut in re clara & aperta) viderint, in quos ſe laqueos induerint, & in quod animam ſuam perditionis æternæ diſcrimen adduxerint, tot cenſuris, adeóque tot ſacrilegijs obſtricti, tot illicitè perceptis bonis Eccleſiæ, quæ reſtituere cogantur, incredibile dictu eſt, quâ animi perturbatione, quibus conſcientiæ terroribus agentur, Regiam beneficentiam Tuam magni infortunij loco habituri. Quorum profectò malorum & diſcriminum culpam (niſi providè arceantur) Majeſtas Tua haud dubiè in diſtricto Dei judicio ſuſtineret. Vehementer itaque Majeſtatem Tuam rogamus, ut pro eximiâ animi Tui æquitate & ſapientia, rem ſeriò perpendas, ac ſi innumeris ampliſſimi Regni Tui negotijs impediris, quominus eam per te cognoſcas, viros aliquos, non tam doctrinâ, (quæ non adeò magna requiritur ad hujus cauſæ cognitionem) quàm pietate fidéque præſtantes conſulas: vel, ſi placet, evolvas Acta ipſa Cleri Gallicani nuper impreſſa, quæ Tibi rei veritatem luculenter aperient. Quâ cognitâ, minimè dubitamus, quin Majeſtas Tua illico declaret, nihil ſibi majori curæ eſſe, quàm reddi Deo quæ Dei ſunt, à quo tantas opes, tam ſplendidum ampliúmque Regnum, & omni Regno potiora tot præclara animi corporíſque bona accepiſti. Longiùs fortaſſe quàm patitur vel evidens cauſæ juſtitia, vel egregia virtus Tua, in hoc argumento immoramur. Verùm non ut confundamus Te, hæc ſcribimus, ſed tanquam Filium Chariſſimum monemus.

Digitized by Google

mus, animo reputantes, nihil prodeſſe homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur. Speramus, Chariſſime Fili, opus non fore, ut novis eximiam Religionem æquitatémque Tuam precibus in hoc negotio interpellemus. Ea cæteróquin eſt rei magnitudo, in qua non Gallicanæ ſolùm, ſed totius Eccleſiæ dignitas ſalúſque vertitur, ut pro Apoſtolici officij noſtri munere, extrema potiùs pati omnia, quàm cauſam iſtam negligenter agere debeamus. Reliqua ſuper hoc argumento accipies à præfato Nuntio noſtro, ac Tibi Apoſtolicam benedictionem perpetuo cum felicitatis Tuæ voto conjunctam amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 21. Septembris 1678. Pontificatûs Noſtri anno tertio, miſſum verò die quartâ Januarij 1679.

Marius Spinula.

Documentum XL.

Tertium Breve Sanctiſſimi D. N. INNOCENTIJ Papæ XI. ad Regem Chriſtianiſſimum.

Die 29. Decemb. Anno 1679.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro Ludovico Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

INNOCENTIUS XI. PP.

CHariſſime in Chriſto Fili noſter, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Binis jam litteris fusè & luculenter oſtendimus Majeſtati Tuæ, etiam ex concordi

omnium ferè Galliæ Scriptorum teſtimonio, & ex ipſis Regij Tabularij Tui actis, quàm eſſet Eccleſiaſticæ libertati injurioſum, omni humano divinóque juri contrarium, & alienum à perpetuo Regum Majorum Tuorum more & exemplo, editum ſeptem ab hinc annis à Te Decretum, quo conſuetudinem illam cuſtodiendi fructus vacantium Eccleſiarum, quam Regaliam nuncupant, ad eas quoque Eccleſias extendi jubes, quæ ejuſmodi oneri obnoxiæ nunquam fuêre. In quibus litteris vehementer à Te, pro paſtoralis officij noſtri debito, & pro paternâ quam gerimus æternæ ſalutis Tuæ curâ, efflagitavimus, ut decretum ipſum, & alia deinceps acta adversùs jura & libertates Eccleſiarum, abrogari aboleríque mandares. Et ſanè illud eſt cauſæ ipſius meritum, ea de Regij animi Tui æquitate & magnitudine opinio noſtra, ut certâ ſpe duceremur, Majeſtatem Tuam, omnibus in locum priſtinum quamprimum repoſitis, cor noſtrum ab ulteriori tantæ rei ſolicitudine, tot alijs in Catholicæ Eccleſiæ procuratione diſtrictum, liberaturam. Verùm poſt plurium menſium ſpatium, quod longanimitati noſtræ probandæ ab ultimis litteris effluxit, nullum adhuc neque ad eas reſponſum, neque ex his fructum videmus: quin etiam plurimorum litteris & ſermone pro comperto affertur, omnia deteriore loco in dies eſſe, & prætextu Regaliæ ejuſmodi, Beneficiorum collationes, & canonicas inſtitutiones impediri, Epiſcoporum auctoritatem peſſumdari, Eccleſiaſticam diſciplinam ordinémque turbari, novam denique praxim veteri Eccleſiæ praxi & divinæ inſtitutioni contrariam, invehi à ſæculari poteſtate; neque ea clam & timidè fieri, ſed palàm & manu Regiâ. Non repetimus hoc loco (ne actum agamus) quot inde ſcandala & querelæ, quot in Clerum incommoda naſcantur, quod Eccleſiæ univerſæ à

tali

Digitized by Google

tali exemplo periculum, quæ tempeſtas immineat, quæ nomini atque honori Tuo macula, quæ conſcientiæ labes incurratur. Satis enim ea in ſuperioribus litteris indicavimus: ſatis patent ipſa per ſe. Non patitur tamen ſincera & planè paterna erga Te, Regnúmque iſtud ampliſſimum, charitas noſtra, Nos in tanta Divini honoris injuria, in tam gravi Tui ipſius periculo adhuc ſilere. Sed cogimur iterum intimo cordis affectu, & in viſceribus JESU Chriſti, rogare obſecraréque Majeſtatem Tuam, ut memor ejuſdem Chriſti verborum ad Eccleſiæ Præpoſitos: *Qui vos audit, me audit.* Nos potiùs, qui parentis, & quidem amantiſſimi loco ſumus, audire velis, vera & ſalutaria ſuadentes, quàm filios diffidentiæ, qui terrena tantùm ſapiunt, quíque conſilijs in ſpeciem utilibus, ſed reverâ pernicioſis, inclyti iſtius Regni fundamenta, in rerum ſacrarum reverentia, & in Eccleſiæ auctoritate juribúſque tuendis poſita, convellunt. Qui quidem ſi ij eſſe vellent, quos eſſe ipſorum dignitas & officium, Tuáque ſingularis in eos benignitas poſtulat, imitari potiùs deberent integritatem fidémque eorum, quos olim pari loco poſitos, memoriæ proditum eſt, & in Gallicani Cleri nuper acta relatum, liberâ aliquandò voce in ſimili cauſa monuiſſe Reges Prædeceſſores Tuos; meminiſſent, quid, & quâ Religione, ubi Regni gubernacula ſuſcepturi ſacro chriſmate inungerentur, polliciti DEO fuiſſent, ſe videlicet Divinæ ejus gloriæ, omni ope & ſtudio, inſervituros, & pro Eccleſiæ ſuæ ſanctæ juribus & libertate aſſerenda, paratos fore ſemper ſanguinem ipſum vitámque profundere; conſiderent fluxam & fugacem eſſe mortalium vitam, Regum præſertim & Principum, qui ubi ad diſtrictum DEI judicium vocarentur, illuc accederent ſine cuſtodibus, ſine comitatu, ſine ullis Regiæ dignitatis inſignibus, vel potentiæ præſidijs, nudi atque inermes,

Digitized by Google

mes, reddituri omnis anteactæ vitæ rationem judici ſcrutatori cordium, quem nulla res latet, apud quem non eſt acceptio perſonarum, qui poteſtatem habet mittere in gehennam, ubi potentes potenter tormenta patientur. Nec ſuperiori ſæculo defuit in Gallia Epiſcopus, qui in frequenti aliorum Præſulum Aulæque Procerum coronâ, apud Henricum Regem hujus nominis tertium, Cleri Gallicani cauſam in re non abſimili orans, Regi dixerit: obſervatum fuiſſe, nunquam Regias in Gallia defeciſſe ſtirpes, niſi ubi Reges indebitas ad Beneficia nominationes arrogare ſibi cæpiſſent, à quibus ſanctus Ludovicus Rex Chriſtianæ humilitatis gloriâ, quàm Regiæ dignitatis culmine ſublimior, uſque adeò abhorruiſſet, ut ultro etiam Pontificiâ auctoritate ſibi delatas rejecerit. Fuit hæc quondam, fuit in Gallia, imò ad hæc noſtra tempora ſtrenuè retenta eſt, penes Epiſcopalem Ordinem Apoſtolica loquendi libertas, nihil metuens, nihil ſperans niſi à Deo: neque id ſolùm per Reges licuit, ſed ita Epiſcoporum monita ſemper accepta ſunt, ut Epiſcopi ipſi & ſibi meritam laudem, & cauſæ optatum exitum ſint conſecuti, manſerítque propterea inviolata tam diù atque inconcuſſa ſanctio Oecumenici Concilij Lugdunenſis: adeò ut nonnulli Galliæ Reges, impios ac ſacrilegos publico decreto eos appellaverint, quicumque Regaliam ad Eccleſias ei non aſſuetas extendere aliquâ ratione tentarent, ſicuti in veſtris Annalibus traditum reperitur. Hæc autem temporis præſentis infirmitas eò acerbior nobis accidit, quòd ſcimus, Majeſtatem Tuam nihil ducere inter Regij animi ornamenta præſtantius, zelo juſtitiæ & ſtudio divini honoris, pro quo tam pia, tam ſalubria decreta nuper edidiſti, ac tam multa, tanta cum nominis tui laude, & bonorum omnium lætitia, in præſens agis, deſtruendo Synagogas & Azylos Hæreticorum;

Digitized by Google

rum; ut Tibi non minora in cœlo ſtatuere videaris conſervatæ propagatæque Religionis trophæa, quàm in terris relicturum ſperamus devictarum gentium barbararum. Cavendum tamen eſt diligenter, ne quod dextera, hoc eſt, ingenita pietas Tua ædificat, deſtruat ſiniſtra, hoc eſt, callida & iniqua conſilia dicentium tenebras lucem, & lucem tenebras; cùm Apoſtolico moneamur oraculo, qui in uno delinquit, eſſe omnium reum. Non defuere hâc etiam occaſione in Gallia quidam, neque plures deeſſent ex fratribus noſtris Epiſcopis, viri fortes, divinæ legis ac libertatis Eccleſiaſticæ zelatores, qui graviſſimam hanc, & toti Franciæ Regno, imò Eccleſiæ univerſæ communem cauſam, pari conſtantiâ & ſpiritu apud Majeſtatem Tuam agerent: ſed metu quodam juſto, ut ipſis videtur, ignoſcendóque: ut nos autem judicamus, vano, & non ſolùm Epiſcopali officio, ſed etiam magnanimitati & æquitati Tuæ injurioſo, retenti ſilent, expectantes dum humilitas noſtra, à filiali Tua in hanc Sanctam Sedem obſervantia impetret, quod à Regia Tua juſtitia, Eccleſijs ſuis debitum poſcere ipſi non audent. Itaque in ijs litteris noſtris illorum omnium juſtum dolorem & preces agnoſce: quin imò DEI ipſius voluntatem, ore te noſtro alloquentis ac ſeriò monentis, ut prædictum decretum, & quidquid ejus occaſione adversùs Eccleſiæ libertatem & jura actum geſtúmque hactenus fuit, corrigi emendaríque omnino cures. Alioquin magnoperè veremur, ne ſubire aliquando debeas, quam Tibi alijs litteris denuntiavimus, cœleſtis iræ animadverſionem. Nos ſanè neque hoc negotium per litteras ampliùs urgebimus, neque deſides erimus in adhibendis remedijs, quæ traditæ nobis divinitus poteſtati competunt, quæque in tam gravi periculoſóque morbo omittere, ſine graviſſima neglecti Apoſtolici muneris culpa

Digitized by Google

non poſſemus. Neque tandem ullum inde incommodum aut periculum, nullam quantumvis ſævam átque horribilem tempeſtatem pertimeſcemus; ad hoc enim vocati ſumus: neque facimus animam noſtram pretioſiorem quàm nos; probè intelligentes, non forti ſolùm, ſed etiam læto animo ſubeundas tribulationes propter juſtitiam, in quibus, & in Crûce Domini noſtri Jesu Chriſti nos unicè gloriari oportet. Cauſam Dei agimus, quærentes non quæ noſtra ſunt, ſed quæ JESU Chriſti. Cum eo propterea, non nobiſcum Tibi negotium erit in poſterum; cum eo ſcilicet, adversùs quem non eſt ſapientia, non eſt conſilium, non eſt potentia. Nos poſtquam miniſterij noſtri partes, plantando & rigando, ſicut oportet, impleverimus, expectabimus dum operi incrementum det Deus, à quo accuratâ prece flagitare non deſinemus, ut verbis & hortationibus hiſce noſtris, vim & robur infundat, Majeſtatis Tuæ animum ad ſalubriora flectendo, unde & tu mereri poſſis, & nos lætari, res Tuas omnes ſecundiore in dies curſu fluere, ac ſubditas imperio Tuo gentes perpetuâ atque opimâ pace florere. Tibi Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ die 29. Decembris anno 1679.

Marius Spinula.

Documen-

Documentum LXI.

Quartum Breve Sanctiſſimi D. N. Innocentij XI. ad Regem Chriſtianiſſimum.

Die 3. Martij Anno 1681.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro Ludovico Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

INNOCENTIUS PP. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Quo expectatior, eo gratior nobis accidit dilecti Filij noſtri Cardinalis d'Eſtrées in urbem adventus. Virum enim nobis merito ſuo jam pridem charum, judicium de illo Tuum, & huc proficiſcenti munus impoſitum fecit etiam chariorem. Læto itaque ac perlibenti animo eum ad nos adeuntem excepimus, & intimo paternæ charitatis ſenſu complexi ſumus. Gaudium autem hoc noſtrum non leviter cumulârunt redditæ nobis ab eo Majeſtatis Tuæ litteræ, inſignibus refertæ notis, non ſolùm eximiæ & verè filialis Tuæ erga nos, atque erga hanc Sanctam Sedem obſervantiæ, ſed etiam præclari inflammatique cujuſdam ſtudij, pietate & avitâ gloriâ digni, de Catholica Eccleſia, & de tota re Chriſtiana bene merendi, noſtróſque in ea adminiſtranda paſtorales labores & conatus ſtrenuè juvandi. Quâ quidem pij ac liberalis, & planè Regij animi Tui teſtificatione nihil evenire nobis optatius poterat, in his rerum anguſtijs, maximíſque periculis, quæ Eccleſiam Dei omni ex parte circumſtant, quæque cor noſtrum de remedio opportuno valde ſolicitum continenter excruciant; cùm Tibi, & animi Tui Religio, ac magnitudo ſuadeant ut velis, & florentiſſimæ Gallici Regni opes,

Digitized by Google

opes, & conciliata nomini Tuo apud Barbaras quoque gentes reverentia tribuant, ut poſſis, quæ liberaliter exhibes, efficaciter implere. Ab hoc tamen ſolatio, quod perpetuum & in dies uberius cuperemus, penè excidimus, ubi idem Cardinalis diſſerere nobiſcum aggreſſus eſt de negotio Regaliæ, in quo illum Regiæ Tuæ mentis interpretem apud nos fore ad noſtras litteras in exitu anni ſuperioris ad Te datas, reſcripſeras. Cùm enim & cauſæ ipſius meritum,& animi Tui æquitas,poſt interpoſita apud Majeſtatem Tuam tot officia precéſque noſtras, felicem tandem graviſſimo huic, & multis nominibus permoleſto negotio, exitum pollicerentur; nóſque hâc unâ ſpe leniremus, & longiorem ejus moram in itinere, & paterni doloris ſenſum, quo viſcera noſtra aſſiduè transfigunt voces Eccleſiarum Galliæ, Appamienſis præſertim, graviter gementium ſub novo jugo per decretum, ſeu arreſtum, quod prodijt octo ab hinc annis menſe Februario, illis impoſito; ea idem Cardinalis Tuo nomine nobis expoſuit, quæ nos ad priſtinam ſolicitudinem mærorémque revolvunt; quantum enim ex ejuſdem ſermone conjicere hactenus potuimus, non aliud videtur Mandatum habere, quàm explicandi cauſas & rationes, quibus innititur Decretum, quod diximus. Qua quidem in conſideratione hæſimus dubij, quid conſilij caperemus: ſed vicit ſenſus, & vivida vis accenſi noſtri erga Te amoris: quamvis enim ex certis & indubitatis rationibus, & documentis perſpecta nobis exploratáque ſit juſtitia cauſæ,quam tuemur,& pateat ipſa per ſe; ac propterea fieri non poſſe credamus, ut Cardinalis quicquam novi afferat, quo nos à ſententia dimoveat; cùm verum non ſit vero contrarium: convenire tamen Pontificiæ erga Te charitati noſtræ duximus, patienter excipere, quæ ille nobis exponenda habebat, ſicuti fecimus. Audivimus enim illum luculenter,

Digitized by Google

lenter, & quantum ei libuit, hac de re differentem; ſi quæ addenda prætereà habet, iterum audiemus. Sed tolle moras, Fili Chariſſime, & parentis amantiſſimi veram Tibi, ſolidámque, non fucatam & umbratilem gloriam, tum in hac mortali vita, tum in æterna, illa peroptantis verba plena ſalutis libenter audi, & quæ perperàm acta ſunt, celeriter emenda, & nos ab hac moleſtiſſima cura, & moleſtiore neceſſitate, paſtorale officium exequendi, Te verò ipſum, & & Regnum populóſque Tuos, quos omni felicitate florentes cupimus, à divinæ animadverſionis periculo liberes: cui quidem magnopere veremur, ne via quamprimum aperiatur, ſi paternis hortationibus, & juſtiſſimis poſtulatis noſtris aures diutiùs occluſeris. Facile enim fiet, ut dum nos lentâ nimis mitíque manu (quod utinam divinam non armet in nos quóque) vulnus Eccleſiæ libertati inflictum tractamus, exurgat DEUS, & judicet cauſam ſuam. Nemo eſt, qui non intelligat in hac diſceptatione ſummam rerum Eccleſiaſticarum in diſcrimen adduci. Si enim diſſimularetur diutiùs decreti, ſeu arreſti illius malum in dies magis invaleſcens, brevi profectò fieret, ut disjectis ac revulſis ubique gentium terminis, quos inter utrámque poteſtatem divinâ ordinatione poſuerunt patres noſtri, nulla relinqueretur ratio tuendæ diſciplinæ, nulla ſacerdotio reverentia, nullum Epiſcopali ordini veſtigium priſtinæ dignitatis. Notum eſt jam omnibus, & pervulgatum cauſæ illius meritum. Neque Tu, ut rei veritatem aſſequâre, neceſſe habes peregrina documenta ſcrutari, cùm ampliſſima & certiſſima domi habeas. Interroga majores Tuos, & dicent Tibi. Plura ſunt ab ijs hac de re edita, eáque Regijs tabularijs incluſa & aſſervata, quæ omnem dubitationem de medio tollúnt, accedente præſertim perpetuâ & inconcuſsâ quadringentorum annorum obſervantiâ. Stamus

Digitized by Google

mus adhuc ad oſtium & pulſamus, aperi Fili Chariſſime, aperi cordis Tui ſinum vocibus Patris Tui, qui Te aſſiduò gerit in viſceribus charitatis Chriſti, non minùs anxius de tua æterna ſalute, quam videt, & magno quidem cum animi ſui dolore, apertè periclitari, quàm de Eccleſiarum Galliæ libertate, cui ſuſtinendæ manum applicuit. Exigua ſanè ab hac Regaliæ extenſione acceſſio fieret ad Regiam Tuam authoritatem, & amplitudinem; ſed non parùm nominis Tui laudi decederet, ſi in animis hominum ſuſpicio oriretur, Te rei parùm conſonæ æquitati patrocinium Tuum præbere. Hæc paulò uberiore affectu voluimus ad Te ſcribere, ut nihil intentatum relinquamus, quod Majeſtatem Tuam poſſit ab eorum conſilijs abducere, qui præclarè ſecum, & cum rationibus ſuis actum iri putant, ſi ſumma illa conjunctiò animorum, quæ majoribus Tuis Galliæ Regibus, Regnóque ipſi, cum Prædeceſſoribus noſtris, átque Apoſtolica Sede, ſemper, & magna quidem cum utrorúmque utilitate, & Catholicæ Eccleſiæ ſingulari ſolatio, interceſſit; quámque inter nos conſervari, átque in dies magis mutuæ charitatis officijs colligari, in præſens, ſi unquam anteà, neceſſarium videtur, paulatim debilitari ac diſſolvi incipiat. Quod improbum ſanè lucrum (quantum ad nos pertinet) nunquam illi aſſequentur. Te enim, quæcunque hominum vel temporum iniquitas inciderit, intimo & conſtanti ſemper amore, (ſalvis Dei honore, & Sedis Apoſtolicæ dignitate) proſequemur. Quem interim quaſi præſentem in ſpiritu charitatis arctè complectimur, dum Majeſtati Tuæ veram in utróque homine felicitatem ab immortali Deo precamur, & Apoſtolicam benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ die 3. Martij 1681.

Marius Spinula.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Rerum notabilium, quæ in hoc Tractatu & in Appendice comprehenduntur.

Numerus primus ſignat librum. c. caput. n. numerum. p. paginam.

A.

Abbatiæ nonnullæ olim Regaliæ obnoxiæ. *Lib. I. cap. 11. num. 45.* pag. 38

Abbatias Regaliæ ſubjicere conatur *Aubert* Advocatus. *IV. c. 6. n. 1.* p. 262

Ejus confutatio. *Ib. per totum.*

Idem circa *Abbatias* tentat Pinſſonius. *Append.* p. 381

Abbatias Regaliæ non ſubjici pronuntiat Parlamentum Pariſienſe. *IV. c. 6. n. 6.* p. 265

Abuſus veteres aliquando tolerandi; at novis, ne invaleſcant, reſiſtendum. *III. c. 9. n. 5.* p. 186

Agentes Cleri Gallicani qua ratione liti Regaliæ intervenerunt. *IV. c. 13. n. 5.* p. 300

Albienſis Eccleſia Regaliæ non ſubdita. *I. c. 14. n. 1.* p. 49. *III. c. 5. n. 3.* p. 157

P. Alexander in defenſione Regaliæ potius cauſidici mercede conducti, quam Theologi veritatis ſtudioſi partes agit. *App.* p. 366. Ejus Confutatio. *Ib per totum.* p. 367

Alexander Epiſcopus Lineolnienſis ex Anglia exulat. *III. c. 14. n. 4.* p. 212

Alienari non dicuntur bona, quæ Eccleſijs à regibus donantur. *IV. c. 2. n. 4.* p. 228

Alphonſus Comes Toloſanus abuſui Regaliæ ſimili renuntiat. *I. c. 12. n. 2.* p. 43

Ambianenſis Eccleſia à Regalia immunis. *III. c. 7. n. 5.* p. 174

S. Ambroſij verba ad Theodoſium Imp. *III. c. 11. n. 2.* p. 196

S. Ambroſius edicto Valentiniani II. obſiſtit. *III. c. 14. n. 1.* p. 210

Andegavenſis Eccleſia à Regalia exempta. *III. c. 7. n. 5.* p. 174

Angliæ Reges non ſecus ac Reges Chriſtianiſſimi Regaliam exercent. *III. c. 14. n. 6.* p. 214. *App.* p. 399

Anicienſis Eccleſia quomodo à Regalia libera. *I. c. 13. n. 4.* p. 47

Anicienſis Eccleſiæ libertas defenditur. *IV. c. 5. n. 12.* p. 260

S. Anſelmus bis exulat ex Anglia ob defenſionem Eccleſiaſticæ libertatis. *III. c. 14. n. 5.* p. 213

De eodem. *IV. c. 16. n. 4.* p. 327

S. Anthelmus Bellicenſis Epiſcopus Hubertum Comitem excommunicat. *III. c. 14. n. 8.* p. 217

Antiſſiodorenſis Eccleſia à Regalia immunis. *III c. 7. n. 4.* p. 174

Aquæ ſextienſis Provincia à Regalia libera. *III. c. 6. n. 9.* p. 169

Aquitania à Regalia libera. *III. c. 6. per totum.* p. 164

Archidiaconus bonorum Eccleſiæ adminiſtrator. *I. c. 3. n. 3.* p. 7

Archidiaconus Gloſſator canonem Concilij Lugdunenſis de Regalia interpretatur. *III. c. 2. n. 8.* p. 141

Idem docet Regaliam locum habere in quibuſdam tantum Eccleſijs. *III. c. 2. n. 9.* p. 141

Arreſti

Arreſti anni 1608. Regaliam ad omnes Eccleſias extendentis defectus. *IV. c. 13. n. 1. & ſeqq.* p. 297 *App.* p. 353
Arreſta quibus Regaliæ extenſio præjudicata eſt, legitimo juris ordine lata non ſunt. *IV. c. 13. n. 17.* p. 309
Varia juris remedia adverſus Arreſta iniqua. *IV. c. 13. n. 18.* p. 310
Auberi Advocatus refutatur. *IV. c. 3. n. 1. 2. 3. & per totum.* p. 232. Quam temere & ineptè loquatur de ſacris electionibus. *Ib. n 3. 4.* p. 233
Futilis ejus argumentatio contra libertatem Eccleſiarum Occitaniæ. *IV. c. 5. n. 11.* p. 259
Aurelianenſe Concilium II. quid de Eccleſiarum vacantium bonis ſtatuerit. *I. c. 3. n. 5.* p. 8
Aurelianenſis Concilij IV. decretum cotra uſurpatores bonorum Eccleſiæ. *I. c. 3. n. 10.* p. 9
Auſcorum Provincia à Regalia libera. *III. c. 6. n. 7.* p. 168
Autoris proteſtatio. *IV. c. 16. in fin.* p. 330

B.

S. Baſilius magno animo Provinciæ gubernatori reſpondet. *III. c. 12. n. 5.* p. 302
Bartholomæus à Martyribus Eccleſiaſticam juriſdictionem tuetur. *III. c. 14. n. 9.* p. 218
Bellicenſis Eccleſia Regaliæ à Parlamento injuſtè ſuppoſita. *I. c. 19. n. 3.* p. 70
Beneficia quomodo inſtituta. *II. c. 2. n. 7.* p. 96
Beneficiorum collatio an Regaliæ pars. *I. c. 10. n. 1.* p. 33
Quando primùm uſus conferendorum ob Regaliam *Beneficiorum* incæpit. *I. c. 10. n. 2. & ſeqq.* p. 33
Beneficia quot modis vacent, ut Regaliæ ſubjiciantur. *I. c. 20. n. 4. & ſeqq.* p. 78 *II. c. 6. n. 9. & ſeqq.* p. 117
In *Beneficijs* perperam diſtinguitur ſpirituale à corporali, ut à regibus pleno jure conferri poſſint. *App.* p. 395
Beneficiorum diſtributio regibus non tam commoda, quam gravis & periculoſa. *III. c. 8. n. 8. 9.* p. 179
Beneficiorum collatio an ſit in fructu. *Vide verbo*, collatio.
Bonifacius VIII. quid Philippo Pulchro obtulerit in collationibus Beneficiorum. *II. c. 5. n. 4.* p. 109. Quid præcipuè damnaverit in collationibus Beneficiorum, quæ fiunt titulo Regaliæ. *App.* p. 396
Bonorum Eccleſiæ conditio, dignitas, uſus. *II. c. 1. n. 3.* p. 87. *IV. c. 7. n. 9.* p. 270
Bona Eccleſiæ uſurpantes damnantur. *I. c. 3. n. 5. & ſeqq.* p. 8
Franciſcus Boſquetus Monſpelienſis Epiſcopus contra extenſionem Regaliæ perorat. *I. c. 19. n. 10.* p. 74 *III. c. 4. n. 19.* p. 156. *IV. c. 13. n. 7.* p. 301 *App.* p. 348
Britannia Regaliæ non ſubdita. *III. c. 4. n. 14.* p. 154. *Ib. c. 6. n. 12.* p. 170
D. Boucherat litis Regaliæ Relator quid de Regaliæ extenſione cenſuerit. *App.* p. 348
Burdigalenſis Eccleſia Regaliæ à Parlamento injuſtè ſuppoſita. *I. c. 18. n. 8.* p. 68
Burdigalum *vide verb.* Aquitania.

C.

Canon *Adrianus* ut ſuppoſititius rejicitur. *IV. c. 4. n. 15. 16.* p. 249
Capella ſancta fructus Regaliarum ex donatione Regum olim percipiebat. *I. c. 17. n. 4. 5.* p. 60
Capitulorum partes & munia in cauſa Regaliæ. *III. c. 9. n. 7.* p. 188
Carnotenſes Canonici Eccleſiaſticam libertatem tuentur. *III. c. 11. n. 4.* p. 198
Caroli Calvi conſtitutio pro Eccleſia Remenſi. *I. c. 4. n. 11.* p. 16
Carolus Magnus ut ſe geſſit in electionibus. *IV. c. 4. n. 10. & 11.* p. 247
S. Carolus Borromæus Eccleſiaſticam juriſdictionem defendit. *III. c. 14. n. 9.* p. 218

Catalau-

Catalaunenſe Capitulum Regaliæ non ſubjacet. *App.* p. 402

Franciſcus *Caulet* Epiſcopus Appamienſis Eccleſiæ ſuæ libertatem tuetur. *III. c. 12. n. 8.* p. 205 Ejus elogium *App.* p. 357

Cauſæ Majores quomodo dijudicandæ. *IV. c. 15. n. 4.* p. 319. Sanctæ Sedi ex Concordato reſervantur. *Ib. n. 8.* p. 323

Cauſa juſtior ſæpe pauciores habet defenſores. *IV. c. 16. n. 3.* p. 327

Chalcedonenſe Concilium fructus vacantium Eccleſiarum futuro Epiſcopo reſervat. *I. c. 3. n. 1.* p. 6. *II. c. 2. n. 2. 3.* p. 92. Ejus acceptio & executio in Gallia. *Ib. n. 3. 4.* p. 93. Item in aliis provinciis. *II. c. 3. n. 2.* p. 99

Chalcedonenſe Concilium canonicas electiones probat. *IV. c. 3. n. 7.* p. 236

Renatus Choppinus docet Regaliam in aliquibus tantum Eccleſiis locum habere. *III. c. 4. n. 3.* p. 149. Rationem ex rotunditate coronæ deſumptam ad extenſionem Regaliæ probandam explodit. *IV. c. 9. n. 1.* p. 282 Optaret eſſe privilegium concedens Regi Franciæ jus conferendorum Beneficiorum titulo Regaliæ. *II. c. 4. n. 1.* p. 101. *App.* p. 373

Claramontanum ſeu Arvernenſe Concilium vetat, ne res Eccleſiæ uſurpentur. *I. c. 3. n. 9.* p. 9

Clerus Gallicanus juriſdictionem Parlamenti, aut regii conſilii quantum ad extenſionem Regaliæ non agnovit. *IV. c. 13. n. 3. 4.* p. 298.

Clodoveus nunquam ſe electionibus Epiſcoporum immiſcuit. *IV. c. 4. n. 1. 2.* p. 242

Collatio Beneficii ſumitur pro quavis diſpoſitione. *I. c. 9. n. 7.* p. 36. *IV. c. 11. n. 4.* p. 291

Collatio Beneficiorum an ſit in fructu. *I. c. 14. n. 6.* p. 51. *IV. c. 11. n. 2.* p. 289 *App.* p. 372

Collatio Beneficiorum eſt quid ſpirituale. *IV. c. 11. n. 1.* p. 289. *Ib. c. 12. n. 1.* p. 259

Collatio *pleno jure* an ex privilegio quibuſdam patronis olim competeret. *IV. c. 11. n. 3.* p. 291. An etiam hodie Regibus & aliis patronis in certis quibuſdam Beneficiis competat. *Ib. n. 7.* p. 293

Collationes Beneficiorum ob Regaliam non approbavit Concilium Lugdunenſe. *II. c. 5. per totum.* p. 106

Collationes Beneficiorum *pleno jure* ob Regaliam nunquam expreſsè approbavit Eccleſia. *IV. c. 11. n. 4.* p. 291 *App.* p. 396

Quantum differant *Collationes* pleno jure in certis quibuſdam Beneficiis, à collationibus ob Regaliam, quas Reges Chriſtianiſſimi ſibi vindicant. *IV. c. 11. n. 8.* p. 293

Collatio Beneficii, etiamſi in ipſa ordinatione non fiat, eſt quid ſpirituale. *App.* p. 394

Collationes neceſſariæ, quæ fiunt ad præſentationem patronorum, non ſunt in fructu, nec ad Regaliam ſpectare poſſunt. *I. c. 20. n. 3.* p. 77. *II. c. 7. n. 12.* p. 122 & 123. *App.* p. 401

Collationes, quæ ad Capitula ſpectant, Regaliæ non ſubjacent. *II. c. 7. n. 9.* p. 128 *App.* p. 401

Vide verbo Beneficia.

Comitia generalia Cleri Gallicani extenſioni Regaliæ reſtiterunt. *IV. c. 13. n. 8. 9.* p. 302. *Ib. n. 13.* p. 306

Comneni Imperatoris conſtitutio de bonis Eccleſiarum vacantium. *II. c. 3. n. 2.* p. 99

Concilium Oecumenicum VIII. electionum libertatem ſancit. *II. c. 2. n. 5.* p. 95. Idem Concilium jubet rata & fixa eſſe jura & privilegia in Eccleſias ab Imperatoribus & aliis collata. *IV. c. 2. n. 6.* p. 230

Concordatum Bononienſe Pragmaticæ ſanctioni ſuccedit. *IV. c. 5. n. 5.* p. 256 De Regalia nihil decernit. *IV. c. 5 n. 9.* p. 258 *Ib. c. 7. n. 13.* p. 274

Digitized by Google

Conſtantinus Magnus Epiſcoporum electiones liberas relinquit. *IV. c.3. n.10.* p. 239
Conſtantius Imp. Arrianus primus vacantibus Eccleſijs Epiſcopos per vim præficit. *Ib.* p. 239
Conſtitutio *Dominus Rex*, in qua enumerantur Eccleſiæ à Regalia liberæ, vel ei obnoxiæ. *I. c. 16. n. I.* p. 54
Eadem Conſtitutio refertur in *App.* p. 405
Quænam ſint *Coronæ* jura, de quibus Parlamentum aut regij Officiales judicant. *IV. c 14. n. I.* p. 311
Coronæ rotunditas nihil facit ad probandam Regaliæ extenſionem. *IV. c. 9. n. I.* p. 282
Correctores Romani adverſus Pinſſonium defenduntur. *App.* p. 387
Crotildis Regina quid circa electionem Theodori & Proculi præſtiterit. *IV. c. 4. n. 2.* p. 242
Cuſtodia Eccleſiarum qua ratione ad Reges ſpectat. *I. c. 9. n. I.* p. 30. *IV. c. 8. n. I.* p. 278
Cuſtodia an ſit legitimum fundamentum Regaliæ. *Ib. n. 9.* p. 279. *App.* p. 343 *Ib.* p. 367

D.

Decimæ an Regaliæ ſubjaceant. *I. c. 9. n. I.* p. 30 Parlamentum pronuntiat eas Regaliæ obnoxias non eſſe. *II. c. 4. n. 8.* p. 105
Decumæ Clero non imperantur à Regibus, ſed ſubſidij nomine, ex Cleri conſenſu, ſolvuntur. *IV. c. 14. n. 4. & 6.* p. 313
Delphinatus Regaliæ non ſubditus. *III. c. 6. n. 9.* p. 169. Quando primum regno Franciæ additus eſt. *Ib. n. 10.* p. 169.
Domanium quo ſenſu alienari aut præſcribi non poſſit. *IV. c. 2. n. 3. 4. 5.* p. 227
Donationes quibus Rex Regaliarum redditus futuris Epiſcopis dimittit, liberæ ſunt, & ejus nutu atque arbitrio fiunt. *IV. c. 10. n. 2.* p. 286
Duarenus docet Regaliam locum non habere in omnibus Eccleſijs. *III. c. 4. n. 12.* p. 153
Durandus teſtis fide dignus docuit Concilium Lugdunenſe de Regalia intelligendum & ad reges Franciæ ſpectare. *III. c. 2. n. 9.* p. 141 *App.* p. 386

E.

Ebredunenſis Provincia Regaliæ non ſubdita. *III. c. 6. n. 10.* p. 169
Eccleſiæ ad proferendas jurium & immunitatum ſuarum probationes non adſtringuntur. *IV. c. 2. n. 6.* p. 229 Id oneris eis imponi non potuit per Arreſta regij Conſilij. *IV. c. 13. n. 17.* p. 304
Eccleſiæ fides irreformabilis; non item Diſciplina. *IV. c. 5. n. 6.* p. 256
Eccleſiæ Regaliæ de novo ſubditæ, antea priſtinam libertatem ſemper retinuerant. *App.* p. 334
Eccleſiæ poteſtas immediatè à Chriſto inſtituta. *App.* p. 349
Eccleſiarum vacantium fructus. *Vide Verb.* Fructus, cuſtodia.
Edictum anni 1682. Sanctiſſimum vocat P. Alexander. *App.* p. 379
Eghelwinus Dulmenſis Epiſcopus bonorum Eccleſiæ uſurpatores excommunicat. *III. c. 14. n. 4.* p. 213
Electiones quomodo debent celebrari. *II. c. 2. n. 5. 6.* p. 95
Electiones canonicæ ad inſtitutionem divinam & Apoſtolicam referuntur. *IV. c. 3. n. 5.* p. 235. Qua ratione primis Eccleſiæ temporibus celebrarentur. *Ib. n. 6.* p. 235 Quid circa illas obſervatum in Eccleſia Græca. *Ib. n. 7.* p. 236. Quid in Latina. *Ib. n. 9. & ſeqq.* p. 238
Electiones ſub prima regũ dynaſtia quo modo ſe habuerint. *IV. c. 4. n. I.* p. 242

Digitized by Google

Electionibus qua ratione ſe immiſcere cæperint reges Franciæ. *IV. c. 4. n. 5.* p. 244. Quid de eis ſtatuerit Clotarius II. *Ib. n. 1.* p. 245. Quid in eis reſtaurandis præſtiterint Carlomannus & Pippinus. *Ib. n. 9.* p. 247

Electionum libertas ſub tertia regum dynaſtia. *IV. c. 5. n. 1.* p. 253

Electiones Epiſcoporum ad Capitula Eccleſiarum Cathedralium deferuntur. *IV. c. 5. n. 2.* p. 254

Electionum ſuppreſſionem Eccleſia potuit tolerare. *IV. c. 5. n. 6.* p. 256

De *Electionibus* falſa & inepta profert Maimburgus. *IV. c. 7. n. 4.* p. 268 *Vide Verb.* Auberi.

Epiſcoporum munus in impedienda Regaliæ introductione. *III. c. 9. n. 1. 2.* p. 183

Epiſcopi novis abuſibus maximè debent obſiſtere. *Ib. n. 5.* p. 186

Epiſcopi fidelitatis Sacramentum in tabulas Cameræ computorum referentes Regaliæ aſſentiuntur. *III. c. 10. n. 1. 2.* p. 190. De ijs qui pendente adhuc lite fidelitatis Sacramentum in tabulas Cameræ computorum retulerunt. *Ib. n. 7.* p. 194. Quid præſtandum Epiſcopo in Eccleſijs à Regalia per privilegium liberatis. *Ib. n. 8.* p. 194

Epiſcopi regio Edicto non parentes minimè regiam majeſtatem offendunt. *III. c. 11. n. 1.* p. 195. *IV. c. 15. n. 9.* p. 323

Soli duo *Epiſcopi* Regaliæ extenſioni apertè obſiſtunt. *III. c. 12. n. 8.* p. 205 *IV. c. 16. n. 2.* p. 325. Plures alij illam improbant, eique varijs modis contradicunt. *Ib. n. 2.* p. 325

Epiſcoporum vana excuſatio, qui illatam Eccleſijs injuriam diſſimulant majorum malorum metu, & deſperatione quidquam proficiendi, ſi regio mandato obſiſtant. *III. c. 12. n. 1. 2.* p. 200

Epiſcoporum eſt extrema quæque pati, potiùs quam ſinere Eccleſiam libertate ac juribus ſuis ſpoliari. *III. c. 13. n. 1. & per totum.* p. 206

Epiſcopi Edicto de extenſione Regaliæ non parentes, nequaquam ſeipſos in propria cauſa judices conſtituunt. *IV. c. 15. n. 1. 2.* p. 318. Iidem in arcendis Regaliſtis jure & ordine ſe geſſerunt. *Ib. n. 6. 7.* p. 321

Epiſcopi jurium Eccleſiæ defenſores, fidelium paſtores ac patres, Apoſtolorum ſucceſſores. *Ib. n. 2.* p. 319

Epiſcopi officium in defendenda veritate & juſtitia, etſi ſolus remanſerit. *IV. c. 16. n. 6.* p. 329.

Epiſcopi in Conſilijs regum Chriſtianiſſimorum primum dignitatis atque auctoritatis locum tenent. *IV. c. 14. n. 3.* p. 312

Epiſcopi Pariſijs congregati anno 1682. declarant Regaliam eſſe ſervitutem, quæ ſine Eccleſiæ conſenſu nunquam introduci potuit. *App.* p. 371. *Ib.* p. 394

Ermengardis Comitiſſa Narbonenſis renuntiat abuſui Regaliæ ſimili. *I. c. 12. n. 3.* p. 43

Ermengaudus Comes Urgellenſis idem præſtat. *Ib. n. 5.* p. 44

Exempla Sanctorum Antiſtitum, qui Eccleſiæ jura & libertatem defenderunt. *III. c. 14. per totum.* p. 210

F.

Facundi Hermianenſis ſententia de Epiſcoporum officio erga Principes aliquid contra juſtitiam aut Eccleſiæ libertatem molientes. *III. c. 13. n. 6.* p. 209

Ferdinandus Rex Caſtellæ excommunicatur. *II. c. 4. n. 7.* p. 105

Joannes *Ferraldus* docet Regaliam locum habere in aliquibus tantum Eccleſijs. *III. c. 4. n. 10.* p. 152

Feudi natura & origo. *I. c. 6. n. 1.* p. 20

Feuda utrum ſint legitimus Regaliæ titulus. *I. c. 8. n. 1. & ſeqq.* p. 27. *IV. c. 7. n. 4. 7. 8.* p. 268. *App.* p. 342. *Ib.* p. 367

Feuda

Feuda aliter jure ſcripto ſeu civili, aliter jure conſuetudinario reguntur. *II. c. 1. n. 5.* p. 88

Sæpè accidit, ut *Fidei* cauſam pauci apertè contra vim & minas Imperatorum defenderint. *IV. c. 16. n. 3.* p. 326

Florus modum celebrandarum electionum explicat. *IV. c. 4. n. 13.* p. 248

Franciæ Reges an ſint patroni & fundatores omnium Eccleſiarum Cathedralium. *IV. c. 8. n. 3. & ſeqq.* p. 277 *I. c. 9. n. 2.* p. 30

Franciæ Reges an ſint merè Laici. *IV. c. 12. n. 3. 4.* p. 296

Franciæ Regum conſtitutiones ad Concilium Lugdunenſe alludunt. *I. c. 15. n. 1. & ſeqq.* p. 52. *Ib. c. 16. n. 2.* p. 54

In *Francia* varium & multiplex jus in rebus civilibus. *IV. c. 9. n. 3.* p. 283

Fredericus II. abuſui Regaliæ ſimili renuntiat, & omnium Imperij Eccleſiarum libertatem ſancit. *I. c. 12. n. 8.* p. 45. *II. c. 3. n. 3.* p. 100

Fructus vacantium Eccleſiarum futuro ſucceſſori reſervandi. *I. c. 3. n. 1. & ſeqq.* p. 7 *Ib. c. 9. n. 4.* p. 31. *Ib. c. 12. n. 1. & ſeqq.* p. 42. *II. c. 1. n. 4.* p. 88. *Ib. c. 2. 3.* p. 92. *Ib. c. 3. n. 2.* p. 99. *IV. c. 10. n. 5.* p. 287. *Ib. c. 11. n. 1.* p. 289

Fructus Eccleſiarum vacantium novis Epiſcopis à Ludovico XIII. in perpetuum dati. *I. c. 19. n. 6.* p. 71 *II. c. 1. n. 6.* p. 89

Fundatio Eccleſiarum an ſit legitimum Regaliæ fundamentum. *IV. c. 8. n. 3.* p. 277. *App.* p. 390

G.

Gallicanus Clerus Regaliæ extenſioni intercedit, & de illa apud Reges expoſtulat. *I. c. 19. n. 1.* p. 69

Galli communiter ſentiunt Regaliam injuſtè ad omnes Eccleſias extenſam fuiſſe. *App.* p. 348

Carolus de *Graſſalio* docet Regaliæ locum eſſe in aliquibus tantum Eccleſijs. *III. c. 4. n. 11.* p. 152

Gloſſa in canonem Concilij Lugdunenſis explicatur. *III. c. 2. n. 6.* p. 140

Gloſſa canonis *cum olim.* De Majorit. & obed. explicatur. *IV. c. 11. n. 2.* p. 389 *App.* p. 399

Gloſſa can. *Licet.* De præbendis in 6. explicatur. *App.* p. 379

Gloſſa Pragmaticæ ſanctionis explicatur & defenditur. *App.* p. 298

Gondulphus Roffenſis Epiſcopus ſolus adhæret S. Anſelmo. *IV. c. 16. n. 4.* p. 327

H.

Henrici IV. edictum de non extendenda Regalia. *I. c. 19. n. 1.* p. 69. *III. c. 3. n. 4.* p. 145

Henrici II. Regis Angliæ conſtitutio circa Beneficia. *II. c. 5. n. 8.* p. 110

S. Hilarius regum adulatores carpit.. *III c. 13. n. 5.* p. 209

Hincmari ſententia de regia cuſtodia Eccleſiarum vacantium. *I. c. 4. n. 7. & ſeqq.* p. 14

Hincmarus magna libertate ad Ludovicum III. ſcribit. *III. c. 11. n. 3.* p. 197

Homagium Epiſcopi ratione feudorum olim regibus præſtabant. *I. c. 6. n. 2.* p. 20

Hugonis Capeti pietas in Eccleſiam. *I. c. 5. n. 1.* p. 18

Hugo Lincolnienſis regijs Officialibus Eccleſiæ jura invadentibus obſiſtit. *III. c. 14. n. 7.* p. 217

Vera *Humilitas* adjunctam habet animi fortitudinem. *IV. c. 16. n. 5.* p. 328

I.

Janſenianæ cauſæ nihil commune cum cauſa Regaliæ. *App.* p. 337

Janſeniani erroris accuſatio in multos temere & per calumniam conjicitur. *App.* p. 338

Imperatores

Imperatores nonnunquam magnarum civitatum Epiſcopos cum Eccleſiæ conſenſu nominabant. *IV. c. 3. n. 11.* p. 239

Innocentius III. cenſet Papam poſſe caſualiter juriſdictionem temporalem exercere in locis extra ditionem Eccleſiaſticam poſitis. *App.* p. 352

Innocentius XI. Pont. Max. quid egerit in cauſa Regaliæ. *III. c. 12. n. 7.* p. 204

Injurioſus Epiſcopus Turonenſis reſiſtit Clotario I. bona Eccleſiarum fiſco addicenti. *I. c. 3. n. 12.* p. 10. *III. c. 14. n. 3.* p. 212. *IV. c. 16. n. 4.* p. 527

Inveſtiturarum nomine, quid intelligendum. *I. c. 6. n. 1.* p. 20. Controverſiæ de ijs ortæ cauſa, progreſſus, finis. *Ib. n. 2. 3. 4.* p. 20. *II. c. 2. n. 9.* p. 97

An aliquando Romani Pontifices Inveſtituras Imperatoribus conceſſerint. *IV. c. 7. n. 6. & ſeqq.* p. 269

Inveſtituras præcedebat electio. *IV. c. 7. n. 6.* p. 269

Inveſtituris qua ratione Regalia ſucceſſit. *Ib. n. 7.* p. 269. & *n. 9.* p. 270

S. Joannis Chryſoſtomi conſtantia in defendendis Eccleſiæ juribus. *III. c. 14. n. 2.* p. 211. Vult Epiſcopum ita affectum eſſe, ut libenti animo Epiſcopatus jacturam patiatur, potius quam officium deſerat. *Ib. c. 13. n. 4.* p. 208

Joannis Pariſienſis ſententia circa collationem Beneficiorum rejicitur. *II. c. 1. n. 8.* p. 90

Joannis Pariſienſis erronea doctrina. *App.* p. 372

Judex cauſarum Regaliæ quis. *IV. c. 14. n. 2. & ſeqq.* p. 311. *App.* p. 373

Juri divino & naturali repugnat, ut Principes bona Eccleſiæ ſibi vindicent. *II. c. 1. n. 1. 2. & ſeqq.* p. 87

Juſtiniani novella de electionibus Epiſcoporum. *IV. c. 3. n. 13.* p. 241

L.

Libertas maximè propria eſt regni Franciæ. *IV. c. 1. n. 9.* p. 225

Libertas Eccleſiæ, ut plurimum paucos habuit defenſores, quando à regibus, & principibus impugnata eſt. *IV. c. 16. n. 4.* p. 327

Libertates Eccleſiæ Gallicanæ in cuſtodia canonum. *II. c. 8. n. 1.* p. 132

Litigioſa Beneficia an ob Regaliam vacent. *II. c. 6. n. 14.* p. 121

Lugdunenſis Eccleſia quomodo, ſede vacante, adminiſtretur. *III. c. 7. n. 1. 2.* p. 172

Lugdunenſis Concilij Canon XII. de Regalia. *I. c. 14. n. 3.* p. 50. Ejus explicatio. *II. c. 4. per totum.* p. 101. *III. c. 2. n. 1. & ſeqq.* p. 137. *App.* p. 335. & 343. & p. 375

Lugdunenſis Concilij clarum ſenſum falſa explicatione obſcurare conatur Pinſſonius. *App.* p. 383. & 389. Ejuſdem Pinſſonij ſententia examinatur, & rejicitur. *Ib.* p. 390

Ludovicus Junior, quid de privilegio ad conferenda Beneficia ſibi Roma allato ſenſerit. *III. c. 8. n. 5.* p. 178

S. Ludovici moderatio in exercenda Regalia. *I. c. 13. n. 3.* p. 47. Beneficiorum diſtributionem, ut rem difficilem & periculoſam averſatur. *III. c. 8. n. 5. 6.* p. 179. Electionum libertatem publico edicto ſancit. *IV. c. 5. n. 2.* p. 254. Ejus monitum ad Philippum primogenitum & ſucceſſorem de tuendis ſubditorum juribus & privilegijs. *IV. c. 2. n. 8.* p. 230

Ludovici XII. edictum de non extendenda Regalia *III. c. 3. n. 3.* p. 144

Ludovici XIII. edictum de non extendenda Regalia. *I. c. 19. n. 5.* p. 70. *III. c. 3. n. 4.* p. 145. Quam juſtè de bonis Eccleſiarum vacantium ſtatuerit. *I. c. 19. n. 6.* p. 71. Æquum ac pium ejus conſilium de

 instruenda

inſtruenda ac finienda Regaliæ cauſa. *IV. c. 14 n. 8.* p. 316

Ludovici Pij Imp. donatio in favorem Eccleſiæ Remenſis. *I. c. 4. n. 12.* p. 17. Electionum libertatem ſolemni conſtitutione confirmat. *IV. c. 4. n. 17. 18.* p. 250

Ludovici XIV. edictum de extendenda per totum regnum Regalia. *I. c. 19. n. 7. & 14.* p. 72. & 76. Quid ab eo expectandum, ſimul ac rei veritatem in hac cauſa agnoverit. *IV. c. 16. n. 11.* p. 331

M.

Magiſter ſive Ægidius *Le Maiſtre* docet Regaliam locum non habere in omnibus Eccleſijs. *III. c. 4. n. 2.* p. 148. Ejus ſententia paulo obſcurior explicatur. *I. c. 18. n. 4. 5.* p. 66

Maimburgus Regaliæ extenſionem tuetur. *IV. c. 7. n. 1.* p. 266. Ejus rationes expenduntur & confutantur. *Ib. per totum.* p. 267

P. de Marca Regaliæ extenſionem impugnat. *I. c. 19. n. 10.* p. 74. *III. c. 2. n. 2.* p. 138. *IV. c. 13. n. 7.* p. 301. *App.* p. 348

Metenſis Eccleſia Regaliæ non ſubdita. *III. c. 6. n. 11.* p. 170

Caroli *Molinæi* conſilium de condendo novo juris codice, qui ubique in regno obſervaretur. *IV. c. 9. n. 3.* p. 283

N.

Narbonenſis Provincia à Regalia libera. *III. c. 5. n. 1. & ſeqq.* p. 157. Conteſtatur per procuratorem, minimè ſe adſtringi poſſe ad proferenda ſuæ libertatis documenta. *IV. c. 13. n. 12.* p. 305

Nicenum Concilium, quid de electionibus ſtatuerit. *II. c. 2. n. 5.* p. 95. *IV. c. 3. n. 7.* p. 236

Nivernenſis Eccleſia an à Regalia immunis *III. c. 7. n. 5.* p. 174

Nominatio regia multum differt ab Inveſtitura. *IV. c. 7. n. 9.* p. 270

O.

Occitania Regaliæ non ſubdita. *III. c. 5. per totum.* p. 157. Quandonam ad plenum dominium regum Franciæ redierit. *Ib.* p. 157

Oeconomi officium ignobile & abjectum. *IV. c. 8. n. 10.* p. 280

Oeconomorum inſtituendorum jus ad ſe traxerunt regij Officiales. *IV. c. 9. n. 5.* p. 284

Officialium regiorum fraus in inſtruenda Regaliæ lite. *IV. c. 13. n. 14. & ſeqq.* p. 306. Eorum machinationes in violanda Eccleſiæ libertate. *IV. c. 14. n. 9.* p. 303. Eorundem pervicacia in defendendis ijs, quæ præter jus & libertatem Eccleſiarum fieri procurarunt. *IV. c. 15. n. 1. & ſeqq.* p. 318. *App.* p. 377. Sibi ipſis contradicunt. *Ib.* p. 378

Ordinationes abſolutæ prohibitæ. *II. c. 2. n. 4.* p. 94

Cardinalis d'*Oſſat* extenſioni Regaliæ non favet. *III. c. 4. n. 14.* p. 154

P.

Papæ primatum omnes Catholici agnoſcunt. *App.* p. 339

Papæ cum Rege Franciæ comparatio quantum ad jura, quæ primitus non exercuerunt. *Ib.* p. 349

Papa judex Cauſarum majorum, qualis eſt cauſa Regaliæ. *IV. c. 15. n. 4.* p. 319

Parſienſe Concilium V. vetat uſurpari bona Eccleſiarum poſt mortem Epiſcoporum. *I. c. 3. n. 6.* p. 8.

Pariſienſe Concilium III. eos damnat, qui bona Eccleſiarum à regibus obtinebant. *I. c. 3. n. 11.* p. 10. Idem

Concilium

Digitized by Google

Concilium, quid de electionibus ſtatuerit. *II.c.2.n.6.* p. 96
Parlamenti Pariſienſis circa Regaliam juriſprudentia. *I.c.17.n.6.* p. 61
Parlamentum Pariſienſe de privatis litibus Regaliæ in locis, ubi recepta eſt, judicat: at de ejus extenſione in omnes Eccleſias non niſi uſurpata juriſdictione pronuntiare potuit. *IV.c.14. n.3 & ſeqq.* p. 312. *App.* p. 353 *Ib.* p. 374
Parlamenti Pariſienſis primaria camera Regaliſtarum litibus pene obruitur. *III c.8.n.12.* p. 182
Parochiæ ob Regaliam conferri non poſſunt. *II.c.7.n.4.* p. 125. Eas Regaliæ ſubjicere conatur Pinſſonius. *App.* p. 381
Patronatus, quid & quomodo inſtitutus. *II.c.2.n.8.* p. 97
Patronatus an legitimus Regaliæ titulus. *IV.c.8.per totum.* p. 276
Patronorum duo genera diſtinguuntur & explicantur. *Ib.n.2.& ſeqq.* p. 276
Patronus Beneficia non confert, ſed ad ea præſentat vel nominat. *Ib.n.3.* p. 277
Patronus ſeu defenſor Eccleſiarum quilibet Rex in ſuo regno. *Ib.n.11.* p. 281
Patronatui obnoxia Beneficia an conferri poſſint ob Regaliam. *II.c.7.n.1.2.* p. 122. *App.* p. 401
Patronorum juri an Rex derogare poſſit. *II.c.7.n.3.* p. 123
Paſquierius docet Regaliam minimè locum habere in omnibus Eccleſijs. *III.c.4.n.13.* p. 153
Nicolaus *Pavillon* Epiſcopus Alectenſis Eccleſiæ ſuæ libertatem tuetur. *III.c.12.n.8.* p. 205. Ad Comitia Cleri Gallicani ſcribit. *IV.c.13.n.8.* p. 302. Ejus elogium. *App.* p. 355. Quam obſervans fuerit Sedis Apoſtolicæ. *Ib.* p. 358
Penſiones an à Rege conſtitui poſſint. *II.c.6.n.7.* p. 115
Philippus Auguſtus Regaliam extra feuda non extendit. *I.c.8.n.5.* p. 28
Philippus Audax in moderanda Regalia S. Ludovicum parentem ſuum imitatur. *I.c.14.n.1.* p. 49
Philippus Pulcher in aliquibus tantum Eccleſijs Regaliam ſibi vindicavit. *I.c.15.n.2.* p. 52. *III.c.3.n.2.* p. 144
Philippus Valeſius in quibuſdam tantum Eccleſijs Regaliam exercuit. *I.c.15.n.3.* p. 53. *III.c.2.n.2.* p. 138
Philippus Probus docet Regaliam non habere locum in omnibus Eccleſijs. *III.c.4.n.5.* p. 150. Idem docet Abbatias Regaliæ obnoxias non eſſe. *IV.c.6.n.5.* p. 264
Franciſcus *Pinſſonius* originem Regaliæ confert cum origine Nili. *I.c.2.n.3.* p. 5. Ejus Tractatus de Regalijs examinatur & refellitur. *App.* p. 380. Defenſores juris Eccleſiarum injurijs onerat. *Ib.* p. 382. Romanos correctores juris canonici falsò accuſat. *Ib.* p. 385. Canonem 12. Concilij Lugdunenſis in pravum ſenſum detorquet. *Ib.* p. 383. Pugnantia ſæpe loquitur. *Ib.* p. 395. & p. 397. & p. 399. Gloſſam canonis *Licet.* de Præb. in 6. male interpretatur. *Ib.* p. 397. Item Gloſſam Pragmaticæ ſanctionis. *Ib.* p. 398. Regaliam male definit. *Ib.* p. 414
Pontigonenſis Concilij decretum de bonis Epiſcoporum poſt eorum mortem conſervandis. *I.c.4.n.4.* p. 13
Præbendæ pænitentiariæ ob Regaliam conferri non poſſunt. *II.c.7.n.6.* p. 127
Pragmatica ſanctio S. Ludovici circa electiones. *IV.c.5.n.1.* p. 253
Pragmaticæ Sanctionis Gloſſator docet Regaliam locum habere in aliquibus tantum Eccleſijs. *I.c.17.n.9.* p. 63. *II.c.5.n.1.* p. 106. *III.c.2.n.6.* p. 140
Pragmatica ſanctio S. Ludovici decernit rata & immota eſſe Eccleſiarum jura, privilegia & libertates. *IV.c.2.n.8.* p. 231

Digitized by Google

Pragmaticam ſanctionem Caroli VII. Romani Pontifices averſati ſunt. *IV. c. 5. n. 5.* p. 256
Privilegia Eccleſijs à regibus conceſſa revocari non debent. *IV. c. 2. n 5.* p. 229
Quid ſit *Privilegium canonicum*, cui conſervando Reges Chriſtianiſſimi in ſua inauguratione ſe adſtringunt. *IV. c. 2. n. 7.* p. 230
Præventionis jus an regi competat in collationibus ob Regaliam. *II c. 7. n. 4.* p. 124
Præventio, ſede vacante, ceſſare deberet. *IV. c. 9. n. 5.* p. 285
Provinciæ Juris-ſcripti à Provincijs Juris conſuetudinarij diſtinguendæ. *I. c. 7. n. 5.* p. 26. *App.* p. 368
Provincia Provinciæ Regaliæ non ſubdita. *III. c. 6. n. 9.* p. 169. Quando nam ad plenum dominium regum Franciæ redierit. *Ib. n. 10.* p. 169
Guido Pybracius primus auctor extendendæ Regaliæ. *I. c. 18. n. 3.* p. 65

R.

Raymundus Comes Tholoſanus renuntiat abuſui Regaliæ ſimili. *I. c. 12. n. 4.* p. 44
Rebuffus docet Regaliam in aliquibus tantum Eccleſijs locum habere. *III. c. 4. n. 4.* p. 150
An *Redditus* Eccleſiarum Regaliæ ob noxiarum in fiſcum deferri poſſint. *IV. c. 10. n. 5.* p. 288
Regalia variè accipitur. *I. c. 1. n. 1. & ſeqq.* p. 1.
Regaliæ origo incerta & obſcura. *I. c. 2. n. 1 2.* p. 4
Regalia incognita ſub regibus Chriſtianiſſimis primæ dynaſtiæ. *I. c. 3. n. 1. & ſeqq.* p. 6
Regalia locum non habuit in Gallia ſub regibus ſecundæ dynaſtiæ. *I. c. 4. n. 1. 2.* p. 11
Regalia initio tertiæ dynaſtiæ adhuc incognita *I. c. 5. n. 1.* p. 18
Regaliæ ortus, & cur in quibuſdam tantum Eccleſijs recepta eſt. *I. c. 7 n. 1. & ſeqq.* p. 24
Regalia primùm ſola feuda afficiebat. *I. c. 8. per totum.* p. 27
Regalia olim Regibus propria non erat, ſed communis ducibus alijſque dynaſtis. *I. c. 11 n. 2 per totum.* p. 38. Differt à peſſimo quorundam uſu nonnullorum dynaſtarum, qui bona Eccleſiarum vacantium per vim uſurpabant. *I. c. 12. n. 1. 2. & ſeqq.* p. 42 A ſolo uſu & poſſeſſione pendet. *I. c. 13. n. 1.* p. 46. *Ib. c. 17. n 5.* p. 60
Regalia in omnibus Eccleſijs locum non habet. *I. c. 14. per totum.* p 49. *Ib. c. 15. per totum.* p. 52. *Ib. c. 16. per totum.* p. 54. *App.* p. 390
Regaliam ubique locum non habere docent Officiales regij & Juris conſulti Gallici. *I. c. 17. n. 9.* p. 63. *III. c. 2. per totum.* p. 137. *App.* p. 392
Regaliæ extenſio ad omnes Eccleſias, qua ratione facta eſt. *I. c. 18 per totum.* p. 64. *III. c 1. n. 1. 2.* p. 135. De extenſione Regaliæ pronuntiare non potuit Parlamentum Pariſienſe, aut regium Concilium. *IV. c. 14 n. 1. & per totum.* p. 311. Ex Regaliæ extenſione modicum Rex emolumentum capit. *III. c. 8. per totum.* p. 176. Ejuſdem extenſionis incommoda. *Ib. n. 8. 9. 10.* p 179
Regaliæ extenſio præcipua hujus Tractatus quæſtio. *Præfat.* n 6. *IV. c 1. n. 1.* p. 219. An ad Provincias regno nuper adjunctas, aut impoſterum adjungendas extendi debeat. *Ib. n 9.* p. 225. Publica utilitas non poſtulat, ut ad omnes Eccleſias extendatur. *IV. c. 9. n. 2. 3.* p. 283. An ideirco extenſio Regaliæ toleranda, quod Rex Eccleſiarum jamdiu Regaliæ obnoxiarum

Digitized by Google

redditus futuris Epiſcopis liberaliter concedat. *IV. c. 10. n. 1. 2.* p. 286
Regaliæ lis ad Conſilium Regis quomodo delata. *I. c. 19. n. 8.* p. 72. Ejus progreſſus & finis. *Ib. n. 9. & ſeqq.* p. 73
Regaliæ circa collationem Beneficiorum effectus & prærogativæ. *I. c. 20. per totum.* p. 77. Expenduntur & rejieiuntur. *II. c. 6. per totum.* p. 111
Regalia quando claudatur. *II. c. 7. n. 12.* p. 130
Regalia inter libertates Eccleſiæ Gallicanæ cenſeri non debet. *II. c. 8. per totum.* p. 132
Regaliæ remiſſio an revocari poſſit. *III. c. 7. n. 5.* p. 174. *App.* p. 341
Regalia quo ſenſu jus regium dicitur. *IV. c. 1. n. 2. 3.* p. 220. *Ib. c. 14. n. 4.* p. 313. *App.* p. 367. Quo ſenſu præſcriptioni & alienationi obnoxia non eſt. *IV. c. 1. n. 7.* p. 224. *Ib. c. 2. n. 23.* p. 227. An à ſolo rege exerceri poſſit. *Ib. c. 1. n. 8.* p. 224. An regias nominationes neceſſariò ſequatur. *Ib. c. 5. n. 8.* p. 258
In Regalia valde diſtingui debent, quæ ei ortus vel incrementi cauſam ſeu occaſionem præbuerunt; & quæ illam, prout nunc ſe habet, juſtam & legitimam efficere poſſunt. *IV. c. 8. n. 9.* p. 279. *App.* p. 335. *Ib.* p. 354. *Ib.* p. 367
Regalia, prout nunc ſe habet, jus eſt Eccleſiaſticum aut quaſi Eccleſiaſticum. *App.* p. 343. *Ib.* p. 378
An quod in cauſa *Regalia* à Parlamento, aut Conſilio regis definitum eſt, pro re judicata haberi debeat. *IV. c. 13. n. 2. & per totum.* p. 297
Cauſa *Regaliæ* inter Majores cauſas reponenda. *IV. c. 15. n. 5.* p. 321. *Ib. n. 8.* p. 323. *App.* p. 351
Regalia de novo introducta in Eccleſias ineptè comparatur imaginibus Sanctorum, ceremonijs ſacris alijſque rebus, quas novitatis arguunt Hæretici. *App.* p. 337
Ex nonnullis Romani Pontificis dignitatibus & prærogativis, quarum uſus recentior, ineptè concluditur Regaliam in Eccleſias de novo induci potuiſſe. *App.* p. 339
Regalia malè definitur à Pinſſonio. *App.* p. 404
Regalia tota conſtat præjudicatis. *Ib.* p. 402
Regienſe Concilium, quid de adminiſtratione bonorum Epiſcopalium, ſede vacante, ſtatuerit. *I. c. 3. n. 4.* p. 7.
Reges Franciæ coronam libertatis portant. *IV. c. 1. n. 9.* p. 225. An omnium Eccleſiarum Cathedralium fundatores & patroni reputentur. *Ib. c. 8. n. 6.* p. 278. An per unctionem à Laicorum conditione eximantur. *Ib. c. 12. n. 3. 4.* p. 296
Regum optimi facilè in fraudem pravis miniſtrorum conſilijs inducuntur. *III. c. 12. n. 5.* p. 202
Reges nullum propriè jus in res ſacras & ſpirituales habent. *IV. c. 12. n. 3.* p. 296
Regibus debitam fidelitatem & obedientiam non violat, qui proprio officio ritè fungitur. *IV. c. 15. n. 9.* p. 323
An *Regum* poteſtas à Chriſto immediatè profecta rectè dicatur. *App.* p. 349
Regalia *de veriſimili notitia* an locum habeat in collationibus regijs. *II. c. 6. n. 4.* p. 113
Regularium Capitulorum Beneficia an conferri poſſint titulo Regaliæ. *II. c. 7. n. 7.* p. 127
Relevium locum habet in ſolis Provincijs Juris conſuetudinarij. *I. c. 7. n. 3.* p. 25. *App.* p. 368
Remenſis Eccleſiæ bona uſurpata & reſtituta. *I. c. 4. n. 12.* p. 17
Reſignationes *in favorem* an reges admittere poſſint. *II. c. 6. n. 6.* p. 114
Ruſæi adulatio in Principes. *IV. c. 12. n. 6.* p. 292

S.

Santonenſe Capitulum à Regaliſtarum petitione Arreſto Parlamenti abſolvitur. *App.* p. 403

Simonia olim in Gallijs frequens. *IV. c. 4. n. 5.* p. 244

Spolium quid, & an ad reges pertineat. *I. c. 9. n. 5.* p. 31. Spolio renuntiant reges Franciæ. *Ib. c. 13. n. 1.* p. 46

Stigandus Archiepiſcopus Cantuarienſis Edicto Guillelmi nothi non aſſentitur. *III. c. 14. n. 4.* p. 213

T.

D. *Talon* à Collegis diſſidet in cauſa Capituli Santonenſis. *App.* p. 403

Theologales præbendæ ob Regaliam conferri non poſſunt. *II. c. 7. n. 5.* p. 126

S. Thomas Cantuarienſis ob defenſionem Eccleſiaſticæ libertatis varie vexatus, tandem Martyrio coronatur. *III. c. 14. n. 6.* p. 214. *IV. c. 14. n. 9.* p. 317. *Ib. c. 16. n. 4.* p. 328

Tridentini Concilij decreta de immunitate Clericorum ac bonorum Eccleſiæ. *III. c. 9. n. 3.* p. 185

Trosleianum Concilium quid de non diripiendis bonis Epiſcoporum poſt eorum mortem, ſtatuerit. *I. c. 4. n. 6.* p. 13

U.

Valentinianus I. electionem Epiſcopi Mediolanenſis ad ſe delatam recuſat. *IV. c. 3. n. 10.* p. 239

Valentinum Concilium III. de eligendis Epiſcopis, quid ſtatuerit. *IV. c. 4. n. 20.* p. 252.

Viennenſis Provincia à Regalia libera. *III. c. 6. n. 9.* p. 169

Errata ſic corrige.

pag. 31.	*lin. 23.*	*mediumi*	*Lege.*	*medium.*
p. 66.	*lin. 22.*	*4.*	*L.*	*5.*
p. 86.	*lin. 7.*	*Secundum.*	*L.*	*Primum.*
p. 115.	*lin. 10.*	*6.*		*deleatur.*
p. 124.	*lin. 12.*	*4.*		*deleatur.*
p. 202.	*lin. 23.*	*Baſilicus.*	*L.*	*Baſilius.*
p. 255.	*lin. 13.*	*7.*	*L.*	*4.*
p. 291.	*lin. 1.*	*veniunt.*	*L.*	*non veniunt.*
p. 305.	*lin. ult.*	*12.*	*L.*	*13.*

Cœtera Benevolus Lector emendabis.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google